
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
40 G
26
ROMA

QVÆSTIONVM PHILOSOPHICARVM SYLVESTRI MAVRI SOC. IESV

LIBER QVINTVS

Continens Quæstiones Physicas
De Mistis animatis in Libros de Anima
& Quæstiones Physico-metaphysicas
de Ente immateriali, hoc est de
Anima rationali, Intelligentijs,
& Deo.

Editio Secunda.



Romæ, Typis Michaelis Herculis. 1670.
Superiorum permissu.

Sumptibus Federici Franzini, sub Signo
Fontis, cū priuilegio Summi Pontif.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sal. Pal. Ap.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur iterum.
Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

CLEMENS PP. X.

AD futuram Rei Memoriam. Cum sicut dilectus filius Federicus Franzini Romanus Bibliopola Nobis nuper exponi fecit ipse Opera musicalia nempe mottetta, Psalmos, & alia à dilecto filio Nicolao Stamigna in lucem edenda, nec non opus in plures tomos distinctum, cui titulus Philosophia Silueri Mauri Presbyteri Societatis Iesù cum nouis additionibus sua impensa typis in hac alma Vrbe nostra mandari facere intendat; vereatur autem ne postquam in lucem prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quęrunt eadem opera imprimi facere curent in ipsius Exponentis præiudicium. Nos eius indemnitati ne ex impressione huiusmodi Aliquod dispendium patiatur prouidere, illūq; specialibus fauoribus, & gratijs, prosequi volentes, & à quibusuis excōmunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latæ, si quibus quomodolibet innodatus exit ad effectum præsentiū tātum consequendum harum serie absoluen. & absolutū fore censentes. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Eidem Exponenti vt durāte decennio à primęua dd. operum & eorum cuiuslibet respectiuè impressione cōputando,

QVAESTIONES
De Anima Vegetatiua. pag. 182.


QVAESTIONES
De Anima sensitiua. pag. 249

Q.21.

QÆST. PHYSICO-METAPH.

De Ente immateriali, hoc est Anima rationali, Intelligentijs, & Deo. pag. 415

Q.39.



QVAE.

QVAESTIONES DE ANIMA, ſeu de miſtis Animatis.

Ordo diſputandorum.



Oſtquam egimus de miſtis inanimatis, diſputare debemus de animatis, ſeu de Anima; & primo quidem de Anima in communi, ſecundo in ſpeciali de Anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationali. Circà Animam in communi primo quærimus, vtrum ſit corpus, vel forma ſubſtantialis corporis. Secundo vtrum benè definiatur actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis. Tertiò vtrum viuens benè definiatur, quod ſecundum ſuam naturam mouet ſeipſum. Quarto vtrum omnes Animæ ſint eiuſdem ſpeciei. Quinto vtrum conuenienter aſſignentur tria genera animarum, quatuor gradus animatorum, & quinque genera potentiarum. Sexto vtrum in eodem viuente ſint actu plures Animę. Septimo vtrum in viuente pręter animam detur alia forma ſubſtantialis. Octauo vtrum omnes Animæ ſint diuiſibiles. Nono vtrum

Anima informet omnes partes tum solidas, tum fluidas viuentis. Decimo vtrum in generatione hominis producātur successiuè plures Animæ. Vndecimo vtrum Anima distinguatur à potentijs vitalibus organicis, & inorganicis.

QVAESTIO I.

Vtrum Anima sit corpus, vel forma substantialis corporis.

VIdetur vera sententia Antiquorum, fundata in communi imaginatione, quod Anima non sit forma penetrata cum materia, sed sit corpus quoddam tenuissimum, & actiuissimum, quod idcircò vocatur spiritus, localiter vnitum alteri corpori organico magis materiali, ac crasso; primo quia proportionaliter cōstituuntur mista animata, ac mista inanimata; sed mista inanimata cōstituuntur per vnionem spiritus, seu corporis subtilissimi cum alio corpore crasso proportionato; destruuntur verò per separationem spiritus à corpore crasso; ergo etiam viuentia constituuntur per vnionem tenuissimi spiritus cum corporibus crassis proportionatis; moriuntur verò per separationem talis spiritus à corporibus.

Minor

Minor probatur, & explicatur. Possunt enim per artem extrahi spiritus tenuissimi, qui vulgo dicuntur *quintæ essentiæ* vini, olei, lactis, & aliarum rerum, quarum si vel guttula infundatur in vas aquę; aqua ità trahit, & imbibit talem spiritum; vt euadat perfectissimum vinum, vel oleum, aut lac. Similiter possunt extrahi quintæ essentię auri, & aliorum metallorum, quæ infusæ materiæ proportionatæ transmutant illam in aurum, vel aliud metallum. Possunt è conuerso talia mista destrui, separando à materia crassa totum spiritum; ergo proportionaliter corpora animalium, & plantarum possunt viuificari per infusionem alicuius spiritus, & mori per eiusdem separationem.

2. Si per hanc sententiam possint explicari omnia, quæ spectant ad corpora viuentia æquè bene, ac explicentur in sententia Peripatetica, debet hæc sententia præhaberi; tum quia est conformior sensui, & imaginationi; tum quia saluat, quod anima non producatur de nouo ex nihilo sui, nec corrumpatur in nihilum sui; tum quia non ponit substantiam materialem componi ex duabus partialibus substantijs materialibus inuicem penetratis, quod est intellectu difficile; sed possunt in hac sententia æquè benè omnia explicari, ac in sententia

Peripatetica; ergo &c. Probatur minor explicando proportionaliter omnia. Iuxtà ſententiam Peripateticam viuentia conſtituuntur ex duplici parte ſubſtantiali, Anima nimirum, & corpore, quæ partes ſunt itâ imperfectæ, vt nec corpus poſſit viuere, hoc eſt exercere operationes vitales ſine Anima, nec Anima (excepta rationali, de qua non loquimur) poſſit viuere ſine corpore; in hac ſententia viuentia componuntur ex duplici parte, altera craſſa, altera ſubtili, quæ vocatur ſpiritus, ità vt nec corpus craſſum poſſit viuere, exercendo operationem vitalem, ſine ſpiritu, nec ſpiritus ſine corpore craſſo. In ſententia Peripatetica viuentia generantur, cum Anima coniungitur corpori, moriuntur, cum ſeparatur; in hac animal generatur, cum ſpiritus coniungitur materiæ craſſæ, cum ſeparatur, moritur. In ſententia Peripatetica corporibus diuerſimodè diſpoſitis debentur diuerſæ ſpecies Animarum; in hac diuerſæ ſpecies ſpirituum; & ſicut iuxta illam materia appetit ſuam formam, & forma ſuam materiam, ſic in hac vnaquęque materia appetit ſuum ſpiritum, & vnuſquiſque ſpiritus appetit ſuam materiam craſſam. In ſententia Peripatetica, cum viuentia moriũtur, moriuntur ſecundum Animam, & corpus, excepto homine, cuius

cuius Anima rationalis remanet viuens; etiam in hac sententia moritur tum corpus crassum, tum spiritus: sicut enim corpus, licet remaneat, remanet mortuum, quia sine spiritu non potest amplius exercere vllam operationem vitalem, sic spiritus, licet remaneat, remanet spiritus mortuus, quia sine corpore crasso non potest amplius exercere vllam operationem vitalem. At Anima rationalis remanet viua, quia potest exercere operationes vitales intelligendi, ad quas non indiget organo corporeo. Animę materiales ponuntur tales, vt separatæ à materia abeant in nihilum, nec possint subsistere; coniunctæ verò materiæ proportionatæ contineant illam, ordinent, atque organizent, trahant alimentum, distribuant &c. Spiritus ponitur talis, vt separatus à corpore crasso non possit subsistere, sed dissipetur in auras, coniunctus verò materiæ proportionatæ illam contineat, ordinet &c. Confirmatur, quia explicantur optimè generatio, nutritio, & augmentatio viuentium. Viuentia perfecta generantur ex semine, quia in semine datur spiritus, qui applicatus materiæ proportionatæ, & ab illa attractus illam organizat, ità vt possit exercere operationes vitales. Spontè nascentia, vt ranę generantur ex eo, quod pluuia aliquando deferat spiritum,

qui applicatus pulueri proportionato, trahitur, & illum puluerem momento organizat, & vitaliter mouet. Nutritio, & augmentatio fiunt per hoc, quod spiritus coniunctus corpori crasso proportionato, trahit alimentum, & vnit materię similem materiam crassam, ac spiritui similem spiritum. Hinc verò redditur ratio, cur viuentia solum nutriantur cadaueribus viuentium, quia in solis cadaueribus inueniunt proportionatam materiam crassam, & proportionatum spiritum &c. ergo cum in hac sententia omnia benè explicentur, est admittenda.

3. Videtur, quod possit positiuè ostendi animam esse corpus tenuissimum ex duobus, in quibus pręcipuè viuentia differunt à non viuentibus, ex motu nimirum, & sensu; & ex motu quidem sic. Anima est id, quod maximè, primoque mouet corpora crassa animalium, & plantarum; sed id, quod mouet aliud, prius mouet se ipsum, deinde per motum aliud impellit, & mouet, vt constat inductione, & probatur ex eo, quia nihil dat quod non habet, e. g. non calefacit quod non habet calorem in se; ergo nec mouet quod prius non habet motum in se ipso; ergo anima est aliquid mouens se ipsam, & sic deinde mouens, & impellens corpus; sed quod hoc pacto primo mouet se ipsum, deinde

deinde aliud impellit, est corpus; ergo anima est corpus quoddam subtile clausum intrà animalia, mouens se ipsum, ac per hoc impellens, & mouens animalia. Confirmatur, quia ad hoc, vt vnum moueat aliud, debet illud tangere; sed tangere est propium corporum; ergo vt anima moueat, debet esse corpus.

4. Videtur, quod ex sensu etiam, & cognitione colligatur animam esse quoddam corpus. Simile enim cognoscitur simili, ideoq; cognitio consistit in quadam similitudine cum obiecto cognito; sed per animam cognoscimus corpus; ergo anima est quoddam corpus. Hinc verò intulerunt antiqui, quod anima sit illud corpus, quod est principium omnium corporum. Sicut enim ex illo omnia fiunt, sic per illud omnia cognoscuntur. Et quia discreparunt antiqui in assignandis principijs; alij enim posuerunt ignem, alij aquam &c. ideò discreparunt etiam in assignando, quid sit anima, & alij dixerunt illam esse aquam, alij ignem &c.

Resp. quod vt inuestigemus essentiam, ac definitionem Animæ, debemus primo inuestigare genus ipsius, quęrendo, vtrum sit in genere corporis, vel in genere formę, & actus. Antiqui, quos sequuntur recentiores Atomistæ, non potentes eleuare intellectum ad cogitandum aliud, quàm

corpora, dixerunt, quod Anima est quoddam corpus tenuissimum, & spiritosissimũ, vel est multitudo corpusculorum, vel eorum dispositio, & harmonia. Quod Anima non sit multitudo corpusculorum, vel eorum dispositio, & harmonia, probatum est q. 4. Phys. ideò nunc solum est ostendendum, quod non sit corpus tenuissimum, vt explicatum est in primo, & secundo argumento. Probatur autem sic. Anima est id, per quod corpora animalium, & plantarum constituuntur viuentia, & apta ad exercendas operationes vitales; sed corpora animalium, & plantarum non constituuntur sic viuentia per coniunctionem localem cum corpore spiritoso, & tenui, sed per informationem alicuius formę substantialis; ergo &c. Minor probatur primo de animalibus, secundo de plantis. Modus enim, quo corpora animalium constituuntur viuentia in actu primo, est proportionalis modo, quo constituuntur viuentia in actu secundo, hoc est cognoscentia, sentientia, & appetentia; modus siquidem operandi, & cognoscendi proportionatur modo essendi; sed corpora animalium non possunt constitui formaliter cognoscentia, sentientia, & appetentia per coniunctionem localem cum corpore spiritoso, vel cum alio quocumque corpore; ergo neque possunt constitui

ſtitui cognoſcitiua, ſeu viuentia in actu primo, per talem coniunctionem. Confirmatur, & explicatur. Oculus enim non poteſt conſtitui formaliter videns totum hemiſphærium per coniunctionem localem cum vllo corpore, ſed vt ſit videns, debet in eo penetratiuè recipi viſio hemiſphærij, quę eſt forma quædam intentionalis, & vitalis valdè perfecta; ergo nec poteſt conſtitui formaliter viuens aut viſiuus per coniunctionem cum vllo corpore, ſed vt ſit viuens, debet in oculo eſſe Anima cognoſcitiua, quę ſit forma proportionalis ſuis actibus intentionalibus; ergo ſicut vniuerſim corpora animalium conſtituuntur viuentia vitam cognoſcitiuuam in actu ſecundo, non per coniunctionem corporum, ſed per receptionem actuum vitalium, & intentionalium, ità conſtituuntur viuentia in actu primo per receptionem Animæ, quę ſit forma informans proportionalis ſuis actibus intentionalibus. Hinc poteſt argumentum promoueri ad idem probandum de plantis. Nam modus, quo corpora plantarum viuunt in actu primo, proportionatur modo, quo viuunt in actu ſecundo; ſed viuunt in actu ſecundo non per hoc, quod coniungantur cum vllo corpore, ſed per hoc, quod exerceant, & penetratiuè recipiant ſuos motus vitales; ergo

viuunt in actu primo per hoc, quod recipiant Animam, quę sit forma informans. Adde argumenta, quibus quæst. 4. Phys. probatum est corpora inferiora esse corruptibilia; ergo etiam talis spiritus esset corruptibilis, adeòque generabilis; ergo constaret ex alia materia, & forma; ergo non saluatur, quod non producatur de nouo forma substantialis, & quod non penetretur cum materia. Addidi Animam esse formam substantialem. Ratio est, quia manifestum est viuentia in quantum viuentia esse substantiam; ergo non solum sunt substantia secundum materiam, quę potest esse viuens, vel non viuens, sed etiam secundum Animam, per quam constituuntur viuentia, ac proinde Anima est forma substantialis.

Ad primum. Licet mista inanimata componantur ex corpore crasso, & spiritu tenui, tamen ipse spiritus componitur vlterius ex materia, & forma penetratis. Adde specialem esse rationem, cur viuentia constituantur per Animam penetratã, vt explicatum est.

Ad 2. Vtcumque possint multa spectantia ad viuentia explicari per spiritum, adhuc requiritur Anima, quæ sit forma, ad hoc, vt vita actus primi proportionetur vitæ actus secundi. Licèt verò negetur Animam esse spiritum in sensu explicato,

cato, non tamen negatur dari in viuenti-
bus tenuissimum spiritum corporeum, qu
sit instrumentum animę in ordine ad o-
perationes vitales exercendas.

Ad 3. Falsum est, quod omne, quo
mouet aliud, prius moueatur. Vt enim
omittatur primum mouens, quod ità mo-
uet, vt sit omninò immobile, magnes tra-
hit ferrum, & tamen non mouetur. Rur-
sus etiamsi admittamus, quod omne cor-
pus mouens aliud corpus prius mouea-
tur, quàm moueat, tamen cum forma
mouet compositum, in quo est, non priu
mouetur, sed solum mouetur per acciden
per motum totius: e. g. dum grauitas mo-
uet lapidem deorsum, non prius mouetu
ipsa, sed solum mouetur per accidens a
motum lapidis; sed anima est forma, &
natura rerum animatarum; ergo ità mo-
uet res animatas, vt non moueatur prius,
sed moueatur per accidens ad motum il-
larum. Dum opponitur; nihil dat, quod
non habet, distinguo; nihil dat quod nul-
lo modo habet, concedo; nihil dat quod
non habet formaliter, sed habet æquiua-
lenter, nego. Sicut lux calefacit, & ta-
men non est calida formaliter, sed æqui-
ualenter, sic forma, quæ antequam mo-
ueatur, non habet motum formaliter, sed
habet ęquiualenter, potest mouere. Et sa-
nè argumentum soluendum est etiam a

Antiquis. Quo pacto enim Anima causat motum in se ipsa, si ante non habet talem motum? Ad confirmationem; vt vnum moueat aliud, debet illud tangere, vel contactu quantitatiuo, per quem eorum extrema sint simul, vel contactu virtutis, per quem virtus mouens sit indistans à mobili, vt dictum est quęst. 35; sed Anima licet non sit corpus, tangit corpus contactu virtutis perfectissimè, in quantum tota Anima, secundum totam suam virtutem, & essentiam est in corpore non solum penetratiuè, sed vt illud actuans; ergo potest corpus mouere. Debet autem aduerti, quod anima primo mouet, quia est primum determinans motum, cum materia, quę est altera pars animalis, secundum se sit purè determinabilis; totum animal primo mouetur, quia est subiectum primo receptiuum motus; Anima mouetur per accidens, quia recipit motum, inquantum est in animali, quod primo mouetur.

Ad quartum. Sententia Antiquorum in quantum docet Animam debere esse corpus, quia debet cognoscere corpus, cum simile cognoscatur simili, est vndique absurda, & contrà illam plura obijcit Aristoteles lib. 1. tex. 76. & sequentibus. Primo si Anima sit vnicum corpus, e. g. ignis, cognoscet quidem ignem, sed alia cor-

corpora non cognoſcet, ſi ſimile cognoſcitur ſolum per ſimile. Rurſus ſi ſit compoſita ex pluribus corporibus, cognoſcet quidem illa corpora, & illam compoſitionē, qua eſt compoſita, ſed alias compoſitiones quo pacto cognoſcet? E.g. quo pacto cognoſcet compoſitionem, qua fit aurum, argentum, & alia miſta, ſi non includit talem compoſitionem? Num vt cognoſcat omnes compoſitiones, debent eſſe in Anima omnes compoſitiones: vt cognoſcat lapidem, debet in Anima eſſe lapis? vt Anima hominis cognoſcat equum, debet in ſe habere equum? Præctereà cum anima ſit ſubſtantia, quo pacto cognoſcit accidentia. Adde, quod ſi Anima eſt vnum elementum, e. g. ignis, ſequitur, quod ignis ſentiat, & ſit animal, quod omnia miſta ſentiant, cum in omnibus ſit ignis, idemque valet proportionaliter, ſi Anima conſtat ex elementis.

Iam directè ad fundamentum Antiquorum reſpondeo diſtinguendo principium ab ipſis aſſumptum. Simile cognoſcitur ſimili ſecundum eſſe materiale, ac craſſum, nego; ſecundum eſſe intentionale, eleuatum à materia, & ſubtile, concedo. Simile non cognoſcitur alio ſimili ſecundum eſſe materiale, ac craſſum. Neque enim lapis cognoſcitur lapide, & aſinus aſino, ſed cognoſcitur ſimili ſecundum

eſſe

esse intentionale eleuatum à materia, & subtile: e. g. lapis materialis, ac crassus cognoscitur cognitione, quæ non est materialis, & crassa, sicut lapis. Immò non solum simile non cognoscitur simili secũdum esse materiale, sed cum obiectum ponitur in cognoscente secundum esse materiale, impedit cognitionem. Si enim albedo ponatur in oculo secundum esse materiale, quod habet in pariete, impedit visionem, ac destruit potentiam visiuam, obcæcando. In hoc verò principio, quod simile cognoscitur simili non secundum esse materiale, sed intentionale, & eleuatum à materia, fundatur tota doctrina de Anima cognoscitiua, & ex ea inferius inferetur cum Aristotele spiritualitas, & immortalitas Animæ rationalis.

Hinc incipit apparere, quid sit Anima cognoscitiua. Neque enim est actu, & secundum esse materiale aliquod corpus, vel omnia corpora, eo quod constet ex omnibus corporibus, vt dicebant Antiqui; sed Anima sensitiua est omnia sensibilia potentia, & secundum esse intentionale, eo quod possit recipere formas omnium sensibilium, non secundum esse materiale, sed secundum esse intentionale, & eleuatum à materia. Quare vt Aristoteles docet, Anima sensitiua est forma omnium formarum sensibilium, cum recipiat

piat in se omnes formas sensibiles secun
dum esse abstractum à proprijs materijs
Anima verò intellectiua, cum sit cogno
scitiua omnium, est forma omnium omni
nò formarum, eo pacto, quo manus est in
strumentum instrumentorum. Sicut enim
vt egregiè explicat post Aristotelem Ga
lenus lib. 1. de vsu partium, manus est in
strumentum instrumentorum, quia est in
stituta ad hunc finem, vt possit apprehen
dere omnia instrumenta, gladium, sclo
pum, hastam, malleum &c. ità vt per ap
prehensionem faciat quodammodo vnum
cum omnibus instrumētis, sic anima, quia
est instituta, vt possit apprehendere om
nes formas, faciendo quodammodo vnum
cum omnibus formis, est forma formarum
Ex his concluditur, quod licet Antiqu
errarint dicentes, quod simile cognosci-
tur simili, & quod anima est omnia cor
pora, adhuc aliqualiter veritatem attige-
runt. Verè enim simile cognoscitur si
mili, non secundum esse materiale, &
crassum, sed secundum esse intentionale,
& eleuatum à corpulentia, & crassitie ma-
teriæ; & anima est quodammodo omnia
corpora, potentia, non actu, & secundum
esse non materiale, sed intentionale. Sed
ignoratio distinctionis inter potentiam,
& actum, & esse materiale, & intentio-
nale, antiquis fuit causa errandi. Aristo-
teles

teles è conuerso per has distinctiones soluit penè omnes quæstiones.

QVAESTIO II.

Vtrum Anima benè definiatur actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis.

PRimo videtur, quod non omnis Anima sit actus. Actus enim separari nõ potest ab eo, cuius est actus: eo enim ipso, quod posset separari, posset actuare, & posset non actuare, atque adeò non esset actus, sed potentia actuandi, & non actuandi; sed Anima intellectiua, vt potè immortalis potest separari à corpore, & ab omni subiecto; ergo Anima intellectiua, non est actus vllius subiecti; ergo non omnis Anima est actus. Et confirmatur, nam Aristoteles tex. 11. lib. 2. docet Animam intellectiuam posse separari, & rationem affert, quia nullius corporis est actus.

2. Videtur, quod Anima non sit actus primus. Actus enim supponens in materia alium actum priorem, non est primus; sed Anima cum sit actus corporis organici,

ci, supponit in materia alium actum, quo materia constituitur corpus physicum organicum, qualis actus est forma substantialis corporeitatis, & organizatio accidentalis corporis; & cum actuet carnem, ossa, neruos &c, supponit materiam per formam carnis iam habentem esse carnis; per formam ossis iam habentem esse ossis &c. ergo non actus primus.

3. Videtur, quod non omnis Anima sit actus corporis organici. Corpus enim organicum est, in quo sunt partes heterogeneę, atque organa diuersa ad exercendas operationes vitales, eo pacto, quo in homine datur oculus ad videndum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum &c.; sed in corporibus plantarum non dantur diuersa organa, & instrumenta; ergo corpora plantarum non sunt organica; ergo Animę plantarum non sunt actus corporis organici, sed inorganici.

4. Videtur, quod Anima non sit actus corporis habentis vitam potentia. Corpus enim, cuius Anima est actus, per illud idem, qer quod est corpus, est actu viuum; sed corpus, quod per illud idem, per quod est corpus, est actu viuum, habet vitam actu, & non solum potentia; ergo Anima est actus corporis habentis vitam actu, & non solum potentia.

5. Videtur, quod allata definitio non sit

t quidditatiua, sed purè descriptiua. Definitio enim, in qua prius definitur per posterius, non est quidditatiua; sed in hac definitione anima, quę est finis corporis organici, seu instrumentalis, definitur per ipsum corpus, cum corpus ordinetur ad animam tamquam ipsius instrumentum; ergo &c.

6. Eiusdem rei non dantur plures definitiones; sicut enim vna res habet vnicam essentiam, sic habet vnicam definitionem; sed Aristoteles affert duas definitiones animæ; nam tex. 24. definit animam, *principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*; ergo alterutra saltem non est bona.

Resp. quod cum quæstione superiori determinatum sit genus animæ, ac dictum animam non esse corpus, sed actum substantialem corporis, reliquum est, vt animæ differentia quæratur, atque ex ipsa generi adiuncta integra definitio conficiatur. Porrò actus substantiales ordinantur ad hunc finem, vt constituant substantias determinatæ speciei, ac proinde differentiæ actuum substantialium desumuntur ex hoc, quod constituant differentes species substantiarum; sed est manifestum, quod anima ordinatur ad constituendam speciem corporis animati; ergo differentia animæ desumi debet ex hoc, quod sit con-

constitutiua corporis animati; sed corpus animatum est corpus Physicum, hoc est non artificiale, nec purè mathematicum; seu constitutum per hoc, quod habeat trinam dimensionem, sed naturale, & constitutum per hoc, vt habeat in se principium motus sensibilis: est etiam corpus organicum, hoc est non constans ex partibus merè homogeneis, ac similibus, vt aqua, sed constans ex partibus heterogeneis, ac dissimilibus, e.g. ex pede, capite, quæ partes sint organa exercendi varias operationes vitales; eo pacto, quo oculus est instrumentum videndi, aures audiendi; ac demum est corpus habens vitam potentia, hoc est aptum ad exercendas operationes vitales vegetatiuas, sensitiuas &c. ergo anima debet definiri actus primus, seù constitutiuus corporis physici organici potentia vitam habentis.

Ad 1. Potentia, quæ opponitur actui, est potentia, qua subiectum potest recipere actum, & per illum actuari; at potentia, qua aliquid potest recipi in subiecto, ipsũ actuando, verè est actus talis subiecti, licet non sit ipsa vltima actuatio; sed anima rationalis est potentia, vt ipsamet actuet materiam, & recipiatur in materia; ergo anima rationalis est actus, licet non sit ipsa vltima actuatio materię. Aristot. tex. 11. probat aliquam animam esse separa-

rabi-

rabilem, non quia ipsa nullius corporis sit actus, sed quia aliqua eius pars potentialis, seu potentia, nimirum intellectus, nullius corporis est actus. Verba ipsius sunt. *Nil tamen vetat quod aliquæ partium animæ sint separabiles, propterea quod corporis nullius sint actus.*

Ad 2. Actus potest sumi dupliciter, primo ità, vt comparetur cum subiecto, quod constituit; secundo vt comparetur cum subiecto, cui aduenit iam constituto; e. g. cum *dicitur albedo est actus albi*, comparatur cum albo, tanquam cum subiecto, quod constituit; cum verò dicitur, *albedo est actus niuis* comparatur cum subiecto, quod non constituit, sed supponit constitutum. Dum anima definitur actus corporis organici, sumitur actus in priori comparatione, & sensus est, *anima est actus primo constitutiuus corporis naturalis, cui debetur organizatio accidentalis.* Ratio est, quia forma substantialis debet definiri per id, ad quod ordinatur, tanquam ad finem; sed forma substantialis ordinatur ad constituendum totum; ergo debet definiri per totum, quod constituit, non autem per materiam, cui aduenit, cum materia non sit finis formæ, sed potius forma sit finis materiæ. Ex eo igitur, quod anima sit actus corporis, non sequitur, quod supponat in materia formam corporei-

poreitatis, cum per se ipsam constituat materiam corpus viuum. Ex eadem ratione non supponit in materia formam carnis, ossis &c. quia per se ipsam constituit materiam carnem viuam, ossa viua, & exigentia organizationem accidentalem carnis, ossis &c. vt magis explicabitur q. 7.

Ad 3. Ostendit Aristoteles tex. 6. quod etiam corpora plantarum sunt organica, per hæc verba. *Enimuerò partes quoque plantarum organa, seu instrumenta sine controuersia sunt, quamuis videantur penitus simplices esse: vt folium cooperimentum est fructiferi: fructiferum autem fructus; radices prætereà vicem subeunt oris; vtrisque namque trahitur alimentum.* Ex doctrina igitur Aristotelis dantur in plantis partes, atque organa proportionalia partibus, & organis animalium. Sicut enim in animali datur os, quod est organum, siue instrumentum ad sumendum cibum, sic in plantis dantur radices, quæ sunt organum, & instrumentum ad sumendum alimentum ex terra; sicut in pluribus animalibus dantur pili ad operiendas, ac muniendas partes, sic in plantis dantur folia ad protegendos fructus; sicut in animalibus caro tegitur cute duriore, sic in plantis lignum, quod est quasi caro plantarum, tegitur cortice: medulla datur in plantis, sicut in animalibus; succus plantarum correspondet san-guini



guini animalium, ideoque vinum est quasi sanguis vuæ, oleum quasi sanguis oliuæ: dantur etiam in plantis venulæ proportionales venis animalium; ergo &c.

Ad 4. Cum dicitur, quod anima est actus corporis habentis vitam potentia, intelligitur de vita actus secundi consistente in operationibus vitalibus, non autem de vita actus primi. Anima igitur est actus constitutiuus corporis habentis actu vitam actus primi per ipsam animam, & est actus corporis habentis potentia vitam actus secundi, seu operationes vitales.

Ad 5. Allata definitio non est purè descriptiua, sed quidditatiua. Cum enim essentia formæ substantialis consistat in hoc, quod ordinetur ad constituendum totum substantiale, quando definitur per totum, ad quod ordinatur, definitur quidditatiuè, & explicatur ipsius essentia. Hinc patet falsum esse, quod anima definiatur per aliquid posterius. Nam corpus animatum finis est animæ, ideoque prius anima saltem in intentione, licèt in alio genere sit posterius. Definitio verò, qua actus definitur per suum finem priorem in intentione, est quidditatiua, quia posterius definitur per prius absolutè. Cum enim ordo intentionis sit primus, & supponatur ab ordine executionis, quod est prius

in

in intentione, eſt prius abſolutè, ideoque ex Ariſtotele cauſa finalis, quę eſt prima in intentione, abſolutè eſt prima omnium cauſarum.

Ad 6. Certum eſt primo, quod ſicut vnius rei eſt vnica eſſentia, ità eſt vnica definitio obiectiua, cum definitio obiectiua ſit ipſa eſſentia rei. Certum eſt ſecundo, quod eadem eſſentia definiri poteſt pluribus definitionibus formalibus, differentibus per hoc, quod eandem eſſentiam obiectiuam exprimant clarius, aut minus clarè. Certum eſt 3. poſſe eandem rem definiri pluribus definitionibus, quarum vna ſit quidditatiua, & à priori per genus proximum, & per differentiam vltimam, & per finem, ad quem res ordinatur, altera non ſit quidditatiua, ſed deſcriptiua, & à poſteriori, per proprietates, & accidentia poſteriora re ſecundum ſuam naturam, & priora re ſolum quoad cognitionem noſtram. Cum igitur nos cognoſcamus ſubſtantiam per accidentia, definitio quidditatiua, & à priori explicans ipſam ſubſtantiam, & quidditatem debet explicari, ac demonſtrari à poſteriori per definitionem exprimentem accidentia. Ideò Ariſtoteles poſtquam attulit definitionem quidditatiuam animæ, affert ſecundam eius definitionem à poſteriori magis notam nobis,

ac

ac per illam explicat, ac demonstrat definitionē à priori minus notam nobis. Est autem definitio animæ à posteriori; *Anima est qua viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo*. Dixi illam esse à posteriori, quia explicat animam per actus viuendi, sentiendi, se mouendi, & intelligendi, qui sunt simpliciter posteriores anima, cum finis *qui* sit posterior fine *cui*, ad quem ordinatur. Est tamen hæc definitio per aliquid prius, & notius quo ad nos, quia nos viuentia dignoscimus à non viuentibus ex actibus vitalibus, quos exercent. Proposita hac definitione à posteriori, quæ notissima est nobis ex inductione, per illam demonstrat Aristoteles definitionem à priori sic. Anima est qua viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo; sed id, quo viuimus &c. non est corpus, sed est actus primus corporis organici potentia vitam habentis; ergo anima est actus primus &c. Dum porrò dicitur, quod Anima sit qua viuimus, & sentimus &c. non est sensus, quod anima in omnibus sit primum principium exercendi omnes quatuor operationes enumeratas; alioquin allata definitio conueniret solum animæ rationali; sed sensus est, quod anima est principium omnium istarum operationum iuxtà diuersos gradus animatorum, ità vt in ali-

quibus

quibus sit principium omnium quatuor, in aliquibus, vt in brutis trium; in alijs, vt in plantis vnius tantum, proportionaliter ac dictum est quæst. 12. phys. ad secundum de definitione naturæ. Talis autem acceptio particulæ copulatiuæ dicitur sumptio secundum distributionem accommodam.

QVAESTIO III.

Vtrum viuens bene definiatur, quod secundum suam naturam mouet se ipsum.

1 VIdetur, quod non requiratur ad essentiam viuentis, vt secundum suam naturam moueat se ipsum. Deus enim est perfectissimè viuens; sed Deus cum sit omninò immobilis, non mouet se ipsum; ergo &c.

2. Si dicatur, quod definitio debeat intelligi ità, vt sensus sit, *viuens est, quod habet à se suos motus, vel quomodocunque suos actus, & suas operationes, & non purè ab extrinseco,* & quia Deus habet à se suam intellectionem, & volitionem, & non ab extrinseco, ideò Deus est perfectissimè viuens: contrà est, quia sequeretur

tur, quod etiam ipsa Diuina æternitas, & immensitas, & ipsum esse Diuinum formaliter esset vita, cum hæc omnia Deus habeat à se, & non ab extrinseco. Confirmatur, quia Antiqui philosophi putarunt Cœlum esse ingenitum, & habere esse à se, & tamen negarunt, quod viuat; ergo.

3. Non solum animalia, sed etiam plantæ viuunt; sed plantæ non mouent se ipsas; ergo &c. Minor probatur: si enim mouerent se ipsas, maximè per nutritionem, qua conuertunt alimentum in suam substantiam, & per generationem, qua generant sibi simile; sed per nutritionem non mouent se ipsas, sed mouent alimentum, quod mutant in propriam substantiam; per generationem similiter non mutant se ipsas, sed materiam, ex qua generant sibi simile; ergo plantæ non mouent se ipsas.

4. Grauia, & leuia secundum suam naturam mouent se ipsa deorsum, aut sursum; sed multa grauia, & leuia, e. g. terra, ignis &c. non sunt viuentia; ergo. Confirmatur, quia omnes res mouent se ipsas ad naturales proprietates, e. g. sol producit in se suam lucem, ignis suum calorem, & cum sunt in statu maximè naturali, adhuc mouent se, suas propietates conseruando; ergo si ad vitam sufficit,

ficit, quod res moueant se ipsas, omnia viuunt.

5. Cœli secundum suam naturam perpetuo mouent se circulariter; sed cœli non sunt viuentes; ergo &c.

Respondeo, quod cum anima sit actus constitutiuus corporis potentia vitam habentis, non potest perfectè percipi definitio animæ, nisi intelligatur, quid sit viuens, & quid sit vita, tum in actu primo, tum in actu secundo. Porrò quid sit viuere inuestigandum est præcipuè in ijs, in quibus vita est magis manifesta; & quia, vt Aristoteles docet primo de plantis, cap. 1. vita est manifestior in animalibus, quàm in plantis, in animalibus inuestigandum est, quid sit vita, notando id, quo incipiente, cognoscimus, quod animal incipit viuere, & quo deficiente, cognoscimus, quod desinit viuere sed cognoscimus, quod animal incipit viuere ex eo, quod incipit se mouere motu dilatationis, ac constrictionis in respirando, vel alijs similibus motibus, iudicamus, quod tamdiu viuit, quandiu se mouet, cum verò desinit se mouere, dicimus, quod est mortuum, & non amplius viuit; ergo vita in actu primo est *per quam substantiæ primo sunt aptæ secundum suam naturam ad se mouendas per actus, ad quos non determinantur omninò à generante, sed deter-*

minant se ipsas secundum opportunitatem obiecti, etiam cum sunt in statu maximè naturali, & perfecto, vt magis patebit in resp. ad 4: vita in actu secundo est *motus, quo substantiæ secundum suam naturam mouent se ipsas*: viuentia verò sunt *substantiæ, quæ secundum suam naturam sunt aptæ ad se mouendum modo explicato*.

Iam motus dicitur multipliciter, ac plures sunt modi, quibus substantiæ se ipsas mouent, ac proinde ex diuersis modis se mouendi desumuntur variæ species vitæ, & plures gradus viuentium. Primo motus strictè sumptus est *actus imperfectus entis imperfecti, & in potentia, prout est imperfectum, & in potentia*: actus nimirum, qui ordinatur ad vlteriorem actum, ideoque non potest dari nisi in subiecto, quod per ipsum motum remanet in statu imperfecto, & in potentia ad vlteriorem actum, qualis est motus localis, alteratio &c. Motus enim localis est actus, quo mobile ordinatur ad recipiendum actum vlteriorem, nimirum vel vlteriorem motum, vel vbicationem permanentem; quod idem dic proportionaliter de alteratione. 2. motus latius sumptus *est actus etiam perfectus entis perfecti*, qui nimirum non ordinatur ad vlteriorem actum, & potest etiam dari in ente iam perfecto: talis motus est sentire, & intelligere. Sunt

enim

enim actus perfecti entis perfecti, cum intelligens non per hoc ipsum, quod intelligit, ordinetur ad actum vlteriorem. 3. motus etiam latius, & abstractius sumptus est actus, *quo substantia quomodolibet agit, & operatur immanenter, seu talis actus recipiatur in subiecto distincto, quod secundum se præcisè sit potentia ipsum recipiendi; seu non recipiatur in subiecto distincto*. In definitione viuentis motus sumitur latissimè, ità vt sensus sit: *viuens est, quod secundum suam naturam quomodolibet se ipsum agit, seu actu imperfecto, & ordinato ad actum vlteriorem, qui propriè est motus, seu actu perfecto, sed recepto in subiecto distincto, seu actu, qui non recipiatur in vllo subiecto.*

Sicut multiplex est motus, ità datur multiplex modus se ipsum mouendi, & agendi. Primus, & infimus modus se mouendi, & agendi est *per quem substantia se mouet ad finem, quem non intendit, per formam, quam non habet à se, sed purè ab extrinseco*. Hoc pacto se mouent plantæ per nutritionem, & augmentationem ad finem non intentum ab ipsis, sed ab auctore naturæ, per formam, hoc est animam, quam non habent à se, sed à generante, & ab Auctore naturæ, qui ità per animam agit, ac dirigit plantas ad motus, per quos tendunt ad finem præscriptum, sicut sagittarius per impulsum agit, ac di-

rigit sagittam ad scopum. Quia verò quę sic se mouent, valdè imperfectè se mouent, ac potius videntur moueri ab eo, quod finem intendit, & dat formam, per quam diriguntur ad finem, ideò valde imperfectè viuunt, ac vix, videntur viuere; ex quo oritur, vt vita plantarum sit imperfectissima, atque obscurissima, & constituat infimum gradum vitæ, quæ vix est vita.

Secundus modus se mouendi, & agendi est, *per quem substantia se mouet ad finem per formam à se acceptam, hoc est per cognitionem, quam non habet purè ab extrinseco, sed ita, vt non ordinet suos motus ad finem, cum non cognoscat proportionem inter finem, & ea, quæ conducunt ad finem, quam proportionem percipit ratio sola.* Hoc pacto se mouent bruta. Nam determinantur ad se mouendum non purè ab anima, quam accipiunt à generante, sed à cognitione sensus, quam habent etiam à se. Cum tamen careant ratione, nō præstituunt sibi finem, ad quem ordinent media, cùm sola ratio cognoscens proportionom inter finem, & media possit sibi finem præstituere, & ad illum ordinare media. Quæ sic se mouent, perfectius se mouent, quam plantæ, ideoquè participant secundum gradum vitę, qui est sensitiuus.

Tertius modus se mouendi est, *per quem sub-*

substantia se mouet ad finem à se intentum, & per formam, hoc est cognitionem à se acceptam, ità vt ordinet media ad finem. Hoc modo se mouent ea solum, quæ habent intellectum; et quia quæ hoc pacto se mouent, valde perfectè se mouent, ideò valde perfectè viuunt. Verum naturæ intellectiuæ creatæ adhuc deficiunt in pluribus à perfectissimo modo se mouendi, ideoque non attingunt perfectissimum gradum vitæ. Primo deficiunt, quia ità se agunt ad finem, vt simul agantur, & moueantur à fine; & quia habent finem distinctum, & extrinsecum, ità mouent se ipsas, vt simul moueantur ab alio extrinseco. 2. ità finem intendunt, vt à generante, seu creante extrinseco determinentur ad intentionem finis saltem vltimi; ergo ità se mouent ad finem, vt aliquo extrinseco determinante finem vltimum agantur ad finem 3. ità habent à se ipsis motus, quibus mouentur ad finem, vt simul accipiant à Deo tales motus, quippe qui concurrit ad omnes motus, & actiones causarum secundarum. 4. ità se agunt per formam, hoc est cognitionem à se acceptam, vt simu talem formam accipiant ab alio, hoc est ab obiecto, & à Deo. 5 demum non solum se agunt, ac mouent per cognitionem à se acceptam, sed etiam per naturam intelligentem acceptam purè ab extrin-

trinseco, hoc est à Deo; ergo ità se mouent, vt moueantur etiam ab extrinseco, atque adeò ità viuũt, vt imperfectè viuãt.

Quartus igitur, ac perfectissimus, & diuinus modus se agendi est, *per quem substantia ità se ipsam agit, vt à nullo alio agatur, quam à seipsa*. Hoc pacto se agit Deus. Nam primo ità intendit finem, vt à se ipso solum agatur ad finem intendendum. Licet enim moueatur à fine, cum tamen ipse sit suus finis, dum mouetur à fine, mouetur solum à se ipso. 2. Ità se agit intelligendo, & amando se ipsum, & alia, vt à nullo alio agatur, cum suam intellectionem habeat solum à se ipso, & à nullo alio obiecto formali moueatur, quam à sua essentia. 3. demum agit se ipsum per suam naturam, & cognitionem, tanquam per formam, quam naturam habet à se ipso, & à nullo alio; ergo perfectissimè agit se ipsum ad actus intellectus, ac voluntatis, ità vt à nullo alio agatur, atque adeò perfectissimè viuit.

Hunc perfectissimum gradum vitę diuinæ, per quem agit se ipsum ad omnes suos actus, & ad totum suum esse, & perfectionem, imitantur quantum possunt viuentia creata, quæ habent pro fine non solum vt habeant perfectiones, sed etiam vt habeant à se, & non purè ab extrinseco. Hinc est, vt plantæ, & animalia mini-

minimum substantiæ, ac molis accipiant à generante, & producantur in statu imperfectissimo, ac deinde totam penè substantiam, molem, ac perfectionem acquirant à se ipsis, dum per virtutes vitales se nutriunt, augent, organa perficiunt, & se ad statum perfectum perducunt. Animalia etiam sentiendo fiunt à se ipsis omnia sensibilia, intellectualia intelligendo fiunt omnia absolutè, vt sicut Deus est omnia à se ipso, sic etiam ipsa quodammodo sint omnia à se ipsis. Homo, quia solus inter animalia viuit vitam rationalem, quæ est magis Diuina, nascitur omninò nudus, & inermis, cùm cætera animalia nascantur vestita, & armata, vt per rationem, ac manus paret sibi vestes, & arma, ideòque illa habeat à se ipso, quæ bruta accipiunt à natura. Videmus etiã, quòd inter homines diuini censentur qui scientias, & artes acquirunt, non per disciplinam ab alijs, sed per inuentionem à se ipsis.

Ad 1. Deus, licet sit immobilis, & immutabilis, adhuc mouet se ipsum, non quidem motu proprio, qui solus opponitur immutabilitati, sed motu lato, & intentionali, inquantum agit saltem negatiuè seipsum ad suos actus intelligendi, & volendi, & ad totum suum esse, quod habet à se, & non ab extrinseco. Ideò

Deus perfectissimè viuit, immò est ipsa substantialis vita in actu secundo. Hinc est, vt Deus sicut dicit de se ipso, *Ego sum veritas*, quia est ipsa formalis intellectio; sic dicat *Ego sum vita*, quia est ipsum agere se ipsum ad totum suum esse. Substantiæ creatæ non possunt esse vita in actu secundo, seu actus vitalis. Nam actus vitalis debet esse à substantia viuente, & non purè ab extrinseco, cum sit actus, quo substantia agit se ipsam, & non purè agitur ab extrinseco; sed substantia eo ipso, quod est creata, est purè ab extrinseco, hoc est à generante, vel creante, non autem à se ipsa; ergo substantia creata non potest esse actus vitalis, potest substantia increata, quia est à se. Atque hinc reijcitur error Aristotelis, qui videtur docere Intelligentias, seu Angelos identificari cum sua intellectione. Nam omnis intellectio est actus vitalis; sed nulla substantia creata, vt potè purè ab extrinseco est actus vitalis; ergo Intelligentiæ creatæ non sunt sua intellectio; sed intelligunt per intellectionem distinctam. At fortasse Aristoteles putauit Intelligentias pendere à Deo solum, vt à causa finali, nec habere causam efficientem; ideòque potuit consequenter opinari, quod sint idem cum sua intellectione.

Ad

Ad 2. Certum est, quod omnia, quę sunt in Deo, identificantur cum Diuina essentia, & intellectione, quæ est vita Dei, atque adeò quod omnia, quæ sunt in Deo, sunt realiter vita Dei, ideòque creaturæ, in quantum sunt in Deo, sunt vita, iuxtà illud Ioannis 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* Dum opponitur; sequeretur, quod non solum realiter, sed formaliter omnia Dei prædicata, e. g. ęternitas, immensitas essent actus vitales, cum sint à se, nego sequelam. Posito enim, quod omnia Dei prędicata realiter sint actus vitales, dum quęritur, an aliqua Dei prædicata sint actus vitales etiam formaliter, vel non, sensus quæstionis est, an concipiantur per species, & ænigmata actuum creatorum vitalium, vel non vitalium; & quia diuina intellectio, & volitio concipiuntur per species intellectionis, ac volitionis creatæ, quæ sunt actus vitales; ideò diuina intellectio, & volitio sunt actus vitales etiam formaliter secundum rationem communem intellectionis, ac volitionis communis creatę, & increatæ. E conuerso, quia diuina ęternitas concipitur per species durationis creatæ, quę est perfectio non vitalis, diuina immensitas concipitur per species vbicationis creatę, idemque dic proportionaliter de diuina substantia, ac de di-

uino esse, ideò non sunt actus formaliter vitales, sed solum realiter, in quantum identificantur cum intellectione. Ad illud de Antiquis Philosophis, primo dico, quod plerique, qui putarunt Mundum, & Cœlum esse ingenita, putarunt etiam viuere. Secundo dico, quod licet ex eo, quod aliquid est à se, sequatur, quod agit se ipsum ad suum actum, atque adeò viuit, non tamen omnes aduertunt hanc necessariam consecutionem; ergo non est mirum, si aliqui ex antiquis illam non aduertentes simul censuerint cœlum esse à se, simul dixerint non viuere.

Ad 3. Certum est ex communi sententia Philosoph. Theol. & SS. Patrum plãtas propriè viuere. Et confirmatur ex Scriptura: nam S. Paulus 1. ad Corint. 16. ait *tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur*; ergo generatio plantarum, & frugum est viuificatio; corruptio seminis est mors; ergo tum planta, tum semen viuit. In Euangelio etiam Christus dicit, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*. Ideò S. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 2. *Hoc genus*, inquit, *rerum, quamuis sensum non habeat, potest mori, & occidi*, & adducit locum Psalm. 77. *Et occidit in grandine vineas eorum*, & etiam Dionysius lib. de Diuin. Nomin. cap. 6. ait, *Ex ipsa* (*hoc est ex vi-*

ta

ta Dei) & animalia, & omnes plantæ iuxta extremam vitæ harmoniam, vt viuant acceperunt.

Ad argumentum in contrarium nego, quod plantę per nutritionem, & generationem nõ moueant se ipsas. Nam quamuis plantæ per nutritionem moueant, alterent, ac transmutent alimentum, adhuc mouent etiam se ipsas, dilatando poros, vt alimentum intrà illos suscipiant, mouendo fibras, & alias partes, atque organa instituta ad alimentum diuidendum, & dispertiendum, proportionaliter ad id, quod accidit in animalibus, ac multos etiam similes motus exercent in generatione, dum semen producunt, & emittunt. Dum ergo dicitur, quod nutritio, & generatio sunt motus vitales, intelligitur de ipsis, non inquantum sunt motus transeuntes, ac recepti in alimento, & in materia, ex qua simile generatur, sed inquantum includunt dilatationem pororum, motum fibrarum, & alios similes, qui sunt motus immanentes, ac recepti in partibus plantę; eo pacto, quo ędificare, texere &c. sunt motus vitales, non inquantum sunt operationes transeuntes in externam materiam, sed inquantum includunt motum manuum, & aliarum corporis partium receptos in ędificante, ac texente. Addo, quod sicut licet

cet ſoli actus voluntatis ſint formaliter liberi, tamen etiam actus aliarum potentiarum, immò & actiones tranſeuntes in externam materiam ſunt liberę denominatiuè per denominationem ab actibus, à quibus procedunt, ſic licet in nutritione, ac generatione ſoli motus recepti in partibus plantæ ſint formaliter vitales, tamen denominatiuè etiam motus tranſeuntes in cibum, & in materiam geniti ſunt vitales per denominationem à motibus vitalibus, ex quibus oriuntur. Ex hac doctrina redditur ratio, propter quam licet ignis videatur nutriri ex oleo, vel cera, ac generare ſibi ſimile, non viuat; plantę verò viuant, dum nutriuntur, aut generant ſimile. Ratio eſt, quia dum flamma alitur oleo, non agit immanenter ſe ipſam, dilatando poros, vt intrà ſuſcipiat alimentum, & mouendo organa ad hunc finem inſtituta, ſed agit purè tranſeunter in oleum, aut aliud alimentum, ipſum tranſmutando: idemque dic de generatione, qua ignis generat ignem. Sed ſufficiat hæc iudicaſſe: plura enim dicentur ex profeſſo, dum agetur de vita vegetatiua q. 34.

Ad 4. Viuentia ſunt quæ ſecundum ſuam naturam mouent ſe ipſa, ità vt motus illis conueniat non purè, quia ſunt extrà naturalem diſpoſitionem, ſed tum maxi-

maximè, cum ſunt in naturali diſpoſitione. In hoc ſenſu grauia, & leuia non mouent ſe ipſa ſecundum ſuam naturam, nam ſolum ſe mouent, quando ſunt extrà locum naturalem, quando verò ſunt in loco naturali non amplius ſe mouent. E conuerſo vegetabilia, cum maximè obtinuerunt perfectionem ſuæ naturæ, ac diſpoſitionem naturalem, tum maximè ſe mouent motu nutritionis, & aptiſſima ſunt ad generandum ſibi ſimile, cum verò parum ſe mouent motu nutritionis, vel ſunt minus apta ad generandum, ſignum eſt, quod non ſint in naturali diſpoſitione, vel non habeant perfectionem ſuæ naturæ, & cum deſinunt nutriri, deſinunt viuere. Animalia ſimiliter, cum maximè ſunt in ſtatu perfecto, ſunt maximè apta ad ſe progreſſiuè mouendum, & ad ſentiendum. Intellectualia tum maximè ſe mouent ad operationes intelligendi, cum ſunt in ſtatu perfectiſſimo.

Ad confirmationem reſpondeo primo quod res non viuentes, licet agant ſe ad ſuas proprietates, poſitæ ſemel in diſpoſitione naturali, qua habent omnes ſuas proprietates, non amplius ſe mouent: e.g. Aqua calefacta, licet moueat ſe ipſam ad frigus, tamen poſtquam obtinuit frigus ſibi debitum, non amplius mouetur, ſed ceſſat ab omni motu, idemque dic de reliquis;

liquis; ergo non viuunt.

2. Resp. quod in definitione viuentis dictum est, quod viuens mouet, atque agit se ipsum per actus, ad quos non determinatur omninò à generante, sed determinat se ipsum secundum opportunitatem obiecti, etiam cum est in statu maximè naturali, ac perfecto. Et quia res determinantur omninò à generante ad producendas in se ipsis suas proprietates, e.g. sol ad producendum in se suam lucem, ideò per talem productionem non viuunt, cum non tam se moueant, ac determinent, quam moueantur à generante, & conseruante, qui dat determinationem ad motum, eo pacto, quo sagitta mouetur ad scopum à sagittario. E conuerso viuentia ex vi generationis, & conseruationis sunt indifferentia ad innumeros motus, etiam contrarios; e.g. planta est indifferens ad se mouendum sursum, deorsum, ad dexteram, ad sinistram, & ad omnes partes per innumeras lineas: ipsa verò secundum opportunitatem obiecti, hoc est alimenti mouet se deorsum, mittendo radices, sursum extollendo ramos, & in omnem partem, dilatando truncum. Animalia etiam mouent se ad loca contraria secundum opportunitatem obiectorum, & ad sensationes contrariorum, e.g. ad visionem albi, aut nigri &c. ergo mouent

se

se ipsa secundum opportunitatem obiectorum per motus, ad quos non determinantur omninò à generante, & conseruante. Nec obstat, quod Angeli viuunt, etiam per intellectionem suæ substantiæ, ad quam purè determinantur à generante, seu creante. Nam verè Angelus ex vi creationis est determinatus ad intelligendum plurima obiecta, ad quæ cognoscenda se ipsum determinat secundum eorum opportunitatem. Quia verò semper habet se ipsum præsentem, semper cognoscit se ipsum, determinans se ad cognitionem sui etiam in genere obiecti; ergo maiorem determinationem, quam habet Angelus ad intelligendum se ipsum, quam alia, non habet omninò ab extrinseco, sed ex eo, quod cum Angelus semper sit præsens sibi, semper determinat se ipsum etiam in genere obiecti ad se cognoscendum. Videtur autem hæc explicatio definitionis viuentis desumi posse ex Arist. 2. de Anima tex. 14. vbi sic habet. *Vnde & vegetabilia omnia videntur viuere. Videntur enim in se ipsis habere potentiam, & principium huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt secundum contraria loca. Non enim sursum quidem augentur, deorsum verò non: sed similiter in vtraque, & in omnem partem aluntur, & viuunt semper, quousque possunt accipere alimentum.*

Ad

Ad 5. Dictum est quæst. 7. de Cœlo, quod corpora cœlestia propter hoc ipsũ, quia non viuunt, non mouent se ipsa. Addo, quod si mouerent se, mouerent motu, ad quem omninò determinarentur à creante, & non se determinarent secundum opportunitatem obiecti, qui modus se mouendi fortasse non sufficit ad vitam.

QVAESTIO IV.

Vtrum omnes animæ sint eiusdem speciei.

VIdetur esse vera sententia Pythagoreorum, quod omnes animæ sint eiusdem speciei, atque adeò indifferentes ad informandum corpora organica specie diuersa, e. g. corpus hominis, leonis, leporis, muscæ &c. & sic possint etiam ex vno corpore transmigrare in aliud, ex corpore hominis in corpus leonis, aut muscæ: primo quia licet omnes animæ hominum sint eiusdem speciei, tamen propter differentiam indiuidualem corporum constituunt homines ità differentes in indole, moribus, ingenio, inclinationibus, vt videantur esse diuersę speciei; ergo licet omnes animæ animalium, & plantarum sint eiusdem speciei, tamen propter diuer-

diuersitatem specificam corporum organicorum constituunt animalia, vel plantas specie diuersas.

2. Animæ rationales eiusdem rationis propter diuersitatem indiuidualem corporum constituunt homines secundum indolem, mores, atque inclinationes leoninos, vulpinos, serpentinos &c. ergo animæ eiusdem rationis propter diuersitatem specificam corporis humani, leonini, ac serpentini poterunt constituere hominem leonem, & serpentem animalia specie diuersa.

3. Licet anima humana secundum se sit apta ad videndum, audiendum, & discurrendum, adhuc potest poni in corpore carente organo visus, & auditus, in quo numquam poterit videre, vel audire, & potest poni in stulto, qui propter læsionem organorum, numquam rectè discurret; ergo poterit poni in equo, in quo propter defectum organorum requisitorum ad operationes humanas non possit exercere operationes humanas, sed solum equinas, & in planta, in qua non possit sentire, sed solum vegetari,

Respondeo cum Aristotele contrà Pythagoram, quod tot sunt animæ specie diuersæ, quot sunt species animatorum. Probatur, quia artes, quæ sunt principia operationum, atque artificiatorum spe-

ſpecie differentium, ſpecie differunt, e.g. ſtatuaria, & pictoria ſunt artes ſpecie differentes, quia ſtatua, & pictura ſunt artificiata ſpecie differentia; ergo à fortiori animæ, quæ ſunt per ſe principia operationum ſpecie diuerſarum, ſpecie differunt; ſed anima leonis eſt principium ſolum operationum leoninarum, anima hominis humanarum, ità vt nec homo poſſit exercere operationes leoninas, nec leo humanas; ergo animę hominis, & leonis ſpecie differunt, non minus, quam ſpecie differant artes ſtatuarij, & pictoris.

Confirmatur, & explicatur, nam ineptè aliquis diceret, quod artes omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, ac differunt ſolùm, quia ſortitę ſunt diuerſa inſtrumenta, à quibus occaſionem ſumunt faciendi opera diuerſa; ergo ineptè etiam Pythagorici dixerunt animam hominis, leonis, ac formicæ differre ſolum per hoc, quod ſortitę ſint diuerſum corpus organicum, ſeu inſtrumentale, à quo occaſionem ſumit anima hominis exercendi operationes humanas, anima leonis operationes leoninas. Et ratio vtriuſque eſt, quia ideò potius diuerſis artibus diuerſa dātur inſtrumenta, quia ipſę ſunt diuerſę, & ad faciendas operationes diuerſas indigent diuerſis inſtrumentis, quam è conuerſo artes ſumant occaſionem faciendi diuerſas operatio-

rationes ab instrumentis diuersis; ergo similiter ideò animæ leonis datur corpus leoninum, non humanum, quia est apta ad exercendas operationes leoninas, non humanas, non è conuerso sumit occasionem exercendi operationes leoninas, vel humanas à corpore.

Confirmatur 2. quia si artes essent principia mouendi ad suas operationes instrumentum, quod ipsęmet informarent, nulla ars prudenter poneretur in instrumento inepto ad suas operationes exercendas, e. g. ars sonatoria imprudenter poneretur in telario, ac similiter imprudenter textrina poneretur in cithara; sed animę sunt principia mouendi ad suas vitales operationes instrumentum, seu corpus organicum, quod informant; ergo imprudenter anima hominis poneretur in corpore formicę, in quo non posset exercere operationes humanas &c. Audiatur Aristoteles 1. de anima tex. 53. ex quo desumpta est hęc ratio; *tamquam possibile sit secundum Pythagoricas fabulas quamlibet animam quodlibet corpus ingredi. Similiter namque dicit, atque si quis dicat fabrilem in fistulas ingredi. Oportet enim artem quidem vti instrumentis, sed animam corpore.*

Ad 1. Plura corpora humana melius, & deterius organizata differunt sicut plures citharæ melius, ac deterius harmoniza-

nizatę; ergo sicut non est absurdum, quod æquales citharædi sortiantur inæquales citharas, propter quas inæqualiter sonent, sed esset absurdum, si vni quidem citharædo daretur cithara, alteri forceps, aut aliud instrumentum per se ineptum ad sonandum, sic non est absurdum, quod animæ rationales secundum essentiam æquales sortiantur humana corpora inæqualia, propter quæ inæqualiter operentur; sed esset absurdum, si vni daretur corpus humanum, alteri equinum, quod est instrumentum per se ineptum ad exercendas operationes humanas. Si verò queratur ratio, cur vna quidem anima sortitur corpus bene organizatum, alia non, dico rationem esse, quia corpora organizantur à causis inferioribus defectuosis, atque habentibus plura contraria, à quibus possunt impediri, ne consequantur perfectionem operis sui.

Ad 2. ex eadem ratione, ex qua causę secundæ inferiores, vtpotè defectuosæ organizant corpus humanum modo melius, modo deterius, aliquando dant illi temperamentum melius, aliquando deterius, ac similius temperamento belluarum. Si igitur dent temperamentum accedens ad temperamentum leonis, inclinatur anima ad mores leoninos, si temperamentum simile temperamento bouis, aut asini

asini inclinatur ad mores bouinos, aut asininos; sed hoc non est absurdum, quia semper anima habet corpus organicum sufficiens ad exercendas operationes humanas cum minori, vel maiori similitudine ad mores huius, vel illius belluæ. At est absurdissimum, quod sortiatur corpus bouis, aut asini ineptum per se ad operationes humanas exercendas.

Ad 3. Concedo antec. & nego consequentiam. Disparitas est, quia corpus cęci, surdi, vel fatui sunt inepta ad videndum, audiendum, &c. solum per accidens, & præter intentionem agentis. Agens enim organizatiuum corporis per se intendit corpus perfectum, sed vtpotè defectuosum per accidens impeditur à perfectione operis sui, & organizat corpus imperfectum, ex quo sequitur, quod anima per accidens impediatur à suis operationibus. At corpus leonis, aut plantæ per se est ineptum ad humanas operationes; ergo animæ daretur corpus instrumentale per se ineptum ad suas operationes, & fieret aliquid simile, sicut si citharædo appetenti sonare, loco citharę daretur forceps.

QVAE-

QVAESTIO V.

Vtrum conuenienter assignentur tria genera animarum, quatuor gradus animatorum, & quinque genera potentiarum.

VIdetur 1. vera sententia Aegidij, & Caietani com. cap. 3. lib. 2. de Anima, quos refert Ruuius hic, quod incoherenter assignentur tres solum animæ genere diuersę, nimirum vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, & simul ponantur quatuor gradus animatorum, vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum. Animatum enim constituitur per animam; ergo tot sunt genera animatorum, quot animarum; ergo si genera animarum sunt solum tria, etiam genera, seu gradus animatorum sunt solum tria, vel si quatuor sunt genera, seu gradus animatorum, quatuor etiam erunt genera, seu gradus animarum. Et confirmatur, quia si loco motiuum est diuersum genus animati à sensitiuo, quod non est simul loco motiuum, etiam anima loco motiua est diuersũ genus à sensitiua, quæ non est loco

loco motiua ; vel ſi anima loco motiua non eſt diuerſa genere à ſenſitiua, nec loco motiuum erit diuerſus gradus à ſenſitiuo.

2. Videtur, quod genera animarum, & gradus animatorum debeant deſumi à generibns potentiarum ; ſed genera potentiarum enumerantur quinque ab Ariſtotele hic tex. 27. nimirum vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & intellectiuum ; ergo etiam quinque sũt genera animarũ, & gradus animatorũ.

3. Videtur, quod inconuenienter aſſignentur quinque genera potentiarum vitalium. Nam ſenſitiuum, & intellectiuum, conſtituunt duo genera potentiarum conuenientium in genere ſuperiori cognoſcitiui ; ergo etiam appetitus intellectiuus, & ſenſitiuus conſtituunt duo genera potentiarum conuenientium in genere ſuperiori appetitiui; ergo ſex ſunt genera potentiarum.

4. Videtur, quod inconuenienter intellectiuum aſſignetur vt genus potentiarum, & anima intellectiua vt genus animæ; Non enim eſt genus, quod eſt ſpecies ſpecialiſſima ; ſed anima intellectiua e. huiuſmodi, cum omnes animæ intellectiuæ ſint eiuſdem ſpeciei ; ergo anima intellectiua, ſeu intellectiua potentia non eſt genus.

Respondeo ex S. Thoma in comm. tex. 27. libri 2. de Anima, lectione quinta, & prima parte quæstione 78. ar. 1. genera animarum, gradus animatorum, & genera potentiarum ex diuersis capitibus desumi, ideoq esse tria genera animarum, quatuor gradus animatorum, & quinque genera potentiarum. Genera animarum desumuntur ex eo, quod anima, quæ est actus animati, tribuat animatis esse magis, aut minus materiale, & per hoc sit principium operationis magis, aut minus materialis: & quia tale esse, & talis operatio est triplex, ideò tria tantum sunt genera animarum. Prima, & infima est anima vegetatiua tribuens esse, & operationem omninò materialem. Tertia, & suprema est anima intellectiua tribuens esse, & operationem omninò immaterialem, ac spiritualem. Secunda, & media est anima sensitiua tribuens esse, & operationem aliqualiter mediam inter omninò materialem, & spiritualem. Esse vitale omninò materiale est, *per quod res est solum id quod est, & non aliud, & operatur purè ad hunc finem, vt conseruet, & augeat secundum indiuiduum, ac propaget secundum speciem illud esse, quod habet.* Hoc esse tribuit anima plantæ purè vegetatiua. Nam per illam planta est purè planta, & per operationes nutritiuas operatur purè, vt conseruet

ſeruet eſſe plantę; per augmentatiuas, vt illud augeat; per generatiuas, vt illud propaget ſecundum ſpeciem, & nullam exercet operationem, per quam acquirat aliud eſſe, quam plantæ. Eſſe omninò immateriale eſt, *per quod res non ſolum eſt id quod eſt, ſed eſt etiam quodammodo omnia alia, & operatur ad hunc finem, vt habeat eſſe etiam aliarum rerum, ſeparatum à materia, & à conditionibus materialibus, ac non receptum in organo materiali*. Tale eſſe tribuit anima intellectiua homini. Homo enim ità eſt homo, vt omnia intelligens ſit quodammodo cętera entia; intelligens equum ſit quodammodo equus &c. ac per operationes intellectiuas operatur ad hũc finem, vt fiat alia, & accipiat eſſe aliarum rerum, e. g. intelligendo equum operatur, vt accipiat eſſe, ſeu ſpeciem equi, non quidem receptam in materia, vel in organo materiali, ſed omninò ſeparatam à materia, & à conditionibus materialibus. Neque enim ſicut ad hoc, vt ſit equus à parte rei, requiritur, quod materia ſit ità diſpoſita per temperamentum primarum qualitatum, ſic ad hoc, vt homo recipiat ſpeciem, & eſſe intelligibile equi, requiritur idem temperamentum. Eſſe quodammodo medium inter omninò immateriale, & omninò materiale eſt, *per quod res ità eſt id quod eſt, vt ſit etiam quodammodo alia,*

non omnia, sed quædam, & operatur ad hunc finem, vt habeat etiam esse rerum aliarum, receptum quidem in organo materiali, sed non cum omnibus, conditionibus materialibus. Tale esse tribuit brutis anima purè sensitiua. Nam equus e. g. ità est id, quod est, vt sentiens sit quodammodo omnia sensibilia, non autem omnia absolutè; & per operationes sentiendi operatur ad hunc finem, vt recipiat esse omnium sensibilium receptum quidem in organo corporeo, sed non cum omnibus conditionibus materialibus.

Genera potentiarum desumuntnr ex ordinibus obiectorum, & operationum, per quas viuentia vel trahunt ad se obiecta, vel ipsa inclinantur, & trahuntur ad obiecta. Primum, & infimum genus est vegetatiuum, quod habet finaliter pro obiecto solum corpus animę vnitum. Nam per potentiam nutritiuam nutrit, & conseruat corpus animę vnitum; per generatiuam generat corpus animę vnitum; per augmentatiuam auget corpus animę vnitum. Secundum genus altius, & eleuatius est sensitiuum, quod habet pro obiecto, non solum corpus animę vnitum, sed etiam omnia corpora, & sensibilia.

Tertium, & supremum, atque eleuatissimum est intellectiuum, quod habet pro obiecto cuncta omninò entia, seu corporea,

rea, seu incorporea. Iam quia operans debet aliqualiter coniungi obiecto extrinseco, circà quod operatur, & est multiplex modus coniunctionis, datur multiplex modus operationis, & potentiarum versantium circà obiectum extrinsecum. Primus modus potentiarum est earum, quæ coniungunt obiectum extrinsecum sibi, trahentes illud ad se secundum suam similitudinem, & speciem. Hoc pacto potentia sensitiua coniungit sibi sensibilia extrinseca; potentia verò intellectiua coniungit sibi obiecta intelligibilia, trahens ad se eorum speciem, & similitudinem, adeòque hic modus diuiditur in duplex genus potentiarum, sensitiuum nimirum, & intellectiuum. Secundus modus potentiarum est earum, quibus anima coniungitur obiectis extrinsecis per modum cuiusdam inclinationis vitalis, qua inclinatur, ac trahitur ad obiecta extrinseca. Et quia dupliciter potest anima trahi ab obiectis extrinsecis; primo per modum simplicis inclinationis, qua inclinatur ad obiectum cognitum; secundo per modum operationis consequentis ad inclinationem, per quam operationem executiuè progreditur ad obiectum cognitum; ideò duplex est etiam genus potentiarum, nimirum appetitiuum, per quod inclinatur per modum simplicis inclina-

tionis ad obiectum cognitum;& loco motiuum, per quod inclinatur, & progreditur executiuè ad obiectum cognitum, ex appetitu se illi coniungendi;ergo vniuersim quinque sunt genera potentiarum, Vegetatiuum, Sensitiuum, Intellectiuum Appetitiuum, & Loco motiuum.

Confirmatur, & explicatur, reducendo diuisionem allatam ad membra contradictoria. Vel enim potentia habet pro obiecto solum corpus animæ vnitum, vel non: si solum corpus animę vnitum, est infimum genus vegetatiui. Si non solum corpus animæ vnitum, sed etiam res extrinsecas, vel respicit obiectum extrinsecum tanquam coniungens illud animę,& ad animam trahens secundum suam similitudinem; vel tanquam inclinans, & mouens animam ad coniunctionem cum obiecto. Si respicit tanquam coniungens obiectum animæ; vel respicit sola obiecta corporea, & sensibilia; vel vniuersaliter omnia etiam incorporea, & insensibilia. Si primum,constituitur genus sensitiui; si secundum,constituitur genus intellectiui. Si respicit obiectum, tanquam inclinans, & mouens animam ad illud; vel tamquam inclinans per modum simplicis inclinationis, ad obiectum cognitum, & est genus appetitiui; vel per modum operationis consequentis ad inclinationem, per

quam

quam executiuè progreditur ad obiectum cognitum, & desideratum, & est potentia secundum locum motiua, per quam animal progreditur ad obiectum cognitum, & desideratum; ergo.

Gradus animatorum, seu corporum viuentium desumuntur ex eo, quod corpora animata habeant vnum, aut plures ex quinque potentijs vitalibus enumeratis. Primus igitur, & infimus gradus est plantarum, quæ habent solum potentias vegetatiuas. Secundus est animalium imperfectorum, quæ vocantur Zoophyta, seu plantæ animalia, quæ vltra potentias vegetatiuas, habent etiam sensitiuam, & appetitiuam, sed non motiuam secundum locum; cuiusmodi sunt quædam Ostrea, Spongię, Hurticę, & alia animalia saxis affixa; licet de quibusdam ex his dubitetur, an sint puræ plantæ, de aliis an habeant aliquem motum progressiuum. Tertius est brutorum perfectorum, quæ habent etiam potentiam loco motiuam. Quartus, & supremus est animal perfectissimum, hoc est homo, qui habet simul omnia quinque genera potentiarum. Si verò quæratur, cur quędam animalia habeant potentiam motiuam secundum locum, quędam non: respondeo ex S. Thoma, & Aristotele rationem esse, quia quędam animalia, e. g. Equus, Leo mul-

tis indigent ad vitam conſeruandam, quę nequeunt inueniri in vnico loco; ergo debent habere potentiam progrediendi ab vno loco in alium, vt poſſint inuenire necessaria ad vitam. E conueſo Zoophyta, vt oſtrea, paucis indigent ad vitam, & quę poſſint inueniri in loco, in quo naſcuntur; ergo debent eſſe affixa loco, in quo naſcuntur.

Quatuor gradus aſſignati ordinantur ſicut ſpecies numerorum, & figurarum. Sicut enim vnum, duo, tria, & quatuor ità ordinantur, vt vnum non ſupponat, neque includat duo, ſed è conuerſo duo includant vnum, & tria vnum, & duo, & quatuor vnum, duo, & tria; & ſicut figurę trilaterę, quadrilaterę, & quinquelaterę ità ordinantur, vt trilatera non includat quadrilateram, ſed in quadrilatera includatur, cum in quadrilatero ſit etiam trilaterum, & ſimiliter quadrilaterum includitur in quinquelatero; ſic plantę habent ſolam potentiam vegetatiuam, alias potentias non habent, neque ſupponunt; Zoophyta habent ſimul potentias vegetatiuas, ſenſitiuas, & appetitiuas; bruta perfecta includunt etiam motiuam ſecundum locum; animal perfectiſſimum, hoc eſt homo habet omnes quinque potentias. Proportionaliter ſe habent ipſa quinque genera potentiarum. Vegetatiuũ enim

enim non ſupponit, nec includit ſenſitiuum, ſed ſine ſenſitiuo inuenitur in plantis; ſenſitiuum ſupponit vegetatiuum, cum nihil poſſit eſſe ſenſitiuum, quin ſit vegetabile. Senſitiuum non ſupponit loco motiuum, ſed ſine illo inuenitur in Zophytis; at loco motiuum ſupponit ſenſitiuum, cum nulllum animatum poſſit eſſe progreſſiuum, quin ſit ſenſitiuum. Intellectiuum demum ſupponit omnes alias potentias, cum inueniri nequeat in vllo animato ſine illis, & à nulla ſupponitur, cum omnes aliæ potentię in brutis inueniantur ſine intellectiuo.

Ad primum. Concedimus, quod quot ſunt genera animarum, tot ſunt genera animatorum; quot gradus animatorum, tot gradus animarum &c. ſed ſolum negamus, quod tot ſint gradus, quot genera; cum gradus, & genera ſumantur à diuerſis, vt explicatum eſt.

Ad ſecundum. Nego quod genera, & gradus deſumi debeant ex generibus potentiarum, cum in eodem genere, & gradu poſſint inueniri plura, & etiam omnia genera potentiarum, eo pacto, quo in genere, & gradu intellectiui inueniuntur omnia quinque; in gradu plantę vnicum. Si verò quæratur ratio, cur non detur gradus, in quo ſint duo tantum genera potentiarum, nimirum vegetati-

tatiuum, & ſenſitiuum; reſpondet Ariſtoteles tex. 27. rationem eſſe, quia gradus ſenſitiui non poteſt eſſe ſine appetitiuo. Probat 1. quia omnia animalia habent ad minimum ſenſum tactus; ſed per tactum poſſunt percipere obiecta conuenientia, & conſeruatiua, & obiecta diſconuenientia, & corruptiua, cuiuſmodi ſunt calida, frigida, humida, & ſicca; tactus enim eſt ſenſus talium obiectorum: obiecta verò conuenientia, & conſeruatiua, eo ipſo ſunt delectabilia, & iucunda; obiecta diſconuenientia, & corruptiua eo ipſo ſunt moleſta, & dolorifera; ergo omnia animalia poſſunt percipere obiecta iucunda, & dolorifera; ſed ad perceptionem iucundi ſequitur delectatio, ad perceptionē moleſti ſequitur dolor; ergo omnia animalia poſſunt delectari, & dolere; ſed ſi poſſunt delectari, & dolere, poſſunt appetere iucunda, & refugere à moleſtis; ergo omnia animalia habent appetitum, quo appetant iucunda, & fugiant moleſta, qui vocatur appetitus cōcupiſcibilis, ſeu concupiſcentia, cum iraſcibilis ſit, quo animal reſiſtit impugnantibus, quæ conuenientia impediunt, & inferunt nociua. Secundo probat, quia cum animal indigeat alimento ad vitam conſeruandam, ad minimum habet ſenſum perceptiuum,

ac

ac discretiuum alimenti conuenientis; sed omnia viuentia aluntur per se ex calidis, & frigidis, siccis, atque humidis; cum ex ipsis constent, & iisdem nutriantur, ex quibus constant: coloratis autem, sonoris, Sapidis &c. aluntur solum per accidens, quandoquidem colores, ac soni per se nihil conferunt ad alendum; sapores verò solum sunt condimenta alimēti allectiua animalis ad id sumendum; ergo omnia animalia habent sensum perceptiuum; ac discretiuum calidorum, & frigidorum, humidorum, & siccorum; sed hic sensus est tactus; ergo omnia animalia habent tactum; sed ad sensum perceptiuum alimenti sequitur etiam fames, ac sitis, quæ consistunt in appetitu alimenti: fames enim est *appetitus calidi, & sicci*: sitis est *appetitus frigidi, & humidi*; ergo in omnibus animalibus datur appetitus, ac proinde sensitiuum in nullo inuenitur sine appetitiuo.

Ad tertium. Sensitiuum, & intellectiuum poni debent, vt diuersa genera potentiarum, quia est explicanda differentia eorum consistens in hoc, vt sensitiuum habeat obiectum non omninò commune, intellectiuum habeat obiectum omninò commune, & vniuersale. At explicata semel hac differentia intellectiui à sensitiuo, appetitus sensitiuus non

debet poni tanquam diuersum genus ab intellectiuo, quia per hoc non explicatur noua differentia, quæ non sit virtualiter explicata, assignando differentiam intellectiui à sensitiuo, sed eadem proportionaliter replicaretur, frustrà multiplicando membra diuisionis.

Ad quartum. Dum enumerantur genera potentiarum, & animarum, non enumerantur genera logica, cum proculdubio anima rationalis non sit genus logicum, sed species specialissima. Enumerantur igitur solum genera latius sumpta, hoc est ordines animarum, & potentiarum, abstrahendo ab hoc, quod sint genus logicum, vel non.

QVAESTIO VI.

Vtrum in eodem viuente sint actu simul plures animæ.

VIdetur 1. vera sententia Platonis in Timęo, & etiam lib. 4. & 9. de Rep. quod in homine dentur tres animę, discursiua, irascibilis, & concupiscibilis, non solùm distinctę, sed etiam subiecto, & loco separatæ, ità vt discursiua, quę est princeps, resideat in cerebro, tanquam in arce; concupiscibilis in hepate, irascibi-

scibilis in corde. 1. quia in Ciuitate, vel Regno bene ordinato requiruntur tres hominum classes: Quæstuosa complectens mercatores, & artifices prouidentes ea, quæ sunt ad vitam opportuna; militaris ad expellendos hostes, & consularis, seu senatoria complectens magistratus ad rempublicam gubernandam; sed vnumquodque animal, ac pręcipuè homo, est parua quædam ciuitas, aut regnum; ergo dantur in homine tres animę, concupiscibilis correspondens quæstuosæ, quæ tota versatur in procurandis commodis animalis; irascibilis correspondens militari, cuius munus est contrà impugnatores insurgere; discursiua correspondens magistratibus, cuius munus est totum animal gubernare. Proportionaliter in brutis dantur tres animæ, cum loco discursiuæ detur cognoscitiua sine discursu, saltem perfecto; sed eo ipso, quod dentur istæ tres animæ, resident in tribus præcipuis partibus animalis, capite nimirum, seu cerebro, hepate, & corde, vt ex anatomia putat se demonstrare contrà Aristotelem Galen. lib. 31. de placitis Hippocratis, & Platonis; nam constat cuncta membra animalis per neruos à cerebro trahere virtutem sensitiuam, seu animalem, quam cerebrum non habet aliunde, sed à se ipso; ergo anima

cogno-

cognoſcitiua reſidet in cerebro, tanquam in regia; conſtat etiam omnia membra ab hepate per venas trahere alimentum, ac velut annonam ſanguinis, & humorum, quibus nutriuntur; ergo concupiſcibilis, ac nutritiua prouidens annonam reſidet in hepate, tanquam in officina; conſtat demum omnia membra à corde trahere calorem, & ſpiritus vitales, ac vim operandi, & reſiſtendi contrarijs; ergo iraſcibilis, ac quaſi militaris reſidet in corde, tanquam in arce munitiſſima.

2. Vt argumentatur Plato, experimur in nobis bellum inteſtinum, & vt S. Paulus dicit, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: cui conſonat Poeta canens, *aliudque cupido, mens aliud ſuadet*; ſed bellum non poteſt eſſe eiuſdem cum ſe ipſo; ergo dantur in nobis plures animæ belligerantes; concupiſcibilis nimirum, quæ dicitur etiam pars inferior, pugnans cum rationali, quæ dicitur pars ſuperior. Huc etiam ſpectat rebellio adeò decantata carnis à ſpiritu, ſeu animæ carnalis à ſpirituali.

3. Videtur vera ſententia Auerrois 3. de Anima, comm. 5. & quorundam aliorum, quod dentur in animali plures animæ, non quidem loco, ac ſubiecto ſeiunctæ, ſed penetratę in eodem corpore animalis. Vt enim Ariſtoteles docet 2.

de

de Gen. Animal. cap. 3. fætus, siue embryo prius animatur anima vegetatiua, deinde sensitiua, ac demum rationali: *non enim simul*, inquit, *& animal fit & homo, nec animal, & equus; eademque in cæteris animalibus ratio est*; sed istę tres animæ debent simul remanere in materia: non enim sunt oppositæ, & nisi remanerent, frustrà fuissent productæ; ergo &c.

4. Cum homo generat hominem, educit ex potentia materię virtute seminis animam vegetatiuam, & sensitiuam; sicut enim alia animalia dum generant simile, educunt aliquam animam ex potentia materię, sic homo, cum non careat hac virtute; sed animam rationalem non educit ex potentia materię, vt etiam Aristot. docuit 2. de gener. animal. c. 3. ergo &c.

5. Ea, de quibus verificantur contradictoria, non identificantur; sed de anima sensitiua hominis, & de intellectiua verificantur contradictoria; nam sensitiua est materialis, mortalis, corruptibilis, atque inseparabilis à materia: intellectiua est immaterialis, immortalis, incorruptibilis, atque à materia separabilis: ergo &c.

6. Si anima intellectiua hominis identificaretur cum sensitiua, & vegetatiua, post mortem remaneret etiam anima sensitiua,

ſitiua, ac vegetatiua hominis; hoc autem eſt abſurdum. Fruſtrà enim darentur, cum nullas operationes ſentiendi, ac vegetandi poſſent exercere ſine corpore, & ſine organo corporeo.

7. Diuerſitas formarum colligitur ex diuerſitate operationum; ſed in homine aliæ ſunt operationes ſentiendi, aliæ vegetandi, aliç intelligendi; ergo &c.

8. Videtur vera ſententia, vel potius error Manichæorum relatus à S. Auguſt. lib. 6. contrà Fauſtum cap. 8. & alibi, quod in homine ſit duplex anima rationalis, altera bona à bono Deo producta ex quadam particula propriæ ſubſtantię; altera mala à malo Deo producta, quæ inuicem pugnent. Eſt enim impoſſibile, quod eadem anima ſit bona ſimul, & mala, inclinetur ad bonum, & ad malum per oppoſitas inclinationes; ſed nos experimur oppoſitas inclinationes ad bonum, & malum; ergo dantur in nobis duæ animę intellectiuæ, cum etiam mala intelligens bonum rationis auerſetur illud.

Reſp. ac 1. dico cum Ariſtotele, & S. T. 1. parte q. 76. ar. 9. alijſque communiter contrà Platonem, & Galenum ratiocinatiuam, & vniuerſaliter cognoſcitiuam, concupiſcibilem, & iraſcibilem non eſſe tres animas diſtinctas, multo mi-

minus loco, aç subiecto seiunctas. Ratio est, quia concupiscibilis non potest appetere iucunda, & refugere molesta, quin illa cognoscat; ergo ipsa anima concupiscibilis est cognoscitiua, alioquin concupisceret bonum incognitum. Rursus irascibilis non potest irasci, & pugnare, nisi concupiscat bonum, pro quo pugnat, alioquin irasceretur, & pugnaret propter bonum, quod non concupiscit; ergo anima irascibilis est, simul concupiscibilis, & cognoscitiua. Hinc est, vt omnis appetitus oriatur ex cognitione, & omnes passiones irascibilis initium habeant ab aliqua passione concupiscibilis, & ipsa terminentur, vt S. Th. docet in com. tom.42.lib.3. de Anim. Ira enim e.g. quæ est passio irascibilis, incipit à tristitia propter contemptum, & terminatur delectatione de vindicta. Tristitia autem, & delectatio sunt passiones concupiscibiles. Hinc etiam oritur, quod quia bruta concupiscunt sola delectabilia, pugnent, & irascantur propter sola delectabilia gustus & tactus, vt docet Aristoteles lib.6. de Hist. Anim. c.18. sicut propter hæc eadem pleręque rixę oriuntur inter homines brutales. Cum igitur eadem anima debeat esse simul irascibilis, concupiscibilis, & cognoscitiua, non possunt esse tres animæ: alioquin

ani-

anima illa, quę cognosceret bonum, non appeteret bonum; illa, quę appetit, non cognosceret; illa, quæ pugnat propter bonum, non cognosceret, nec concupisceret tale bonum; quæ concupiscit, non irasceretur, neque pugnaret pro bono concupito, quæ manifestè sunt absurda. A fortiori patet, quod in animali non possunt esse tres animæ, loco, ac subiecto distinctæ. Est enim adhuc absurdius, quod quia Anima, quę est in capite, cognoscit bonum, illa, quæ est in hepate distante à capite, concupiscat bonum à se incognitum. Quare ad summum cognoscitiua, concupiscibilis, & irascibilis possunt esse tres potentię eiusdem animæ receptæ in diuersa parte corporis.

Dico 2. Vniuersim in vnico animali, datur vnica anima. Probatur, quia si in animali darentur plures animę, non esset vnum animal simpliciter. *Vnum* enim ens simpliciter est, quod habet vnũ esse; sed si animal haberet plures animas, vel plures formas, haberet plura esse; ergo non esset vnum simpliciter. Confirmatur 1. quia sicut homo albus, musicus, non est vnum ens simpliciter, sed solum per accidens, quia per diuersam formam constituitur homo, per diuersam constituitur albus &c. sic homo, animal, viuum, non esset vnum ens simpliciter, quia

per

per vnam animam cõſtitueretur animal, per aliam conſtitueretur homo. Confirmatur 2. quia experimur, quod nos ijdē, qui ſentimus, intelligimus, ac diſcurrimus,& ad diſcurrendum iuuamur ex memoria & inductione eorum, quę ſentiendo percipimus. Quo pacto verò ijdem verè ſentimus, intelligimus, ac diſcurrimus, & ad diſcurrendum iuuamur ſenſibus, ſi diuerſa eſt anima ſenſitiua, ac intelligens. Neque dicas, quod quia eidem materiæ eſt vnita anima ſentiens, & intelligens, poteſt anima intelligens ad diſcurrendum iuuari ijs, quæ percipit anima ſentiens: nam nullum cognoſcitiuum iuuatur, ac dirigitur immediatè à cognitionibus, quibus ipſum non cognouit. Non igitur plures animæ conſtituunt vnum animal, quia ſunt in eadem materia, ſed è conuerſo plures partes materię conſtituunt vnum animal, quia habent vnam, & eandem animam: e. g. oculus, & auris conſtituunt vnum animal, quia habent vnam animam,quæ eadem videt per oculum, & audit per aurem,tanquam per ſuum inſtrumentum.

3. Confirmatur, quia ſi darentur plures animę in eadem parte materię, e. g. vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, ſola vegetatiua eſſet forma ſubſtantialis, cum daret materiæ primum eſſe; ſenſitiua verò,

rò, & rationalis essent formę accidentales, cum darent esse secundum supponens primum esse. Ideò Sanctus Thomas docet, in sententia Platonis, qui dicebat animam rationalem vniri corpori vt motorem, posse dari plures animas; non autem in sententia Aristotelis dicentis animam vniri corpori, vt formam. Eo enim ipso, quod anima rationalis supponeret in materia animam priorem, esset forma accidentalis.

4. Demum confirmatur à posteriori ex signo: nam vna operatio animæ si sit intensa impedit aliam. Cum enim valdè aliquis est occupatus in operationibus sensus, impeditur ab operationibus intelligendi; sed hoc non contingeret, nisi anima esset vna, quę cum totis viribus incumbit in vnam operationem, impeditur ab alia; ergo anima est vna.

Ex his fundamentis vnicam in homine, & animalibus animam posuit Aristoteles 2. de Anima tex. 31. per hæc verba. *Semper in eo, quod est consequenter, est potentia, quod est prius, & in figuris, & in animatis; vt in quadrato quidem triangulus est, in sensitiuo autem vegetatiuum*; ergo sicut in quadrato non sunt duæ figuræ, nimirum quadratum, & triangulum contradistinctum à quadrato, sed est vnica figura habens quatuor angulos, quæ proinde continet

tinet perfectionem trianguli, hoc est figurę habentis tres tantum angulos; sic in animali non datur duplex anima contradistincta, vegetatiua nimirum, & sensitiua, sed datur vnica anima, quę cum sit vegetatiua simul, & sensitiua, continet in sua perfectione vegetatiuam; in homine datur vnica Anima, quæ cum sit vegatatiua, & rationalis, continet vegetatiuam, & sensitiuam. Aristotelem sequuntur scholastici pene omnes.

Ad 1. Vnumquodque animal, ac præsertim homo est veluti parua Ciuitas, aut Regnum, ità tamen vt Ciuitas, ac Regnũ sit vnum solum per accidens, at animal sit vnum per se. Quia igitur Ciuitas est vnũ per accidens, non constituitur per vnicã animam ciuitatis, sed per plures homines per accidens congregatos, ac conspirantes ad vnum finem boni communis. At quia animal est vnum per se, constituitur per vnam animam informantem totum corpus, atque ordinantem omnes partes corporis per varias operationes ad bonũ totius animalis. Rursus sicut in ciuitate, quę est vnum per accidens, dantur illę tres partes, quæstuosa &c. sic in animali, quod est vnum per se, dantur diuersæ potentię vnius animę, cognoscitiua, irascibilis, & concupiscibilis. Ad seruandam igitur præcisè debitam proportionem

inter

inter animam, & ciuitatem, non requiritur multiplicitas animarũ, sed sufficit, quod in anima detur vis cognoscitiua, concupiscibilis, & irascibilis, seu tales vires distinguantur inter se, & ab anima, seu identificentur inuicem, & cum anima.

Ad Argumentum Galeni dico, quod non probat dari diuersas animas, sed solum diuersas officinas, in quibus vna, & eadem anima fabricatur varia instrumenta deseruientia varijs operationibus vitalibus. Prima officina est caput, intrà quod est cerebrum, in quo anima fabricatur spiritus animales, hoc est corpuscula quędam tenuissima, quę deinde per neruos redicatos in cerebro mittuntur ad omnia membra, ac deseruiunt operationibus sentiendi. Secunda officina est thorax, intrà quem est cor, in quo anima fabricatur spiritus vitales deseruientes præsertim motui, illosq; per arterias diffundit in totum corpus. Tertia officina est hepar, seu iecur, in quo fit sãguis deseruiens nutritioni, qui deinde per venas habẽtes originem in hepate subministratur omnibus membris corporis, vt melius explicabitur inferius.

Ad secundum, distinguo maiorem; experimur intestinum bellum animarum, nego; intestinum bellum obiectorum, & inclinationum, concedo; concedo minorem;

rem; & nego consequantiam. Sicut cum quis trahitur à duobus in partes oppositas, ab vno ad dexteram, ab alio ad sinistram, experitur in suo corpore pugnam contrariarum tractionum, sic cum animus à bonis oppositis trahitur ad contrarias inclinationes, e. g. à bono virtutis trahitur ad electionem honesti, & à bono voluntatis trahitur ad electionem iucundi contrarij honesto, experitur in se pugnam contrariarum inclinationum, & obiectorum; & sicut corpus, quod trahitur in partes contrarias, est vnum, sed sunt plura, & contraria trahentia, & etiam tractiones; sic anima, quæ trahitur, est vnica, sed bona trahentia sunt plura, & contraria, & etiam inclinationes sunt plures, & contrariæ; ergo non infertur, quod dentur in nobis plures animæ contrariæ. Hinc si quis vrgeat; non possunt in vnica anima dari simul inclinationes, & actus contrarij &c. distinguo, efficaces, concedo; inefficaces, nego. Sicut idem corpus non potest efficaciter trahi simul ad dexteram, & ad sinistram, ita vt moueatur simul in vtramque partem, potest tamen inefficaciter trahi, ità vt ad neutram moueatur, vel efficaciter ad vnam, inefficaciter ad aliam; ità vt ad vnam moueatur, ad alteram non; sic vnà anima potest inefficaciter trahi ad electiones contrarias

rias

rias honesti, & iucundi e. g. ità vt neutrum, aut alterum tantum efficaciter eligat, sed non potest efficaciter trahi simul ad electionem contrariorum, ità vt eligat simul contraria. Hinc patet, quid sint duę illę leges membrorum, & mentis, quas S. Paulus experiebatur in semetipso pugnantes. Lex membrorum sunt *dictamina proponentia electionem bonorum inferiorum, e. g. diuitiarum, honorum, voluptatum, & ad ipsa inclinantia contrà præsciptum rationis.* Lex mentis, ac spiritus sunt *dictamina proponentia electionem boni honesti, ac supremi, & ad ipsum inclinantia cum contemptu inferiorum.* In idem recidit diuisio partis superioris, ac inferioris, carnis, ac spiritus, cupidinis, ac mentis, seu rationis. Debet autem aduerti, quod pugna partis superioris cum inferiori data fuit etiam in Angelis, dum fuerunt uiatores, quia habuerunt contrarias inclinationes ortas ex dictaminibus proponentibus bona inferiora, ac superiora. In hominibus tamen pręter pugnam partis superioris cum inferiori, datur in aliquo alio sensu pugna carnis, ac spiritus, inquantum datur inclinatio vehementissima ad voluntates sensibiles, & carnales, quę inclinatio non datur in Angelis, & in quantum in homiue datur potentia sensitiua proponens sola bona sensibilia, & ad illa inclinans

clinans per appetitum sensitiuum, quę potentia in Angelis non dabatur. Hic appetitus sensitiuus in statu innocentię erat subditus rationi, sicut ratio erat obediens Deo, quia poterat ratio pro libito impedire motus appetitus sensitiui. At postquam per peccatum Adę ratio facta est rebellis Deo, appetitus sensitiuus factus est rebellis rationi, quia iam non est in potestate rationis impedire motus appetitus sensitiui, sed solum est in potestate rationis non consentire talibus motibus.

Ad 3. Anima vegetatiua non remanet in materia simul cum sensitiua, nec sensitiua simul cum rationali. Ratio est, quia opponuntur sicut forma perfecta, & imperfecta, & sicut figura trilatera, & quadrilatera; ergo sicut cum aliqua materia ex trilatera fit quadrilatera non retinet figuram trilateram, sed loco illius accipit quadrilateram, quæ continet virtute trilateram, sic materia, quę animabatur anima purè vegetatiua, dum accipit sensitiuam, non retinet purè vegetatiuam; & cum vlterius acquirit animam rationalem, non retinet purè sensitiuam, sed loco illius accipit rationalem, quæ cum sit simul intellectiua, sensitiua, & vegetatiua, continet vegetatiuam, & sensitiuam.

Ad 4. Sicut cætera animalia, sic etiam

homo in generatione virtute seminis educit ex potentia materię animam purè vegetatiuam, deinde purè sensitiuam, ac demum disponit materiam ad rationalem, quam vt potè spiritualem, ac diuinam, adeòque non contentam in potentia passiua materiæ, neque in virtute actiua generantis, educere non potest ex potentia materiæ. Aduenit igitur extrinsecus à Deo creante, vnitur verò corpori per actionem, qua generans, educens ex potentia materiæ vnionem, quę materialis est, vt dictum est q. 10. ph. ad 5. dat animam à Deo creatam corpori, ac terminat generationem hominis. Hæc autem actio vnitiua est valdè perfecta, quia per illam non solum datur materiæ perfectio vnionis, quæ secundum se præcisè est valdè parua, sed etiam perfectio animæ rationalis, quæ est valdè magna, eo pacto, quo actio, qua facta fuit Incarnatio, fuit valdè perfecta, quia per illam Deus dedit naturæ humanę non solùm perfectionem creatam vnionis hypostaticæ, quæ secundum se præcisè est valdè parua, sed etiam perfectionem increatam verbi Diuini, quæ est maxima. Porrò perfectio actionis desumitur ex perfectione, quæ datur producto, seu talis perfectio producatur, seu non, ideòque non est minus admirabilis resurrectio mor-

mortui, per quam anima non producitur de nouo, quam prima productio hominis, inquantum includit etiam creationem animæ.

Ad 5. Contradictoria verificantur de anima ſenſitiua tantùm, & de intellectiua; at de anima ſenſitiua hominis, quę ſimul eſt intellectiua, & de anima intellectiua non verificantur contradictoria, niſi ſecundum diuerſos gradus ſenſitiui, intellectiui &c. de quibus dictum eſt q. 33. logicę. Anima igitur ſenſitiua hominis eſt ſpiritualis, immortalis, incorruptibilis, ſeparabilis à materia, ſicut anima intellectiua; licet hæc omnia prædicata conueniant illi, non ratione gradus ſenſitiui, qui ſecundum ſe præciſè abſtrahit à materialitate, & ſpiritualitate, ſed ratione gradus intellectiui, ad quem ſequuntur tanquam proprietates. Eſt autem hęc ſolutiò deſumpta ex S Thoma 1. par. q. 56. art. 3. *Ad primum dicendum, quod anima ſenſitiua non habet incorruptibilitatem ex hoc, quod eſt ſenſitiua, ſed ex hoc, quod eſt intellectiua, ei incorriptibilitas debetur.*

Ad 6. Poſt mortem hominis remanet anima vegetatiua, & ſenſitiua ipſius, vtpotè identificata cum intellectiua, ſed remanet cum ſola potentia intellectiua inorganica, ac ſpirituali, non autem cum potentijs proximis vegetatiuis, ac ſenſi-

tiuis, quę sunt organicę, ac materiales. Nec sequitur, quod anima sensitiua remaneat frustrà. Tum enim forma non remanet frustrà, cum potest exercere operationem illam, quę est finis primarius formæ, licet exercere non possit alias operationes; at finis primarius animæ est operatio intelligendi, quam vtpotè inorganicam potest etiam exercere extrà materiam.

Ad 7. Certum est, quod ab eadem forma possunt procedere plures operationes, eo pacto, quo ab eadem anima rationali procedunt operationes intelligendi, & volendi; ergo pręcisè ex diuersitate operationum non colligitur diuersitas formarum, sed solùm infertur, quod vel sint plures formæ, vel sit vnica forma habens virtutem causandi plures operationes. In aliquo tamen sensu principium illud, ex diuersitate operationum colligitur diuersitas formarum, est vniuersaliter verum, & euidens, qui sensus est: quotiescunque duabus formis conuenit naturaliter collectio operationum specie differens, tales formæ specie differunt inter se. Ità forma ignis, & aquę specie differunt, quia collectio operationum conuenientium igni specie differt à collectione operationum conuenientium aquę. Verum principium ità ex-

explicatum non eſt ad rem in caſu noſtro, quia ſupponit cognitam diſtinctionem ſaltem numericam formarum, & ex diuerſitate operationum infert differentiam ſpecificam; at in caſu noſtro non poteſt ſupponi, quod in homine anima ſenſitiua ſit diuerſa numero ab intellectiua.

Ad 8. Certum eſt ex fide dari in homine vnicam animam rationalem creatam à Deo, ac bonam ſecundum naturam, licet poſſit liberè fieri mala per peccatum originale, vel perſonale. Dum opponitur, eadem anima non poteſt habere contrarias inclinationes ad bonum, & malum, diſtinguo, efficaces concedo; inefficaces nego, iuxtà dicta in reſponſione ad ſecundum. Dum opponitur, anima quæ inclinatur ad malum, non poteſt eſſe bona, diſtinguo; ſi inclinetur ad malum, vt malum, tranſeat; ſi ad malum ſub ratione boni, nego. Ex hoc ipſo, quia non inclinamur ad malum, niſi ſub ratione boni, arguitur, quod natura ſit valdè bona. Addo, quod animæ ideò data eſt aliqua inclinatio ad malum, non vt liberè conſentiens malo fiat mala, ſed vt liberè repugnans malo, & vincens inclinationem ad illud, acquirat illam laudem, *potuit facere mala, & non fecit*. Anima verò, quæ habet aliquam inclinationem

ad malum, vt cum illa pugnando, eamque vincendo fiat quotidie melior, profectò est valdè bona secundum suam naturam. Porrò ex hoc ipso, quod anima possit peccare, infertur bonitas naturæ, quia actio turpis, & peccaminosa non dedeceret naturam animæ, nisi secundum se esset bona, adeòque contraria turpitudini.

QVAESTIO VII.

Vtrum in viuente præter Animam detur alia forma substantialis.

VIdetur 1. vera sententia, quam S. Th. lect. 10. in primum de gener. tribuit Auicembroto in lib. fontis vitæ, quod in materia detur ordo formarum, ità vt primo illi adueniat forma, per quam est substantia, secundo forma, per quam est corpus, tertio forma, per quam est viuens, & sic de alijs. Formæ enim, quarum vna potest in materia remanere sine altera, realiter distinguuntur; sed quando animal moritur, materia amittit formam viuentis, retinet formam corporis, cum remaneat corpus; ergo &c. Et confirmatur, quia corpus constituitur

per

per formam non ſpiritualem, ſed corpoream: red anima rationalis eſt forma ſpiritualis, & non corporea; ergo non poteſt conſtituere corpus hominis, ſed aduenit corpori iam cõſtituto per formam corporeitatis. Hinc verò colligit Auicenna lib.1 ſufficientiæ. cap.2 formam corporeitatis eſſe incorruptibilem, ac coæuam materiæ. Nam materia poteſt quidem amittere formas ſpeciales, quibus conſtituitur ignis, & aqua &c. at formam, qua conſtituitur corpus, amittere non poteſt. Colligit prętereà non ſolum in viuentibus, ſed etiam in corporibus inanimatis, atque in ipſis elementis præter formas ſpeciales, dari formam generalem corporis, cum ſit eadem ratio.

2. Videtur vera ſententia Scoti in 4 diſtinct.11. q.3. & aliorum, quod ſaltem in viuentibus præter animã detur forma corporeitatis. Viuentia enim hoc differunt à non viuentibus, quod viuentia componuntur ex corpore, & anima, non viuentia verò non componuntur ex corpore, ac forma, ſed ſolum ex materia, quæ ſecundum ſe pręcisè non eſt corpus, & ex forma; ſed hoc diſcrimen nullum eſſet, niſi daretur in viuentibus forma corporis, per quam materia conſtituatur in eſſe corporis antecedenter ad ani-

mam ; ergo datur in viuentibus forma corporeitatis, non quidem incorruptibilis, & coæua materiæ, vt ponebat Auicenna, ſed corruptibilis, & genita.

3. Si reſpondeatur, quod homo componitur ex anima, & corpore, nomine corporis intelligendo materiam, inquantum ab anima recipit eſſe genericum corporis, vel materiam organizatam accidentaliter per hominis accidentia, contrà eſt, quia etiam poterit dici, quod ignis componitur ex forma ignis, & corpore, nomine corporis intelligendo materiam, vel formatam accidentibus ignis, vel inquantum à forma ignis recipit eſſe genericum corporis.

4. Si non daretur in animali alia forma, quam anima, quando animal moritur, produceretur de nouo forma ſubſtantialis cadaueris, qua conſtituitur corpus cadauericum; ſed non datur vlla cauſa productiua talis formæ; ergo datur in viuente ſimul cum anima, forma corporis, quæ remanet, abeunte anima, & per eius priuationem conſtituitur cadauerica, ità vt cadauer nihil aliud ſit, quam materia retinens formam corporeitatis, ſed priuata anima, qua viuificabatur.

5. Corpus Chriſti in triduo poſt eius mortem fuit idem numero, ac ante; ſed

ſi

ſi non remanſiſſet eadem forma, qua conſtituebatur corpus, non ſolum non fuiſſet idem numero, ſed nec idem ſpecie: nam viuum conſtituebatur per animam, mortuum per formam cadauericam ſpecie diuerſam; ergo &c. Confirmatur, quia corpus Chriſti etiam in triduo fuit vnitum Verbo Diuino; ſed ex Damaſceno lib. de fide, cap. 26. Verbum Diuinum quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; ergo remanſit eadem forma corporis in corpore viuo, quæ fuit in corpore mortuo.

6. Videtur vera ſententia ſatis communis, quod in viuentibus, ac præſertim in homine præter animam, quæ eſt forma totalis, dentur etiam formę ſubſtantiales conſtitutiuæ partium, quæ idcircò vocantur formæ partiales; e. g. detur forma ſubſtantialis conſtitutiua carnis, forma conſtitutiua oſſis, cerebri, cordis, hepatis &c. idem dic proportionaliter de plantis. Datur enim forma partialis conſtitutiua corticis, alia forma conſtitutiua ligni, alia medullæ &c. Et quia etiam in miſtis inanimatis datur aliqua heterogeneitas partium, e. g. in vino dantur aliquæ partes ſpiritoſiores, & calidiores, quę ſurſum euolant, aliæ minus ſpiritoſæ, quæ ſubſidunt, idemque contingit in oleo, & aliis liquoribus extractis à viuentibus,

similiter in lignis, quę sunt veluti cadauera arborum dantur partes humidiores, aut ficciores, ficut etiam in metallis, quæ quia nunqnam fuerunt animata, non sunt cadauera vllius viuentis, ideò consequenter videtur, quod etiam partes heterogeneę talium mistorum constituantur per formas substantiales partiales heterogeneas. Probatur autem, quia cum animal moritur, remanet substantialiter eadem caro, eadem ossa, &c; sed si non darentur formę partiales carnis, & ossis ab anima distinctę, abeunte anima, non remaneret eadem caro, eadem ossa &c. ergo dantur formę partiales.

7. In homine viuo, caro, ossa, medulla, cerebrum &c. differunt substantialiter, & non solum accidentaliter; sed non differunt substantialiter per animam, cum informentur eadem anima rationali; ergo differunt per formas partiales substantiales carnis, ossis &c. Conf. quia carnes, & ossa viua non minus differunt, quam carnes, & ossa mortua. Adde, quod si dicatur in homine cerebrum naturaliter frigidum, & humidum, non differre substantialiter à corde naturaliter calidissimo, poterit dici, quod ignis naturaliter calidus non differt substantialiter ab aqua naturaliter frigida, sed solum accidentaliter.

8. Forma substantialis est prima radix pro-

proprietatum conuenientium rei;ergo ea quę differunt in prima radice proprietatum, differunt in forma ſubſtantiali; ſed cor, & cerebrum differunt in prima radice proprietatum; cor enim eſt calidiſſimum, & eſt fons caloris, cerebrum eſt frigidum, & humidum;& ſi calefiat,reducit ſe ad naturalem frigiditatem; ergo in homine cor,& cerebrum differunt in forma ſubſtantiali; ſed non differunt in anima rationali; ergo dantur in corde, & cerebro formę ſubſtãtiales partiales diſtinctę ab anima rationali. Nec dicas cũ Arriaga,& aliis,quod cor eſt principium caloris,& cerebrum frigoris per aliquam virtutem accidentalem; nam prima radix eſt forma,non accidentalis,ſed ſubſtantialis.

9 Vtcunque ſaluari poſſit cum Suar. lib. 1. de anima, cap. 2. & Card. de Lugo diſp. 8. de Euchar. ſect. 4. quod in viuentibus diſtinctis ab homine non dentur formæ partiales, eo quod animę ipſorum ſint diuiſibiles,& heterogeneæ,ità vt pars animę, quæ eſt in cerebro, ſit principium frigoris, adeoque ſubſtantialiter diuerſa à parte, quę eſt in corde, quę eſt principium caloris; adhuc formę partiales videntur neceſſariẹ in homine,cuius anima eſt indiuiſibilis. Neque dicas cum citatis auctoribus,quod ad differentiam ſubſtan-

tialem partium sufficit heterogeneitas substantialis vnionis. Nam cõtra est, quia proprietates debentur ratione formę, non autem ratione solius vnionis; ergo diuersitas proprietatum arguit diuersitatem formarum, & non solius vnionis; alioquin posset aliquis dicere nullam dari diuersitatem formarum substantialium, sed totam diuersitatem proprietatum refundendam in diuersas vniones.

Resp. quod in materia animata non datur alia forma substantialis, quam anima. Forma enim substantialis per hoc differt ab accidentali, quod substantialis dat materiæ esse primum, per se, ac non accidens alteri esse, vt sępè dictum est; sed eo ipso, quod in materia daretur forma corporeitatis, vel formę partiales carnis, ossis &c. anima non daret materiæ primum esse, sed daret esse secundum supponens, & accidens alteri esse priori; ergo eo ipso anima non esset forma substantialis, sed vniretur corpori accidentaliter, & vt motor, vt docuit Plato. Sicut igitur figurabile figuratur vnica figura, sic materia formatur vnica forma substantiali. Promouendo verò eamdem paritatem formę substantialis cum figura desumptam ex Aristotele 2. de anima tex. 26. sicut cum aliquid constituitur figuratum simul, & rotundum, non per

aliam

aliam figuram constituitur figuratum, per aliam rotundum, sed per vnam rotunditatem constituitur simul figuratum, & rotundum; sic cum materia constituitur simul corpus, & viuens, non per aliam formam constituitur corpus, per aliam viuens, sed per eandem animam constituitur simul corpus, & viuens. Sicut figurę sunt ità ordinatæ, vt consequens contineat virtute pręcedentem, e. g. quadrilatera trilateram, ità formę substantiales sunt ità ordinatę, vt consequens contineat virtute pręcedentem. Quemadmodum igitur inter figuras rectilineas prima, & imperfectissima est trilatera; secunda, & perfectior quadrilatera continens virtute trilateram; tertia est quinquelatera &c. sic inter formas substantiales primus, & infimus gradus est formarum elementarium; secundus mistorum inanimatorum, quę continent virtute elementares; in tertio gradu sunt animę purè vegetatiuę plantarum, continentes virtute mista inanimata, & elementa; quartum constituunt animę sensitiuę Zoophytorum; quintum constituunt animę secundum locum motiuę brutorum perfectorum; sextum demum, ac supremum gradum inter formas obtinet anima rationalis continens in virtute alios gradus inferiores. Videtur autem

tota

tota hęc doctrina de vnitate formæ substantialis in materia desumpta ex Aristotele, tum quia docet citato tex. 26. secundi de Anima, quod sicut in figura quadrilatera continetur virtute trilatera, sic in anima superiore continetur virtualiter inferior; tum quia 2. de gen. animalium, cap. 3. dicit. *non est facies, neque caro, nisi animam habeat; sed corrupta æquiuocè dicitur, perinde atque lapidea, vel lignea facta sit*; ergo putat non remanere formas partiales carnis, aut faciei: alioquin caro viua, & mortua non diceretur æquiuocè, si constitueretur per eandem formam partialem; tum quia 2. de gener. tex. 84. & 2. de partibus animal. c. 1. circà initium docet, quod elementa manent in mistis non actu, sed virtute; ergo semper persistit in sua doctrina, quod formæ inferiores, quales sunt formæ elementares, continentur virtualiter in formis mistorum superioribus, & se habent sicut figuræ; ergo &c. Eamdem sententiam docet S. Th. p. p. q. 76. ar. 2. & plurib. aliis locis, quem alii sequuntur.

Ad 1. Cum animal moritur, amittit animam, qua simul constituebatur & corpus, & corpus viuum, sed quia acquirit aliam formam, qua constituitur corpus mortuum, ideò dicitur retinere formam corporis. Explicatur exemplo figuræ.

Cum

Cum enim quadratum rotundatur, remanet figura, non quidem eadem numero, vel specie, sed genere, in quantum loco quadraturæ, qua constituebatur figuratum simul, & quadratum, aduenit rotunditas, qua constituitur figuratum simul, & rotundum.

Ad confirmationem distinguo maiorem; corpus non potest constitui per formam spiritualem, quæ non contineat virtute formas corporeas, concedo; quæ contineat virtute formas corporeas, nego. Anima rationalis licet sit spiritualis, continet virtute formas corporeas. Neque enim est spiritualis, quia non habeat virtutem sentiendi, & virtutem vegetandi, & virtutem formandi, sed est spiritualis, quia preter istas virtutes habet esse per se subsistens, & vim exercendi operationes intellectiuas independentes à materia; ergo cum sit spiritualis, non quia deficit illi virtus, & perfectio formarum materialium, sed quia vltrà perfectionem ipsarum habet alias perfectiones, & virtutes, potest æquè benè constituere corpus, ac formę corporeę. In idem recidit solutio S. Thomę in disputatis, q. de spiritualibus creaturis, ar. 3. vbi cum obiecisset: nihil dat, quod non habet; anima rationalis non habet corporeitatem, cum sit incorporea; ergo &c. respondet *ad* 16

dicen-

dicendum, quod licet anima non habeat corporeitatem in actu, habet tamen virtute, sicut sol calorem.

Ad. 2 Viuentia componuntur ex corpore, & anima, nomine corporis intelligendo materiam habentem apparentiam sensibilem, quam potest habere ęquiualenter quoad sensum etiam sine anima. Ità corpus hominis est materia habens talem apparentiam sensibilem. Et quia talis apparentia sensibilis remanet in cadauere æquiualenter, ideò cadauer dicitur corpus hominis, & homo mortuus; cadauer arboris dicitur arbor mortua. Mista inanimata iu hoc sensu non componuntur ex corpore, & forma, quia ipsorum materia non habet apparentiam sensibilem, quam retineat sine forma: e.g. materia ignis sine forma ignis non retinet apparentiā ignis. Et per hoc patet etiam ad tertium.

Ad 4. In quo quæritur causa productiua formæ cadauericæ, dico, quod hæc quæstio resoluenda est ex principijs positis q.8. de Cœlo, & q.22. & 23. de generat. Dictum est enim, quod causa efficiens omnium mistorum, quæ non generantur per semen, est corpus cœleste per influentias, quæ sunt veluti semina vniuersalia omnium inferiorum. Cum igitur cadauer sit quoddam mistum imper-

imperfectum non productum per semen, sequitur, quod generetur à corpore cælesti per influentias. Si quis verò miretur, quod cœlum generet cadauer non viuum; multò magis mirabitur, quod generet ranam viuentem. Nam multo mirabilius est repente puluerem exiguum transmutari in ranam viuentem, quam animal viuum, transmutari in corpus mortuum; cum facile sit occidere viuos, non ità facilè viuificare non viuos. Addo, quod Cęlum quosdam effectus producit per se, alios per accidēs, & ex his ipsis aliquos magis, aliquos minus per accidens. Per se producit, cum transmutat materiam à forma imperfectiore ad perfectiorem. Cum enim sit corpus perfectum, mouet materiam ad perfectionem inquantum potest. Per accidens producit, cum transmutat materiam à forma perfectiore ad imperfectiorem. Conseruat enim perfectum inquantum potest, sed cum ex defectu materiæ, ac dispositionum non potest vlterius conseruare, transmutat in id, in quod est transmutabile: e. g. Cęlum sicut per se mouet materiam ad generationem hominis, ità conseruat hominem inquantum potest, sed quando non potest amplius conseruare, transmutat hominem in id, in quod est transmutabilis; & quia est immediate transmutabilis in cadauer, transmutat

mutat in cadauer. Hinc apparet, à qua causa producatur cadauer, cum homo perit gladio, vel alio casu simili. Dicendum enim, quod à corpore cælesti. Si verò quæratur, à qua causa produceretur cadauer, si homo moreretur in vacuo, & in spatijs imaginarijs extrà cęlum, dicendum, quod produceretur à Deo. Eo enim ipso, quod miraculosè poneret hominem in loco, in quo causæ secundę non possent operari, deberet ipse supplere defectum causarum secundarum iuxtà exigentias rerum. Sed propter hoc ipsum non possunt corpora naturaliter poni in vacuo, vel extra cęlum, quia nō possunt subtrahi ab influxibus corporis cęlestis.

Ad 5. Corpus Christi in triduo mortis fuit idem numero, materialiter, & suppositaliter, non autem formaliter. Fuit idem numero suppositaliter, quia idem Verbum Diuinum, quod erat suppositum corporis viui, fuit suppositum corporis mortui. Fuit idem numero materialiter, quia materia corporis viui, & corporis mortui mansit eadem. At non fuit idem numero formaliter, quia corpus viuum secundum formam substantialem differebat à corpore mortuo, sicut differunt corpora viua, & mortua aliorum hominum. Dum verò dicitur, quod Corpus Christi non fuit corruptum, iuxtà illud psalmi

Non

Non dabis ſanctum tuum videre corruptionẽ, intelligitur non de corruptione mortis, quia cum Chriſtus fuerit mortuus, & mors ſit quædam corruptio, proculdubio paſſus eſt corruptionem mortis; ſed ſenſus eſt, quod Corpus Chriſti non computruerit, & abierit in vermes, ſicut corpora cęterorum.

Ad confirmationem concedo, quod in triduo mortis Corpus Chriſti fuerit vnitum Verbo Diuino. Dum opp. ex Damaſceno: Verbum quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, diſtinguo; quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, quandiu pertinuit ad principalius aſſumptum, concedo; quando non amplius pertinuit, nego. Verbum primo, & principaliter aſſumpſit animam rationalem, & alias partes, quę prout vnitæ cum anima ſpectant ad integritatem humanæ naturæ. Animam rationalem nunquam omninò dimiſit, partes verò materiæ, & alias, quæ prout vnitę cum anima ſpectabant ad humanam naturam, nunquam dimiſit, quandiu manſerunt vnitæ, vel paulo poſt reuniendæ. Et quia materia Corporis Chriſti, & ſanguis effuſus triduo mortis manſerunt reunienda animæ, non fuerunt dimiſſa. Et quia forma cadauerica erat vnita materiæ paulò poſt reuniendæ cum anima, ideò etiam ipſa fuit vnita Verbo Diuino.

At

At ſicut cum Chriſtus per nutritionem acquirebat nouas partes materiæ, & antiquas amittebat, Verbum de nouo vniebatur partibus acquiſitis, dimittebat verò partes deperditas, quæ amplius non ſpectabant ad humanam naturam; ſic cum materia Chriſti triduo mortis habuit formam cadauericam, Verbum fuit vnitum formæ cadauericæ ratione materię; cum in Reſurrectione materia dimiſit formam cadauericam, Verbum etiam illam dimiſit, vt potè non amplius ſpectantem ad humanam naturam, vel ad materiam reuniendam animæ.

Ad 6. Sententia ponens formas partiales nihil aliud addere videtur ſupra ſententiam ponentem formam corporeitatis, niſi hoc, quod forma corporeitatis ſit heterogenea, & compoſita ex partibus ſubſtantialiter diuerſis. Sicut enim corpus hominis eſt heterogeneum, & conſtat ex carne, oſſibus, neruis, corde, cerebro, &c. ſic forma conſtitutiua corporis ab hac ſententia ponitur heterogenea, & conſtans ex forma carnis, oſſis &c.

Dum ad probandas tales formas opponitur, quia cum homo moritur, remanet ſubſtantialiter eadem caro, eadem oſſa &c. Reſp. quod remanent materialiter, non formaliter, iuxtà dicta de forma

ma corporeitatis in responsione ad 5. Quia igitur caro viua, & mortua differunt secundum formam substantialem, Aristoteles sępissimè docet, quod caro mortua est æquiuocè caro, vt clarissimè, 2. de gener. animal. cap. 10. dicens; *Non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta æquiuocè dicetur facies, aut caro, perindè atque lapidea, aut lignea facta sit.* Si verò quæratur causa productiua carnis mortuæ, applicanda est doctrina tradita in responsione ad 3. in qua assignauimus causam formę cadauericæ.

Ad 7. In homine viuo caro, ossa, cor, cerebrum &c. non differunt specie substantialiter, cum non habeant aliam formam substantialem, quam animam rationalem, sed solum accidentaliter, inquantum caro est materia humidior, & mollior habens virtutem ad quasdam operationes; ossa sunt materia animata siccior, durior, & habens virtutem ad operationes diuersas: oculus est materia animata habens virtutem ad videndum, &c. Caro igitur viua est quidem substantia, sed est substantia inquantum est viua, quia constituitur viua per formam substantialem animæ; at verò inquantum est caro differens ab ossibus, non est formaliter substantia, quia forma, per quam caro differt ab ossibus, est merè accidentalis,

eo pacto, quo nix inquantum nix differens ab aqua non est formaliter substantia, sed solum est substantia inquantum abstrahit ab hoc, quod est esse niuem, vel aquam puram.

Ad confirmationem &c. respondeo negando maiorem. Ratio à priori est, quia animal est ens magis vnum, quam res inanimatæ; ergo partes animalis viui habent maiorem vnitatem, quam partes cadaueris inanimati; sed quæ habent maiorem vnitatem, minus differunt; ergo non est mirum, si caro, & ossa viua minus differunt, quam mortua, eo quod caro, & ossa viua conueniant in tota forma substantiali, caro, & ossa mortua, substantialiter differant. Nec potest vrgeri ex experientia sensuum, quia cum sensus non aduertant differentiam substãtialem, sed solum accidentalem, non sunt idonei iudices in hac materia.

Dum vrgetur, quia poterimus etiam dicere, quod ignis naturaliter calidus non differt substantialiter ab aqua naturaliter frigida, nego paritatem. Ideò enim cerebrum naturaliter frigidum non differt substantialiter à corde naturaliter calido, quia tam cerebrum, quam cor viuit eadem anima, quæ propter suã perfectionem exigit in corde radicem caloris, in cerebro radicem frigoris; sed

aqua,

aqua, & ignis non informantur eadem forma; ergo debentur illis contrariæ proprietates ratione formæ informantis diuersę, quia nimirum formæ ignis in quacunque materia debetur calor, formę aquæ in quacunque materia debetur frigus; sed formę substantiales, quibus in quacunque materia debentur proprietates contrariæ, differunt specie; ergo formæ ignis, & aquæ differunt specie.

Ad 8. Explicandum, in quo sensu forma substantialis sit prima radix proprietatum. Primus sensus est, quod sit prima radix, cui debentur omnes proprietates, abstrahendo ab hoc, quod talis forma, seclusis impedimentis, sit ex se sufficiens ad illas habendas, vel non, sed indigeat generante, vel alio exteriore: & hic sensus est verus. Forma enim substantialis cerebri est anima, cui debetur in cerebro frigus; forma substantialis cordis est eadem anima, cui debetur in corde calor. Secundus sensus est; forma substantialis est prima radix, cui debentur proprietates, ità vt seclusis impedimentis, sit ex se sufficiens ad illas habendas, ac reparandas; & hic sensus saltem vniuersaliter non est verus. Licet enim formæ elementares, seclusis impedimentis sint sufficientes ad habendas, ac reparandas suas proprietates, eo pacto, quo aqua

cale-

calefacta remota ab igne est sufficiens ad se ipsam reducendam ad naturalem frigiditatem, tamen formæ substantiales mistorum, & presertim viuentium, debent habere plures proprietates ab extrinseco, & si per accidens non accipiant, vel illas amittant, seclusis etiam impedimentis, reparare non possunt. Patet manifestè. Nam calor naturalis, & humidum radicale sunt proprietates viuentium; sed si viuens in ipsamet generatione non accipiat sufficientem calorem vitalem, aut humidum radicale, non datur in eo forma substantialis, per quam possit acquirere, ideòque tum fætus non est vitalis, quia non potest diu viuere ex defectu caloris, aut humidi; ergo non datur in viuente forma, quæ seclusis impedimentis, possit acquirere proprietates debitas, e. g. debitam mensuram caloris, aut humidi. Confirmatur, quia calor vitalis, & humidum radicale propter mutuam pugnā ad inuicem semper minuuntur, & ex eorum defectu sequitur tandem senectus, & mors naturalis per resolutionem, & marcorem; ergo non datur in viuente forma substātialis potens raparare debitā mensuram caloris, aut humidi; alioquin posset homo nunquam mori ex senectute, sed posset, seclusis impedimentis raparare calorem, atque humidum, & sic iterum

reiuue-

reiuuenescendo perpetuare vitam. Hinc est, vt Deus in statu innocentiæ, quia volebat vt homines licet mortales nunquam morerentur, plantauerit in paradiso arborem vitę, cuius fructus comestus habebat vim reparandi calorem naturalem, & sic faciendi, vt homines reiuuenescerent, donec post longissimum tempus viuentes transferrentur in patriam beatorum, & acciperent cum beatitudine animę corporis immortalitatem.

Iam ad argumentum in forma distinguo maiorem; prima radix remota, cui debentur proprietates, est forma substantialis, concedo: prima radix proxima debita alteri radici, & quę paulatim minuitur, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam, ac retorqueo argumentum. Prima radix, quæ paulatim minuitur, non est forma substantialis, sed accidentalis: substantia enim cum non suscipiat magis, & minus non potest paulatim minui; sed prima radix caloris vitalis in corde paulatim minuitur senectute, atque idem dico de prima radice humidi radicalis; ergo si forma cordis est prima radix caloris vitalis, non potest esse forma substantialis, sed accidentalis. Sunt igitur tales virtutes accidentia debita animę à generante, dum fætus formatur. Hinc patet disparitas,

cut in igne prima radix caloris sit forma substantialis, non in animali. In igne enim non minuitur paulatim, sicut in animali, & est reparatiua: idemque dic de reliquis elementis.

Ex hac doctrina inferuntur quædam differentiæ inter corpora viuentia, & corpora elementaria. Prima differentia est: viuentia omnia, & fortasse omnia mista sunt corruptibilia ab intrinseco, ità vt habeant intrinsecam causam suæ corruptionis, propter quam, seclusis omnibus extrinsecis, debent aliquando corrumpi, ac mori: at elementa non sunt corruptibilia ab intrinseco, sed solum ab extrinseco. Patet: nam viuentia intrinsecè componuntur ex contrarijs, ac præsertim ex humido radicali, & calore vitali; ergo habent in se intrinsecam causam suę corruptionis: calor enim agit in humidum, & humidum in calorem; ergo necesse est, vt paulatim deficiente calore, vel humido, moriantur, cum non detur vis raparatiua caloris, & humidi, vt dictum est. Et quia etiam mista inanimata componuntur ex contrarijs, fortasse etiam ipsa post longissimum tempus debent corrumpi, eo pacto, quo ferrum ab intrinseco contrahit rubriginem, à qua paulatim consumitur: quod videtur etiam proportionaliter accidere in cæteris metallis,

tallis,

tallis, & lapidibus. At elementa cum sint corpora simplicia, non componuntur ex contrarijs; ergo secluso extrinseco agente, possunt nunquam corrumpi, eo pacto, quo multæ partes terrę, aeris, atque aquę fortasse nunquam sunt corruptæ, & nunquã corrumpentur. Hinc sequitur secunda differentia, quod viuentia & fortasse omnia mista habẽt ab intrinseco determinatum tempus suæ durationis, vltrà quod non possunt viuere, vel durare: secus elementa. Sicut enim, quia proiectum, e. g. pila bombardę mouetur per virtutem acceptam à proijciente, quæ propter resistentiam subiecti semper minuitur, ità vt non possit reparari à forma proiecti, seclusis etiam extrinsecis impedimentis, conficit tantum spatium; ac durat in motu tanto tempore, & non plus; sic quia viuentia viuunt per calorem, & humidum acceptum à generante, quę propter mutuam pugnam semper minuuntur, ità vt reparari non possint à forma viuentis, seclusis etiam impedimentis, viuunt tanto tempore, & non plus; sicut sæpè proiecta non conficiunt totum spatium propter impedimenta accidentalia, ità sępè viuentia non conficiunt spatium vitæ propter impedimenta accidentalia morborum, & alios casus inferentes mortem, vel minuentes vitam, & sicut si vnum

gitudinem, ac diuturnitatem vitæ iuxtà illud geneseos 6. *dixitque Deus, non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*; hoc est anima, quæ est spiritus meus, vtpotè à me in hominem inspirata, non permanebit in homine ad ipsum viuificandum in ęternum, hoc est ad longissimum tempus (sępè enim in scriptura longissimum tempus vocatur æternitas) quia caro est, seu quia tradidit se vitijs carnalibus. Idcircò misit Deus diluuium, vt per aquas præsertim salsas maris exundantis sterilis cens terra, amitteret vim producendi fructus perfectos; homines verò consequenter ex defectu ciborum paulatim amitterent antiquum vigorem, & generarent filios imperfectos, quorum vita vix ad annum 100. pertingeret.

Ad 9. Iā dictū est, quod etiā in homine non debent dari formæ substātialiter diuersæ: idemque dicendum de brutis, si habent animas indiuisibiles; si verò habēt animas diuisibiles probabile est, quod tales animæ sint heterogeneæ, secundum heterogeneitatem partium corporis, vt docet Suar. Ratio est, quia nulla forma, seu totalis, seu partialis debet poni in subiecto per se inepto ad præcipuas operationes, atque ità illas impediente, vt eo ipso, quod sit in tali subiecto, non possit

exercere diuersas operationes. Per hoc enim accedit ad perfectionem primi principii, quod est vbique, & variis in locis producit effectus difformes per causas difformes, & propter hoc ipsum anima est actus corporis organici.

QVAESTIO VIII.

Vtrum omnes animæ sint indiuisibiles.

VIdetur vera sententia, vel potius error Cleanthis, ac Chrysippi, quos citat D. Gregorius Nyssenus lib. 2. de anima, quod omnis anima etiam rationalis sit diuisibilis, & composita ex partibus correspondentibus partibus materię, in quem errorem videntur etiam inclinare Iandunus, Pomponatius, & quidam alij relati à Sixto Senense lib. 1. bibliothecæ sanctę annot. 8. docentes secundum rationem naturalem omnes animas, etiam rationales esse diuisibiles, de rationali verò sola fide teneri, quod sit indiuisibilis: primo, quia constat experientia, quod non solum in brutis sed etiam in homine cum vna pars abscinditur, aliquādiu se mouet, & pars abscissa, & reliquum corpus; sed non posset vtraque se mouere, nisi vtraque

esset viuens, & animata: forma verò indiuisibilis non potest saltem naturaliter informare partes separatas materiæ; ergo diuersa pars animę rationalis informat vtramque partem. Confirmatur, quia aliquando homines, abscisso capite, moti sunt ad magnam distantiam, vt legitur de capite S. Pauli, & S. Dionysij, & Aristoteles lib. 3. de partibus animal. cap. 7. docet posse animal, truncato capite, aliquantulum moueri: ex quo textu intulit Pomponatius lib. 10. de nutriente, & nutrito omnem animam esse diuisibilem; ergo &c.

2. Forma informans materiam diuisibilem, & extensam debet proportionari materiæ in diuisibilitate, & in extensione, vt constat inductione in omnibus formis; sed omnis anima etiam rationalis est forma informans materiam diuisibilem, & extensam; ergo &c.

3. Si aliqua anima esset indiuisibilis, cum quædam partes corporis mouentur motibus contrarijs, e. g. vna manus sursum, alia deorsum, etiam anima secundum idem moueretur simul motibus contrarijs sursum, ac deorsum; cum abscinditur ab homine brachium, deberet anima recedere à loco brachij, ac se contrahere ad reliquum corpus; quę videntur esse absurda, & inexplicabilia.

4. Vi-

4. Videtur vera sententia Scoti in 4. distinct.44. q. 1. art.1. Durandi, & Aegidij in 2. dist.8. q.3. quos sequuntur satis communiter recentiores, quod excepta anima rationali, omnes aliæ animæ etiam brutorum perfectorum sint diuisibiles. Formæ enim naturales debent omninò commensurari materiæ; sed omnes animæ, excepta rationali, sunt formæ materiales; ergo commensurantur materiæ, adeòquo sunt diuisibiles sicut materia.

5. Est proprium formæ spiritualis, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis; sed anima indiuisibilis vtpotè carens partibus est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis; ergo nulla anima materialis est indiuisibilis.

6. In forma dependente à materia idem est separari à materia, ac corrumpi; sed cum cani abscinditur pes, anima separatur à pede abscisso; ergo corrumpitur; non corrũpitur tota anima, cum canis remaneat viuus; ergo corrumpitur illa pars, quæ erat in pede; ergo anima canis constat ex partibus.

7. In forma dependente à materia idem est de nouo informare materiam, ac educi de potentia materiæ; sed cum canis nutritur, anima de nouo informat materiam alimenti mutati in substantiam canis; ergo cum canis nutritur, anima

canis educitur ex potentia materiæ; sed non educitur tota: nam illa pars animæ, quæ ante erat, non educitur de potentia materiæ; ergo educitur aliqua pars animæ; ergo anima est diuisibilis, & constans ex partibus.

8. Si qua esset ratio, cur animæ brutorum perfectorum poni deberent indiuisibiles, maximè quia videmus in brutis perfectam quamdam vnitatem, per quam cum læditur vna pars animalis, totum animal dolet,& se parat ad defensionem, exponens etiam periculo partes minus nobiles, vt saluet magis nobiles, quod non accideret, nisi vna, & eadem anima esset in toto corpore; sed hoc argumentum nimis probat: ostendit enim, quod etiam animę serpentium, vermium, & aliorum, quę vocantur ab Aristotele insectilia, sunt indiuisibiles, cum etiam in ijs detur hęc vnitas, ac serpens exponat periculo totum corpus, vt saluet caput, & tamen constat experientia animas insectilium esse diuisibiles, cum diuisa viuant secundum vtranque partem; ergo &c.

Resp. Certum est ex communi sententia Sanctorum Patrum, Thologorum, ac Philosophorum cum Aristotele, & ex principijs fidei, animam rationalem esse indiuisibilem, & non constare ex partibus. Prima ratio est: si anima ratio-

rationalis esset diuisibilis, esset mortalis, ac materialis, atque à materia dependens; sed est immortalis, ac spiritualis, & independens à materia, vt inferius demonstrabitur; ergo est indiuisibilis. Probatur sequela. Cum homini digitus abscinditur, illa pars animę, quę erat in digito, corrumperetur, & periret; neque enim posset remanere extrà subiectum, & materiam, cum sit absurdum, quod vna pars eiusdem animę sit in materia, alia sit extrà materiam; neque potest transire ad informandam aliam partem corporis, cum pariter sit absurdum, quod in eadem parte materię sint simul penetratiuè plures partes animę, eo pacto, quo esset absurdum, quod in eadem parte materiæ essent simul plures partes formæ ignis. Confirmatur, quia cum homo per augmentationem acquirit nouas partes materię, vel de nouo producuntur nouę partes animę, vel partes, quę latebant in partibus materię pręexistentibus, extenduntur ad informandas nouas partes materię; vtrumque est absurdum; nam ex primo sequitur, quod anima rationalis paulatim producatur, & corrumpatur; ex secundo, quod in eadem parte materię simul sint plures partes animę rationalis, in eodem palmo plures palmi animę, qui deinde extendantur.

Secunda ratio est, quia anima libera debet carere partibus, sed anima rationalis est libera; ergo caret partibus. Maior probatur, quia si anima libera constat ex partibus, vel singulę partes sunt liberę, vel non; si singulę partes sunt liberę, possũt se determinare ad oppositas electiones, ità vt vna pars eligat peccatum, alia pars eligat negationem peccati, & victoriam tentationis, atque adeò vna mereatur infernum, alia cælum, eo pacto, quo si in aliquo Senatu plures sint Senatores liberi, possunt abire in voluntates oppositas. Neque dicas, quod propter quamdam sympathiam omnes partes animæ debent se determinare simul ad eandem electionem. Hęc enim synpathia, per quam plura libera debent se determinare ad eandem electionem, quin vnum præcognoscat electionem alterius, est impossibilis, & hinc etiam reijcitur à SS. PP. ac Theologis, & Philosophis pluralitas Deorum; qui propter sympathiam non possent esse discordes. Si non singulæ partes sunt liberæ, sed libertas est primo in tota collectione, contrà est, quia non potest esse liberum totum, cuius nulla pars sit libera, eo pacto, quo non potest esse liber Senatus, si nullus Senator sit liber. Et ratio est, quia collectio denominatur libera à libertate partium, vt patet

in

in exemplo Senatus. Demum si dicatur, quod vna tantum pars animæ sit libera, ac domina electionis, infero; ergo est indiuisibilis, alioquin rediret argumentum; sed illa sola, quæ est libera, est intellectiua, ac rationalis, cum ad rationalitatem, & intellectualitatem necessario sequatur libertas; ergo anima rationalis est indiuisibilis Neque dicas argumentum probare solùm, quod voluntas, quæ est potentia libera, sit indiuisibilis, non autem anima, & quod idcircò omnes partes animæ debent se determinare ad eamdem electionem, quia debent se determinare per eamdem indiuisibilem voluntatem, seu potentiam liberam. Nam si voluntas est potentia indiuisibilis, à fortiori anima est indiuisibilis, cum potentia accidentalis non possit excedere perfectionem suæ formæ substantialis.

Tertia ratio est, quia ex modo operandi cuiuscunque formæ cognoscitur modus essendi eiusdem, cum propriç operationes ostendant qualis sit forma, à qua procedunt, eo pacto, quo opera artificialia ostendunt, qualis sit ars artificis; sed anima rationalis per operationes intentionales intelligendi, atque appetendi tota est in toto obiecto cognito, & tota in qualibet parte ipsius; e. g. cum intelligimus aliquid palmare, sumus intentionaliter

per

er animam toti in toto palmo, & toti in ualibet parte palmi, nec per vnam parem intellectionis attingimus vnam parem palmi, per aliam attingimus alteram artem palmi; ergo anima intellectiua ità st in corpore, vt tota sit in toto corpore, ota in corporis medietate, atquè adeò ıon est diuisibilis, & extensa, sicut corpus. Confirmatur, quia proportionaliter ad nodum, quo forma intellectiua coniungitur intentionaliter obiecto intellecto, coniungitur physicè subiecto formato; sed coniungitur obiecto intellecto sine diuisione sui; ergo etiam coniungitur subiecto formato sine diuisione sui.

2. Dico: probabilius est animas brutorum perfectorum esse omninò indiuisibiles quantitatiuè, animas Insectorum, quæ viuunt diuisa, esse diuisibiles in partes non actuales, sed potentiales. Probatur primo, quia si anima cognoscitiua, & appetitiua canis, aut serpentis e. g. constat ex partibus actualibus, vel plures partes simul cognoscunt, & appetunt, vel vna tantum; si vna tantum, quæ non constet vlterius ex partibus actualibus; ergo anima cognoscitiua, & appetitiua non constat ex partibus actualibus. Si plures partes cognoscunt, & appetunt; ergo sunt plura formaliter cognoscentia, & appetentia; sed plura formaliter cognoscentia, & appeten-

petentia per nullam vnionem, & coniunctionem possunt constituere vnum formale cognoscens; e.g. plures animæ rationales quantumcunque vnirentur penetratiuè in eodem corpore, adhuc nonpossent constituere vnam animam cognoscentem, ac multò minus, si vnirentur non penetratiuè, sed in diuersis partibus materiæ; ergo non plures partes animæ cognoscunt, & appetunt. Si verò dicatur, quod ità omnes partes simul cognoscunt, & appetunt, vt non singulæ seorsim cognoscant, & appetant, contrà est, quia repugnat, quod si nulla pars alicuius multitudinis cognoscit, & appetit, tota multitudo cognoscat, & appetat. Denominatio enim cognoscendi conuenit multitudini solùm ex eo, quod omnes, aut aliquę partes ipsius sint cognoscentes, eo pacto, quo exercitus videt solem ex eo, quod singuli milites videant solem.

Confirmatur, quia vel duæ partes animæ cognoscunt per duas partes cognitionis, vel non; si nõ per duas partes; ergo cognitio, qua duæ partes animæ cognoscũt, non constat ex duabus partibus, quarum vna sit in vna parte animæ, alia sit in altera; ergo talis cognito est tota in vtraque parte animæ, & non extenditur cum suo subiecto; ergo à fortiori anima cognoscitiua non extenditur cum subiecto, sed

ſed eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ſubiecti. Si verò diuerſæ partes animæ cognoſcunt, & appetunt per diuerſas partes cognitionis, apparet magis impoſſibile, quod plura cognoſcentia per diuerſas cognitiones conſtituant vnum cognoſcens.

2. Probatur, quia ex operatione propria cuiuſcumque formæ innoteſcit modus eſſendi talis formæ; ſed animæ brutorum per operationes cognoſcendi, & appetendi ſecundũ idem vniuntur intentionaliter toti obiecto cognito, & omnibus partibus illius; ergo vniuntur etiam phyſicè toti ſubiecto formato, & omnibus partibus ſubiecti. Probatur minor. Cum enim anima canis e.g. cognoſcit, & appetit panem, quem videt, eadem pars animę, quæ cognoſcit, & appetit totum panem, cognoſcit etiam, & appetit omnes partes ipſius. Neque enim poteſt fingi, quod prima medietas animæ cognoſcat, & appetat primam ſolam medietatem panis, ſecunda cognoſcat, & appetat ſecundam medietatem. Si enim nulla pars animæ cognoſceret totum panem, neque tota cognoſceret totum panem, eo pacto, quo ſi ex duobus intellectibus neuter cognoſcit totum binarium, ſed ſinguli ſeorſim cognoſcant ſingulas vnitates, neque etiam vterque intellectus cognoſcet formali-

maliter binarium. Confirmatur à fortiori; nam si idem intellectus per quatuor cognitiones cognoscat quatuor vnitates seorsim, & non habeat vnam aliquam cognitionem, qua cognoscat simul, dicendo *quatuor*, iste intellectus non cognosceret formaliter numerum quaternarium; ergo à fortiori, si plures partes animæ diuersis cognitionibus cognoscunt plures partes panis, tota anima non cognoscit totum panem; sed canis percipit, & appetit totum panem; ergo per eandem partem animę cognoscit totum panem, & eius partes, & vnitur intentionaliter toti pani, & partibus ipsius; sed anima cognoscitiua, & appetitiua habet esse proportionale ad suam operationem cognoscendi, & appetendi; ergo sicut operatio cognoscitiua, & appetitiua tota afficit totum obiectum, & tota singulas partes obiecti, ità anima cognoscitiua tota est in toto subiecto, & tota in singulis partibus subiecti.

Confirmatur, quia eadem proportione, qua cognitio, quę est propria operatio formæ cognoscitiuæ, eleuatur à materia, etiam forma cognoscitiua eleuatur à materia. Si cognitio ad cognoscendum non indiget vllo obiecto sensibili, qualis est cognitio angelica, etiam forma non indiget vlla materia sensibili, nec vllo sensu,

ſenſu, ideòque eſt omninò ſeparata à materia, quales ſunt formæ Angelicæ. Si cognitio naturaliter indiget obiecto ſenſibili, à quo incipiat, ſed poteſt deinde abſtrahere formas à materia, & cognoſcere ſpiritualia, qualis eſt intellectio animæ rationalis, etiam forma in primo ſui eſſe indiget materia, quam informet, ſed poteſt deinde remanere ſeparata à materia, & à corpore, adeòque eſt quidem forma informans, ſed ſpiritualis, & immortalis. Si cognitio ità indiget obiecto ſenſibili, atque extenſo, vt non poſſit ab ipſo abſtrahere, qualis eſt cognitio animæ brutalis, etiam anima indiget corpore, & non poteſt remanere à corpore ſeparata, ideòque eſt materialis, ac mortalis. Si demum cognitio indiget obiecto ſenſibili, & extenſo, ſed ità, vt tota attingat totum, tota attingat quamlibet partem obiecti, etiam forma indiget ſubiecto extenſo, ſed ità, vt tota ſit in toto, tota in qualibet parte ſubiecti.

Ex his fundamentis Ariſtoteles videtur docere, quod anima ſenſitiua non conſtat ex partibus actualibus. Primo enim de anima tex. 90. habet. *Quid igitur continet animam, ſi partibilis eſt natura? non enim vtique corpus. Videtur enim contrà magis anima corpus continere. Egrediente enim expirat, & putreſcit. Si igitur aliquod*

quod aliud vnam ipsam facit, illud maximè vtique erit anima. Oportebit autem iterum & illud quærere, vtrum vnum, an multarum partium sit: si enim vnum est, propter quid non mox & animam vnam esse: si verò partibile, iterum ratio quæret, quid est continens, & sic vtique procedet in infinitum. Et licet alijs locis, vt 2. de anima tex. 20. lib. de longitudine, & breuitate vitę, cap. vlt. agens de insectis dicat, quod diuisa viuunt etiam vita cognoscitiua, & appetitiua, tamen ex hoc infert solum; quod anima insectorum cum sit vna actu, est multiplex potentia, quod etiam nos dicimus. De animabus verò animalium perfectorum docet lib. de iuuentute, & senectute cap. 1. quod sunt maximè vnæ, adeòque nec constant partibus potentialibus. Eandem sententiam tribuunt Platoni Marsilius Ficinus lib. 1. de Theologia Platonis cap. 3. lib. 8. cap. 1. nec nō Nemesius, Plotinus, & Ammonius. S. Aug. integro lib. de quantitate animæ ex professo tuetur eandem opinionem, & cap. 31. allata experientia cuiusdam vermiculi multipedis, qui diuisus in plures partes secundum omnes mouebatur, & sentiebat, ac si pungeretur, contorquebat se ad doloris locum, adhuc persistit in eadem sententia, quod nulla anima sensitiua constet ex partibus quantitatiuis, &

eo

eo progreditur, vt dicat, quod etiam si nullam possemus reddere causam talis experientię, adhuc non deberemus relinquęre opinionem de animæ impartibilitate. Deinde verò conatur soluere argumentum, negata animæ diuisibilitate & eius solutiónem afferemus in responsione ad 8 S. Augustinum sequuti sunt Albert. Mag. lib. 1. de Anima cap. vltimo, & lib. 2. cap. 7. Alexander Alensis 2. de Anima, cap. 10. S. Bonau. in 1. distinct. 8. S. Thom. 1. par. q. 76. art. 8. & 2. contrà gent. cap. 72. quem prętér Caiet. Ferrariensem, & plerosque Thomistas sequuntur Conimb. hic, & Suar. lib 1. de Anima, cap. 13, licet disp. 15. met. sect. 10. nu. 32. probabiliorem existimet contrariam opinionem de diuisibilitate omnis animę materialis.

Ad 1. Si aliquando contingat hominem abscissa aliqua parte, moueri secundum vtramque partem abscissam, talis motus oritur ab impetu, quem homo dolore stimulatus tempore abscissionis imprimit neruis, & vtrique parti, qui impetus saltem specie aliquandiu durans, potest causare motus similes ijs, quibus ab anima mouētur partes viuentes. Quod si contigit aliquando, vt longo tempore vtraque pars moueretur, quemadmodum narratur de S. Paulo, & S. Dionysio, id acci-

accidit Deo miraculosè disponente, vt tales partes mouerentur, vel ab Angelis, vel ab ipsa anima iam separata, sed extrinsecus assistente vtrique parti, atque illas mouente. Bruta possunt aliquandiu moueri, abscisso capite, vel quia non statim post abscissionem anima separatur à reliquo corpore, vel ex impetu impresso propter vehementiam doloris, dum caput abscinditur, vt dictum est de homine. Possunt etiam aliqui motus, e. g. palpitatio cordis, ac viscerum causari à spiritibus remanentibus post mortem animalis.

Ad 2. Forma debet proportionari materiæ tanquam actus potentię, & tanquam perfectio suo perfectibili. Vt autem actus proportionetur potentię, non debet habere imperfectionem potentiæ, sed potius oppositam perfectionem. In casu nostro materia vtpotè diuisibilis, & constans ex pluribus partibus secundum se præcisè non habet sufficientem vnitatem; ergo indiget forma, & actu, qui partes contineat, & det illis vnitatem; sed forma eo magis est proportionata ad dandam vnitatem pluribus partibus materiæ, quo magis est vna; ergo forma maximè vna, & indiuisibilis est maximè proportionata ad actuandam materiam diuisibilem, & ad eius partes continendas, dando

do illis vnitatem ; ergo tantum abest, vt forma ad hoc vt sit proportionata materię, debeat esse diuisibilis sicut materia, vt potius debeat habere oppositam indiuisibilitatem; ergo anima rationalis propter suam indiuisibilitatem est aptissima formarum ad materiam formandam, continendo eius partes, & redigendo ad vnitatem, sicut etiam propter suam spiritualitatem est maximè apta ad materiam perficiendam, quia materia non indiget forma, à qua accipiat imperfectionem materialitatis, qua ex se abundat, sed à qua accipiat perfectionem actualitatis, qua maximè abundat forma spiritualis. Inductio non est ad rem. Nam cæterę formæ, quia sunt diuisibiles minus actuant materiam, & minus perfectè dant vnitatem eius partibus ; ergo vt aliquę formæ possint perfectè actuare, & continere, debent esse indiuisibiles.

Ad 3. Explicatum est in physica q. 27. ad quintum, quo pacto anima rationalis non tam moueatur motibus contrarijs, quam vniatur constitutiuè diuersis partibus corporis, quę recipiunt motus contrarios. Rursus cum ab homine brachiũ abscinditur, anima solum desinit informare brachium abscissum, & non retrocedit per vllum motum ad reliquum corpus, eo pacto, quo cum anima cogitat de ali-

aliquo obiecto, vnitur intentionaliter illi obiecto, cum verò desinit cogitare de obiecto, purè amittit vnionem intentionalem cum obiecto, non recipiendo vllum alium motum, quo ab obiecto redeat ad se ipsam; ergo etiam quoad hoc per modũ operãdi innotescit modus essendi.

Ad 4. Formę materiales debent commensurari materiæ commensuratione quantitatiua, nego; commensuratione actus ad potentiam, concedo. Formæ materiales debent commensurari materiæ commensuratione actus ad potentiam; tali autem commensuratione melius formę indiuisibiles proportionantur materiæ diuisibili, quam formę diuisibiles, vt dictum est.

Ad 5. Esse totam in toto, & totam in quacunque parte subiecti, non est propriũ solius formæ spiritualis, sed est commune omnibus formis, quę per suas operationes possunt esse totę in toto, & totæ in qualibet parte obiecti, vt explicatum est. Sicut autem forma rationalis habet hoc proprium, vt possit intentionaliter abstrahere formas à materia, ità habet hoc proprium, vt possit esse extrà materiam; & hoc est spiritualitas. Addo ex S. Th. 1. par. q.76. art.8. quod tripliciter potest intelligi, quod anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis:

pri-

primo totalitate quantitatiua, secundo totalitate virtutis, tertio totalitate essentiæ, & perfectionis. Totalitate quantitatiua non est tota in toto corpore, quia non habet totalitatem quantitatiuam, qua constet ex pluribus partibus quantitatiuis. Totalitate virtutis anima est tota, & pars in parte corporis, quia tota virtus animæ est in toto corpore, pars virtutis in parte: e.g. virtus visiua est in oculo, non in aure, virtus auditiua est in aure, non in oculo, ideòque anima secundum virtutem organicam est diuisibiliter in corpore. Totalitate essentię, & perfectionis anima est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.

Ad 6. & 7. In forma dependente à materia idem est separari à tota materia, quæ est primum, & adæquatum subiectũ, ac corrumpi: at non est idem separari à quacunque parte primi subiecti, ac corrumpi. Similiter idẽ est informare totã materiam, quę est primum subiectum, ac educi ex materia: at non est idem informare nouam partem additam primo subiecto, ac educi. Cum igitur anima brutorum per nutritionem informat nouas partes materiæ, & separatur ab antiquis, non corrumpitur, vel educitur secundum partes animę, sed solum secundum partes vnionis.

Ad

Ad 8 Concedo, quod indiuisibilitas animæ in plures partes actuales probatur ex vnitate animalis. Nam pręter dicta, cum lupus videt ouem exempli gratia, format imaginationem ouis, quam retinet postquam ouis fugit à conspectu lupi, nec videtur amplius à lupo, ideòque lupus ex imaginatione, ac memoria ouis anteà visæ illam appetit, & quærit; sed hæc imaginatio, & appetitus ouis non formatur in oculo, in quo formatur visiò, sed in cerebro, quod est organum imaginationis; ergo eadem pars animę, quæ est in cerebro, est etiã in oculo, & in omnibus organis, in quibus formantur sensationes videndi, audiendi &c. Probatur consequentia. Pars animę, quę est in cerebro, format imaginationem, appetitionem, & memoriam obiecti visi; sed non potest formare imaginationem obiecti non visi à se, sed ab alia parte distincta, atque locatiter separata: hoc enim esset, sicut si Petro vidente, alius homo non videns formaret imaginationem, ac memoriam obiecti visi à Petro; ergo ipsa pars animæ, quæ est in cerebro, videt obiectum visum, tangit obiectum tactum &c. sed non posset videre, nisi simul esset in oculo, in quo fit, & recipitur visio, non posset audire, nisi esset in aure, in qua fit auditio &c.; ergo anima imagina-



tiua, & appetitiua est simul in cerebro, atque in omnibus organis sensuum, atque eadem per oculum videt, per aurem audit, per cerebrum format imaginationem obiectorum sensatorum, ac retinet eorum memoriam. Ex hoc verò oritur, vt cum læditur vna pars animalis, tota anima doleat, & moueat cæteras partes corporis ad auertendam lęsionem vnius partis, quia nimirum eadem est in omnibus partibus. Hinc etiam oritur, vt animal exponat partes minus principales ad saluandas magis principales, ac præsertim caput, quia ad viuendum, & operandum magis indiget capite, quam cæteris partibus; si verè diuersa pars animę esset in cauda serpentis, ac in capite, cur se exponeret periculo, ne lęderetur illa pars distincta, quæ est in capite? Sicut enim vnumquodque animal magis est sollicitū de se, & de suo corpore, quam de alio, sic vnaquęque pars animæ magis est sollicita de se, ac de parte corporis, quam informat, quam de alia parte; ergo pars illa animę, quę est in cauda serpentis non debet naturaliter exponere caudam, in qua est, ad saluandum caput, in quo non est. Confirmatur, quia pars animæ, quę est in cauda, curat de alijs partibus animę, inquantum sunt sibi coniunctæ; sed quod curat de altero, inquantum est sibi

con-

coniunctum, magis curat de se ipso; ergo pars animæ, quæ est in cauda, magis curat de se ipsa; ergo non debet exponere caudam, vt saluet caput; sed exponit; ergo eadem est in cauda simul, & capite.

Iam ad argumentum in contrarium, insecta viuunt diuisa, non quia anima consistet ex pluribus partibus actualibus, sed quia anima vna actu, potentia est multiplex; e. g. anima serpentis est vna actu in toto corpore serpentis, sed est multiplex potentia, inquantum est talis, vt si serpens diuidatur, loco vnius animę, quæ simul est in capite, & in cauda, resultent duę, quarum vna remaneat in capite, altera ponatur in cauda. Explicatur. Digitus hominis viuentis est actu digitus viuus, quia formatur actu per animam rationalem viuificantem, sed est potentia digitus mortuus, quia potest per abscissionem loco animæ viuificantis accipere formam digiti mortui, & si abscindatur, iam fit actu digitus mortuus. Similiter digitus hominis viuentis formatur actu eadem forma, atque anima, qua totum corpus, potentia verò formatur diuersa forma substantiali, quia per abscissionem loco animæ informantis totũ corpus potest accipere formam digiti mortui. Proportionaliter in casu no-

stro, cauda serpentis vnita reliquo corpori, formatur actu eadem anima, ac forma substantiali, qua totum corpus serpentis, sed est in potentia per abscissionem ad hoc, vt formetur diuersa forma substantiali, atque anima diuersa; ergo digitus hominis, & cauda serpentis conueniunt in hoc, quod possint per abscissionem loco animæ animantis totum corpus, accipere aliam formam substantialem; differunt solum in hoc, quod digitus hominis non potest per abscissionem accipere aliam formam viuentem, & sensitiuam; cauda serpẽtis potest accipere aliam formam viuentem, ac sensitiuam. Verum hec differentia est materialis, nec facit difficultatem. Neque enim est minus difficile, quod digitus, qui coniunctus reliquo corpori formatur anima rationali formante totum corpus, sit in potentia ad hoc, vt per abscissionem amittat animam, & loco animę acquirat aliam formam non viuentem, quam quod cauda serpentis, quę formatur eadem anima, qua totum corpus serpentis, sit in potentia ad hoc, vt per abscissionem loco animæ formantis totum serpentem, acquirat aliam formam viuentem, & sentientem formantem solam caudam.

Si verò quęratur, à qua causa cauda abscissa animetur alia anima, respondeo, quod

quod ab eadem, à qua digitus abscissus formatur alia forma substantiali, nimirum à corpore cœlesti, quod cum non potest amplius conseruare materiam sub forma, sub qua erat, dat illi proximam formam, ad quam erat in potentia. Et quia sicut digitus viuus hominis est in potentia proxima ad formam digiti mortui, sic cauda serpentis integri est in potentia proxima ad aliam animam imperfectiorem, ideò ex proportionali ratione, ex qua cœlum, digito abscisso, dat formam digiti mortui, caudæ abscissæ dat animam imperfectiorem caudę viuentis. Semper enim Cœlum transmutat vnumquodque, quando amplius conseruari non potest, in id, in quod est proximè transmutabile. Confirmatur ex doctrina tradita de ordine, & propinquitate formarum. Sicut enim quando vnumquodque non potest remanere in loco, in quo erat, transfertur ad locum propinquissimum; ità cum materia non potest amplius conseruari sub forma, in qua erat, transfertur ad formam propinquissimam, vel in via corruptionis per accidens, vel in via generationis per se. Ideò puluis tormentarius facillimè transmutatur in ignem; animal viuum in cadauer mortuum; puluis mortuus in ranam viuentem; cauda serpentis animata anima totius serpentis transfer-

sensu, ideòque est omninò separata à materia, quales sunt formæ Angelicæ. Si cognitio naturaliter indiget obiecto sensibili, à quo incipiat, sed potest deinde abstrahere formas à materia, & cognoscere spiritualia, qualis est intellectio animæ rationalis, etiam forma in primo sui esse indiget materia, quam informet, sed potest deinde remanere separata à materia, & à corpore, adeòque est quidem forma informans, sed spiritualis, & immortalis. Si cognitio ità indiget obiecto sensibili, atque extenso, vt non possit ab ipso abstrahere, qualis est cognitio animæ brutalis, etiam anima indiget corpore, & non potest remanere à corpore separata, ideòque est materialis, ac mortalis. Si demum cognitio indiget obiecto sensibili, & extenso, sed ità, vt tota attingat totum, tota attingat quamlibet partem obiecti, etiam forma indiget subiecto extenso, sed ità, vt tota sit in toto, tota in qualibet parte subiecti.

Ex his fundamentis Aristoteles videtur docere, quod anima sensitiua non constat ex partibus actualibus. Primo enim de anima tex. 90. habet. *Quid igitur continet animam, si partibilis est natura? non enim vtique corpus. Videtur enim contrà magis anima corpus continere. Egrediente enim expirat, & putrescit. Si igitur aliquod*

quod aliud vnam ipsam facit, illud maximè vtique erit anima. Oportebit autem iterum & illud quærere, vtrum vnum, an multarum partium sit: si enim vnum est, propter quid non mox & animam vnum esse: si verò partibile, iterum ratio quæret, quid est continens, & sic vtique procedet in infinitum. Et licet alijs locis, vt 2. de anima tex. 20. lib. de longitudine, & breuitate vitę, cap. vlt. agens de insectis dicat, quod diuisa viuunt etiam vita cognoscitiua, & appetitiua, tamen ex hoc infert solum; quod anima insectorum cum sit vna actu, est multiplex potentia, quod etiam nos dicimus. De animabus verò animalium perfectorum docet lib. de iuuentute, & senectute cap. 1. quod sunt maximè vnæ, adeòque nec constant partibus potentialibus. Eandem sententiam tribuunt Platoni Marsilius Ficinus lib. 1. de Theologia Platonis cap. 3. lib. 8. cap. 1. nec nō Nemesius, Plotinus, & Ammonius. S. Aug. integro lib. de quantitate animæ ex professo tuetur eandem opinionem, & cap. 31. allata experientia cuiusdam vermiculi multipedis, qui diuisus in plures partes secundum omnes mouebatur, & sentiebat, ac si pungeretur, contorquebat se ad doloris locum, adhuc persistit in eadem sententia, quod nulla anima sensitiua constet ex partibus quantitatiuis, &

eo

eo progreditur, vt dicat, quod etiam si nullam possemus reddere causam talis experientię, adhuc non deberemus relinquęre opinionem de animæ impartibilitate. Deinde verò conatur soluere argumentum, negata animæ diuisibilitate & eius solutionem afferemus in responsione ad 8 S. Augustinum sequuti sunt Albert. Mag. lib. 1. de Anima cap. vltimo, & lib. 2. cap. 7. Alexander Alensis 2. de Anima, cap. 10. S. Bonau. in 1. distinct. 8. S. Thom. 1. par. q. 76. art. 8. & 2. contrà gent. cap. 72. quem prętep Caiet. Ferrariensem, & plerosque Thomistas sequuntur Conimb. hic, & Suar. lib 1. de Anima, cap. 13, licet disp. 15. met. sect. 10. nu. 32. probabiliorem existimet contrariam opinionem de diuisibilitate omnis animę materialis.

Ad 1. Si aliquando contingat hominem abscissa aliqua parte, moueri secundum vtramque partem abscissam, talis motus oritur ab impetu, quem homo dolore stimulatus tempore abscissionis imprimit neruis, & vtrique parti, qui impetus saltem specie aliquandiu durans, potest causare motus similes ijs, quibus ab anima mouētur partes viuentes. Quod si contigit aliquando, vt longo tempore vtraque pars moueretur, quemadmodum narratur de S. Paulo, & S. Dionysio, id acci-

accidit Deo miraculosè disponente, vt tales partes mouerentur, vel ab Angelis, vel ab ipsa anima iam separata, sed extrinsecus assistente vtrique parti, atque illas mouente. Bruta possunt aliquandiu moueri, absciſſo capite, vel quia non statim post absciſſionem anima separatur à reliquo corpore, vel ex impetu impresso propter vehementiam doloris, dum caput abscinditur, vt dictum est de homine. Possunt etiam aliqui motus, e. g. palpitatio cordis, ac viscerum causari à spiritibus remanentibus post mortem animalis.

Ad 2. Forma debet proportionari materiæ tanquam actus potentię, & tanquam perfectio suo perfectibili. Vt autem actus proportionetur potentię, non debet habere imperfectionem potentiæ, sed potius oppositam perfectionem. In casu nostro materia vtpotè diuisibilis, & constans ex pluribus partibus secundum se præcisè non habet sufficientem vnitatem; ergo indiget forma, & actu, qui partes contineat, & det illis vnitatem; sed forma eo magis est proportionata ad dandam vnitatem pluribus partibus materiæ, quo magis est vna; ergo forma maximè vna, & indiuisibilis est maximè proportionata ad actuandam materiam diuisibilem, & ad eius partes continendas, dando

do illis vnitatem ; ergo tantum abest, vt forma ad hoc vt sit proportionata materię, debeat esse diuisibilis sicut materia, vt potius debeat habere oppositam indiuisibilitatem; ergo anima rationalis propter suam indiuisibilitatem est aptissima formarum ad materiam formandam, continendo eius partes, & redigendo ad vnitatem, sicut etiam propter suam spiritualitatem est maximè apta ad materiam perficiendam, quia materia non indiget forma, à qua accipiat imperfectionem materialitatis, qua ex se abundat, sed à qua accipiat perfectionem actualitatis, qua maximè abundat forma spiritualis. Inductio non est ad rem. Nam cæterę formæ, quia sunt diuisibiles minus actuant materiam, & minus perfectè dant vnitatem eius partibus ; ergo vt aliquę formæ possint perfectè actuare, & continere, debent esse indiuisibiles.

Ad 3. Explicatum est in physica q. 27. ad quintum, quo pacto anima rationalis non tam moueatur motibus contrarijs, quam vniatur constitutiuè diuersis partibus corporis, quę recipiunt motus contrarios. Rursus cum ab homine brachiũ abscinditur, anima solum desinit informare brachium abscissum, & non retrocedit per vllum motum ad reliquum corpus, eo pacto, quo cum anima cogitat de ali-

aliquo obiecto, vnitur intentionaliter illi obiecto, cum verò desinit cogitare de obiecto, purè amittit vnionem intentionalem cum obiecto, non recipiendo vllum alium motum, quo ab obiecto redeat ad se ipsam; ergo etiam quoad hoc per modũ operãdi innotescit modus essendi.

Ad 4. Formę materiales debent commensurari materiæ commensuratione quantitatiua, nego; commensuratione actus ad potentiam, concedo. Formæ materiales debent commensurari materiæ commensuratione actus ad potentiam; tali autem commensuratione melius formę indiuisibiles proportionantur materiæ diuisibili, quam formę diuisibiles, vt dictum est.

Ad 5. Esse totam in toto, & totam in quacunque parte subiecti, non est propriũ solius formæ spiritualis, sed est commune omnibus formis, quę per suas operationes possunt esse totę in toto, & totæ in qualibet parte obiecti, vt explicatum est. Sicut autem forma rationalis habet hoc proprium, vt possit intentionaliter abstrahere formas à materia, ità habet hoc proprium, vt possit esse extrà materiam; & hoc est spiritualitas. Addo ex S. Th. 1. par. q. 76. art. 8. quod tripliciter potest intelligi, quod anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis:


pri-

primo totalitate quantitatiua, secundo totalitate virtutis, tertio totalitate essentiæ, & perfectionis. Totalitate quantitatiua non est tota in toto corpore, quia non habet totalitatem quantitatiuam, qua constet ex pluribus partibus quantitatiuis. Totalitate virtutis anima est tota, & pars in parte corporis, quia tota virtus animæ est in toto corpore, pars virtutis in parte: e.g. virtus visiua est in oculo, non in aure, virtus auditiua est in aure, non in oculo, ideòque anima secundum virtutem organicam est diuisibiliter in corpore. Totalitate essentiç, & perfectionis anima est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.

Ad 6. & 7. In forma dependente à materia idem est separari à tota materia, quæ est primum, & adæquatum subiectũ, ac corrumpi: at non est idem separari à quacunque parte primi subiecti, ac corrumpi. Similiter idẽ est informare totã materiam, quç est primum subiectum, ac educi ex materia: at non est idem informare nouam partem additam primo subiecto, ac educi. Cum igitur anima brutorum per nutritionem informat nouas partes materiæ, & separatur ab antiquis, non corrumpitur, vel educitur secundum partes animç, sed solum secundum partes vnionis.

Ad

Ad 8 Concedo, quod indiuisibilitas animæ in plures partes actuales probatur ex vnitate animalis. Nam præter dicta, cum lupus videt ouem exempli gratia, format imaginationem ouis, quam retinet postquam ouis fugit à conspectu lupi, nec videtur amplius à lupo, ideòque lupus ex imaginatione, ac memoria ouis anteà visæ illam appetit, & quærit; sed hæc imaginatio, & appetitus ouis non formatur in oculo, in quo formatur visio, sed in cerebro, quod est organum imaginationis; ergo eadem pars animę, quæ est in cerebro, est etiā in oculo, & in omnibus organis, in quibus formantur sensationes videndi, audiendi &c. Probatur consequentia. Pars animę, quę est in cerebro, format imaginationem, appetitionem, & memoriam obiecti visi; sed non potest formare imaginationem obiecti non visi à se, sed ab alia parte distincta, atque locatiter separata: hoc enim esset, sicut si Petro vidente, alius homo non videns formaret imaginationem, ac memoriam obiecti visi à Petro; ergo ipsa pars animæ, quæ est in cerebro, videt obiectum visum, tangit obiectum tactum &c. sed non posset videre, nisi simul esset in oculo, in quo fit, & recipitur visio, non posset audire, nisi esset in aure, in qua fit auditio &c.; ergo anima imagina-



tiua, & appetitiua est simul in cerebro; atque in omnibus organis sensuum, atque eadem per oculum videt, per aurem audit, per cerebrum format imaginationem obiectorum sensatorum, ac retinet eorum memoriam. Ex hoc verò oritur, vt cum læditur vna pars animalis, tota anima doleat, & moueat cæteras partes corporis ad auertendam lęsionem vnius partis, quia nimirum eadem est in omnibus partibus. Hinc etiam oritur, vt animal exponat partes minus principales ad saluandas magis principales, ac præsertim caput, quia ad viuendum, & operandum magis indiget capite, quam cæteris partibus; si verè diuersa pars animę esset in cauda serpentis, ac in capite, cur se exponeret periculo, ne lęderetur illa pars distincta, quæ est in capite? Sicut enim vnumquodque animal magis est sollicitū de se, & de suo corpore, quam de alio, sic vnaquęque pars animæ magis est sollicita de se, ac de parte corporis, quam informat, quam de alia parte; ergo pars illa animę, quę est in cauda serpentis non debet naturaliter exponere caudam, in qua est, ad saluandum caput, in quo non est. Confirmatur, quia pars animæ, quę est in cauda, curat de alijs partibus animę, inquantum sunt sibi coniunctæ; sed quod curat de altero, inquantum est sibi con-

coniunctum, magis curat de se ipso; ergo pars animæ, quæ est in cauda, magis curat de se ipsa; ergo non debet exponere caudam, vt saluet caput; sed exponit; ergo eadem est in cauda simul, & capite.

Iam ad argumentum in contrarium, in secta viuunt diuisa, non quia anima consistit ex pluribus partibus actualibus, sed quia anima vna actu, potentia est multiplex; e. g. anima serpentis est vna actu in toto corpore serpentis, sed est multiplex potentia, inquantum est talis, vt si serpens diuidatur, loco vnius animę, quæ simul est in capite, & in cauda, resultent duę, quarum vna remaneat in capite, altera ponatur in cauda. Explicatur. Digitus hominis viuentis est actu digitus viuus, quia formatur actu per animam rationalem viuificantem, sed est potentia digitus mortuus, quia potest per abscissionem loco animæ viuificantis accipere formam digiti mortui, & si abscindatur, iam fit actu digitus mortuus. Similiter digitus hominis viuentis formatur actu eadem forma, atque anima, qua totum corpus, potentia verò formatur diuersa forma substantiali, quia per abscissionem loco animæ informantis totũ corpus potest accipere formam digiti mortui. Proportionaliter in casu no-

stro, cauda serpentis vnita reliquo corpori, formatur actu eadem anima, ac forma substantiali, qua totum corpus serpentis, sed est in potentia per abscissionem ad hoc, vt formetur diuersa forma substantiali, atque anima diuersa; ergo digitus hominis, & cauda serpentis conueniunt in hoc, quod possint per abscissionem loco animæ animantis totum corpus, accipere aliam formam substantialem; differunt solum in hoc, quod digitus hominis non potest per abscissionem accipere aliam formam viuentem, & sensitiuam; cauda serpẽtis potest accipere aliam formam viuentem, ac sensitiuam: Verum hęc differentia est materialis, nec facit difficultatem. Neque enim est minus difficile, quod digitus, qui coniunctus reliquo corpori formatur anima rationali formante totum corpus, sit in potentia ad hoc, vt per abscissionem amittat animam, & loco animę acquirat aliam formam non viuentem, quam quod cauda serpentis, quę formatur eadem anima, qua totum corpus serpentis, sit in potentia ad hoc, vt per abscissionem loco animæ formantis totum serpentem, acquirat aliam formam viuentem, & sentientem formantem solam caudam.

Si verò quęratur, à qua causa cauda abscissa animetur alia anima, respondeo, quod

quod ab eadem, à qua digitus abſciſſus formatur alia forma ſubſtantiali, nimirum à corpore cœleſti, quod cum non poteſt amplius conſeruare materiam ſub forma, ſub qua erat, dat illi proximam formam, ad quam erat in potentia. Et quia ſicut digitus viuus hominis eſt in potentia proxima ad formam digiti mortui, ſic cauda ſerpentis integri eſt in potentia proxima ad aliam animam imperfectiorem, ideò ex proportionali ratione, ex qua cœlum, digito abſciſſo, dat formam digiti mortui, caudæ abſciſſæ dat animam imperfectiorem caudę viuentis. Semper enim Cœlum tranſmutat vnumquodque, quando amplius conſeruari non poteſt, in id, in quod eſt proximè tranſmutabile. Confirmatur ex doctrina tradita de ordine, & propinquitate formarum. Sicut enim quando vnumquodque non poteſt remanere in loco, in quo erat, transfertur ad locum propinquiſſimum, ità cum materia non poteſt amplius conſeruari ſub forma, in qua erat, transfertur ad formam propinquiſſimam, vel in via corruptionis per accidens, vel in via generationis per ſe. Ideò puluis tormentarius facillimè tranſmutatur in ignem; animal viuum in cadauer mortuum; puluis mortuus in ranam viuentem; cauda ſerpentis animata anima totius ſerpentis transfer-

tur ad animam caudæ diuisæ propinquissimam animę totius serpentis in via corruptionis. Adde, quod sicut in via generationis quibusdam animabus imperfectioribus sunt immediatè propinquę quędam animæ perfectiores, eo pacto, quo ex doctrina Aristotelis, ac S. Thom. foetus prius formatur anima purè vegetatiua, deindè purè sensitiua, ac demum rationali, sic in via corruptionis quibusdā animabus perfectioribus possunt esse propinquissimæ animæ imperfectiores, e. g. animę totius serpentis anima solius caudę; ergo hæc doctrina vndique cohæret principijs positis de formis partialibus negatis, de virtualitate, ordine, ac propinquitate formarum, & de proportione modi essendi cum modo operandi.

Si demum quęratur, cur digitus abscissus ab homine formetur solùm forma non viuente, cauda abscissa à serpente formetur alia anima viuente; respondeo, quod supposita experientia, ratio potest desumi ex doctrina, quam Aristoteli tribuit S. Th. in comment. tex. 20. ac 32. lib. 2. de anima, quia in insectis datur actus quidam imaginationis, seu phantasiæ diffusus per totum corpus, licet actus perfectus imaginationis sit solùm in organo proprio, hoc est in cerebro, & similiter datur appetitus consequens

ima-

imaginationem in toto corpore; ergo cũ ſingulæ partes corporis ſint aptę ad aliquem actum imaginationis, & appetitus, etiam deciſæ ſunt capaces animę cognoſcitiuę, quę non poteſt eſſe ſine aliqua imaginatione, & appetitu, ideòque poſt deciſionem acquirunt aliquam animam cognoſcitiuam imperfectam. At animalia perfecta non exercent vllam imaginationem, & appetitionem niſi in capite; ergo reliquæ partes à capite ſeparatæ ſunt ineptę ad exercendum vllum actum imaginationis, & appetitus, adeòque ad recipiendam animam cognoſcitiuam.

Demum confirmari poteſt hęc doctrina ex S. Aug. cap. 31. libri citati de quantitate animę. Ad explicandum enim, quo pacto inſecta poſſint diuidi in duas partes, quarum vtraque ſit animata, ſine diuiſione animæ, affert exemplum quarundam vocum, quæ poſſunt diuidi in duas voces, quarum vtraque ſit ſignificatiua ſine diuiſione ſignificationis. E. g. iſta vox *Lucifer* eſt veluti ſonus animatus; ſonus enim vocis eſt quaſi corpus, ſignificatio, qua ſignificat ſtellam, quæ vocatur Lucifer, eſt quaſi anima ſoni. Si ſonus diuidatur in duas voces, quæ ſunt *Luci*, & *fer*, diuiſo ſono, non diuiditur ſignificatio, & quaſi anima ſoni, per quam ſignificationem ſignificat ſtellam, ſed amit-

titur tota hæc significatio. Adhuc tamen vtraque pars soni diuisi nimirum *Luci*, & *fer* remanet significatiua, non eadem, sed diuersa significatione, adeòque pars vtraque remanet viua vita quadam significationis. E conuerso ista vox *Cœlum* significat, sed itâ, vt si diuidatur in duas partes *cœ*, & *lum*, remaneat sonus quidam, non animatus vlla significatione. Animalia perfecta, quæ diuisa non viuunt secundum plures partes, sunt veluti voces, quę diuisę non habent plures significationes. Insecta, vt serpentes, vermes, & alia huiusmodi, quę diuisa viuunt secundum plures partes, sunt veluti voces, quę diuisę significant secundum vtramque partem, non quod diuidatur significatio, sed quod loco significationis, quam habet vox integra, acquiruntur plures significationes à partibus diuisis. Sed hæc doctrina S. Aug. non potest aliter intelligi, nisi quod anima non diuidatur, sed loco animę animantis totum corpus animalis integri, adueniat anima partis; ergo solutio allata vsquequaque cohęret doctrinę S. Augustini. Si verò accidat, quod itâ animal diuidatur, vt in capite remaneat illa anima, quę erat prius, in cauda producatur noua anima, tum eueniet aliquid simile, sicut si vox itâ diuidatur, vt vna pars significet quod prius significabat in-

tegra

tegra vox, alia pars acquirat nouam significationem.

QVAESTIO IX.

Vtrum Anima informet omnes partes tum fluidas, tum solidas viuentis.

Videtur vera sententia Toleti lib. 2. de Anima, quæst. 4 Arriagç in tract. de Anima, hoc loco, & aliorum, quod sanguis, & reliquç partes fluidę viuentis, hoc est phlegma, atra, & flaua bilis, spiritus vitales, & animales, lac, semen; ac proportionales partes fluidæ plantarũ, e. g. mustum, quod est quasi sanguis vuæ, oleum, quod est quasi sanguis oliuæ, &c. informentur eadem anima, qua totum animal, aut planta: 1. quia omnes partes eiusdem compositi informantur eadem forma substantiali; sed sanguis est pars animalis, vt docet Aristot. 2. de par. animal. c. 3. & etiam S. Thom. in 4. distinct. 44. q 1. ar. 2. quęstiunc. 2 & 3. ergo &c.

2. Plures partes non penetratę, neque continuatæ non possunt constituere vnum per se, sed solùm vnum per accidens; vnum enim per se, vel constat ex


 par-

primo totalitate quantitatiua, secundo totalitate virtutis, tertio totalitate essentiæ, & perfectionis. Totalitate quantitatiua non est tota in toto corpore, quia non habet totalitatem quantitatiuam, qua constet ex pluribus partibus quantitatiuis. Totalitate virtutis anima est tota, & pars in parte corporis, quia tota virtus animæ est in toto corpore, pars virtutis in parte: e.g. virtus visiua est in oculo, non in aure, virtus auditiua est in aure, non in oculo, ideòque anima secundum virtutem organicam est diuisibiliter in corpore. Totalitate essentię, & perfectionis anima est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.

Ad 6. & 7. In forma dependente à materia idem est separari à tota materia, quæ est primum, & adæquatum subiectũ, ac corrumpi: at non est idem separari à quacunque parte primi subiecti, ac corrumpi. Similiter idẽ est informare totã materiam, quę est primum subiectum, ac educi ex materia: at non est idem informare nouam partem additam primo subiecto, ac educi. Cum igitur anima brutorum per nutritionem informat nouas partes materiæ, & separatur ab antiquis, non corrumpitur, vel educitur secundum partes animę, sed solum secundum partes vnionis.

Ad

Ad 8 Concedo, quod indiuisibilitas animæ in plures partes actuales probatur ex vnitate animalis. Nam pręter dicta, cum lupus videt ouem exempli gratia, format imaginationem ouis, quam retinet postquam ouis fugit à conspectu lupi, nec videtur amplius à lupo, ideòque lupus ex imaginatione, ac memoria ouis anteà visæ illam appetit, & quærit; sed hæc imaginatio, & appetitus ouis non formatur in oculo, in quo formatur visiò, sed in cerebro, quod est organum imaginationis; ergo eadem pars animę, quæ est in cerebro, est etiā in oculo, & in omnibus organis, in quibus formantur sensationes videndi, audiendi &c. Probatur consequentia. Pars animę, quę est in cerebro, format imaginationem, appetitionem, & memoriam obiecti visi; sed non potest formare imaginationem obiecti non visi à se, sed ab alia parte distincta, atque locatiter separata: hoc enim esset, sicut si Petro vidente, alius homo non videns formaret imaginationem, ac memoriam obiecti visi à Petro; ergo ipsa pars animæ, quæ est in cerebro, videt obiectum visum, tangit obiectum tactum &c. sed non posset videre, nisi simul esset in oculo, in quo fit, & recipitur visio, non posset audire, nisi esset in aure, in qua fit auditio &c.; ergo anima imagina-



tiua, & appetitiua est simul in cerebro, atque in omnibus organis sensuum, atque eadem per oculum videt, per aurem audit, per cerebrum format imaginationem obiectorum sensatorum, ac retinet eorum memoriam. Ex hoc verò oritur, vt cum læditur vna pars animalis, tota anima doleat, & moueat cæteras partes corporis ad auertendam lęsionem vnius partis, quia nimirum eadem est in omnibus partibus. Hinc etiam oritur, vt animal exponat partes minus principales ad saluandas magis principales, ac præsertim caput, quia ad viuendum, & operandum magis indiget capite, quam cæteris partibus; si verè diuersa pars animę esset in cauda serpentis, ac in capite, cur se exponeret periculo, ne lęderetur illa pars distincta, quæ est in capite? Sicut enim vnumquodque animal magis est sollicitũ de se, & de suo corpore, quam de alio, sic vnaquęque pars animæ magis est sollicita de se, ac de parte corporis, quam informat, quam de alia parte; ergo pars illa animę, quę est in cauda serpentis non debet naturaliter exponere caudam, in qua est, ad saluandum caput, in quo non est. Confirmatur, quia pars animæ, quę est in cauda, curat de alijs partibus animę, inquantum sunt sibi coniunctæ; sed quod curat de altero, inquantum est sibi con-

coniunctum, magis curat de se ipso; ergo pars animæ, quæ est in cauda, magis curat de se ipsa; ergo non debet exponere caudam, vt saluet caput; sed exponit; ergo eadem est in cauda simul, & capite.

Iam ad argumentum in contrarium, insecta viuunt diuisa, non quia anima constet ex pluribus partibus actualibus, sed quia anima vna actu, potentia est multiplex; e. g. anima serpentis est vna actu in toto corpore serpentis, sed est multiplex potentia, inquantum est talis, vt si serpens diuidatur, loco vnius animę, quæ simul est in capite, & in cauda, resultent duę, quarum vna remaneat in capite, altera ponatur in cauda. Explicatur. Digitus hominis viuentis est actu digitus viuus, quia formatur actu per animam rationalem viuificantem, sed est potentia digitus mortuus, quia potest per abscissionem loco animæ viuificantis accipere formam digiti mortui, & si abscindatur, iam fit actu digitus mortuus. Similiter digitus hominis viuentis formatur actu eadem forma, atque anima, qua totum corpus, potentia verò formatur diuersa forma substantiali, quia per abscissionem loco animæ informantis totũ corpus potest accipere formam digiti mortui. Proportionaliter in casu no-

 stro

ſtro, cauda ſerpentis vnita reliquo corpori, formatur actu eadem anima, ac forma ſubſtantiali, qua totum corpus ſerpentis, ſed eſt in potentia per abſciſſionem ad hoc, vt formetur diuerſa forma ſubſtantiali, atque anima diuerſa; ergo digitus hominis, & cauda ſerpentis conueniunt in hoc, quod poſſint per abſciſſionem loco animæ animantis totum corpus, accipere aliam formam ſubſtantialem; differunt ſolum in hoc, quod digitus hominis non poteſt per abſciſſionem accipere aliam formam viuentem, & ſenſitiuam, cauda ſerpẽtis poteſt accipere aliam formam viuentem, ac ſenſitiuam. Verum hęc differentia eſt materialis, nec facit difficultatem. Neque enim eſt minus difficile, quod digitus, qui coniunctus reliquo corpori formatur anima rationali formante totum corpus, ſit in potentia ad hoc, vt per abſciſſionem amittat animam, & loco animę acquirat aliam formam non viuentem, quam quòd cauda ſerpentis, quę formatur eadem anima, qua totum corpus ſerpentis, ſit in potentia ad hoc, vt per abſciſſionem loco animæ formantis totum ſerpentem, acquirat aliam formam viuentem, & ſentientem formantem ſolam caudam.

Si verò quęratur, à qua cauſa cauda abſciſſa animetur alia anima, reſpondeo, quod

quod ab eadem, à qua digitus abscissus formatur alia forma substantiali, nimirum à corpore cœlesti, quod cum non potest amplius conseruare materiam sub forma, sub qua erat, dat illi proximam formam, ad quam erat in potentia. Et quia sicut digitus viuus hominis est in potentia proxima ad formam digiti mortui, sic cauda serpentis integri est in potentia proxima ad aliam animam imperfectiorem, ideò ex proportionali ratione, ex qua cœlum, digito abscisso, dat formam digiti mortui, caudæ abscissæ dat animam imperfectiorem caudę viuentis. Semper enim Cœlum transmutat vnumquodque, quando amplius conseruari non potest, in id, in quod est proximè transmutabile. Confirmatur ex doctrina tradita de ordine, & propinquitate formarum. Sicut enim quando vnumquodque non potest remanere in loco, in quo erat, transfertur ad locum propinquissimum; ità cum materia non potest amplius conseruari sub forma, in qua erat, transfertur ad formam propinquissimam, vel in via corruptionis per accidens, vel in via generationis per se. Ideò puluis tormentarius facillimè transmutatur in ignem; animal viuum in cadauer mortuum; puluis mortuus in ranam viuentem; cauda serpentis animata anima totius serpentis transfer-

cur ad animam caudæ diuisæ propinquissimam animę totius serpentis in via corruptionis. Adde, quod sicut in via generationis quibusdam animabus imperfectioribus sunt immediatè propinquę quędam animæ perfectiores, eo pacto, quo ex doctrina Aristotelis, ac S. Thom. fœtus prius formatur anima purè vegetatiua, deindè purè sensitiua, ac demum rationali, sic in via corruptionis quibusdā animabus perfectioribus possunt esse propinquissimæ animæ imperfectiores, e. g. animę totius serpentis anima solius caudę; ergo hæc doctrina vndique cohæret principijs positis de formis partialibus negatis, de virtualitate, ordine, ac propinquitate formarum, & de proportione modi essendi cum modo operandi.

Si demum quęratur, cur digitus abscissus ab homine formetur solùm forma non viuente, cauda abscissa à serpente formetur alia anima viuente; respondeo, quod supposita experientia, ratio potest desumi ex doctrina, quam Aristoteli tribuit S. Th. in comment. tex. 20. ac 32. lib. 2. de anima, quia in insectis datur actus quidam imaginationis, seu phantasiæ diffusus per totum corpus, licet actus perfectus imaginationis sit solùm in organo proprio, hoc est in cerebro, & similiter datur appetitus consequens ima-

imaginationem in toto corpore; ergo cũ singulæ partes corporis sint aptę ad aliquem actum imaginationis, & appetitus, etiam decisæ sunt capaces animę cognoscitiuę, quę non potest esse sine aliqua imaginatione, & appetitu, ideòque post decisionem acquirunt aliquam animam cognoscitiuam imperfectam. At animalia perfecta non exercent vllam imaginationem, & appetitionem nisi in capite; ergo reliquæ partes à capite separatæ sunt ineptę ad exercendum vllum actum imaginationis, & appetitus, adeòque ad recipiendam animam cognoscitiuam.

Demum confirmari potest hęc doctrina ex S. Aug. cap. 31. libri citati de quantitate animę. Ad explicandum enim, quo pacto insecta possint diuidi in duas partes, quarum vtraque sit animata, sine diuisione animæ, affert exemplum quarundam vocum, quæ possunt diuidi in duas voces, quarum vtraque sit significatiua sine diuisione significationis. E. g. ista vox *Lucifer* est veluti sonus animatus; sonus enim vocis est quasi corpus, significatio, qua significat stellam, quæ vocatur Lucifer, est quasi anima soni. Si sonus diuidatur in duas voces, quæ sunt *Luci*, & *fer*, diuiso sono, non diuiditur significatio, & quasi anima soni, per quam significationem significat stellam, sed amit-

titur tota hæc significatio. Adhuc tamen vtraque pars soni diuisi nimirum *Luci*, & *fer* remanet significatiua, non eadem, sed diuersa significatione, adeòque pars vtraque remanet viua vita quadam significationis. E conuerso ista vox *Cœlum* significat, sed ità, vt si diuidatur in duas partes *cœ*, & *lum*, remaneat sonus quidam, non animatus vlla significatione. Animalia perfecta, quæ diuisa non viuunt secundum plures partes, sunt veluti voces, quę diuisę non habent plures significationes. Insecta, vt serpentes, vermes, & alia huiusmodi, quę diuisa viuunt secundum plures partes, sunt veluti voces, quę diuisę significant secundum vtramque partem, non quod diuidatur significatio, sed quod loco significationis, quam habet vox integra, acquiruntur plures significationes à partibus diuisis. Sed hæc doctrina S. Aug. non potest aliter intelligi, nisi quod anima non diuidatur, sed loco animę animantis totum corpus animalis integri, adueniat anima partis; ergo solutio allata vsquequaque cohęret doctrinę S. Augustini. Si verò accidat, quod ità animal diuidatur, vt in capite remaneat illa anima, quę erat prius, in cauda producatur noua anima, tum eueniet aliquid simile, sicut si vox ità diuidatur, vt vna pars significet quod prius significabat integra

tegra

tegra vox, alia pars acquirat nouam significationem.

QVAESTIO IX.

Vtrum Anima informet omnes partes tum fluidas, tum solidas viuentis.

Videtur vera sententia Toleti lib. 2. de Anima, quæst. 4. Arriagę in tract. de Anima, hoc loco, & aliorum, quod sanguis, & reliquę partes fluidę viuentis, hoc est phlegma, atra, & flaua bilis, spiritus vitales, & animales, lac, semen; ac proportionales partes fluidæ plantarũ, e.g. mustum, quod est quasi sanguis vuæ, oleum, quod est quasi sanguis oliuæ, &c. informentur eadem anima, qua totum animal, aut planta: 1. quia omnes partes eiusdem compositi informantur eadem forma substantiali; sed sanguis est pars animalis, vt docet Aristot. 2. de par. animal. c. 3. & etiam S. Thom. in 4. distinct. 44. q. 1. ar. 2. quęstiunc. 2 & 3. ergo &c.

2. Plures partes non penetratę, neque continuatæ non possunt constituere vnum per se, sed solùm vnum per accidens; vnum enim per se, vel constat ex

partibus habentibus vnum esse, vel ex partibus continuis; sed partes materię, quæ informantur diuersis formis substantialibus, non possunt continuari, cum non possint copulari termino communi, sed solùm possint se tangere per hoc, quod extrema earum sint simul; ergo sanguis, & alij humores, nisi sunt animati, constituunt vnum per accidens.

3. Ex Aristotele 2. de par. animal. cap. 5. adeps nõ differt substãtialiter à sanguine, sed solũ accidentaliter, inquantũ est sãguis quidam benè concoctus; Galenus etiam lib. 2. de temperamento, docet adipem esse sanguinem frigore concretum, & coagulatum; sed est communis sententia Medicorum, quod adeps sit animatus; ergo etiam sanguis.

4. Ea, quæ possunt se mouere in omnem partem, sunt animata; sed sanguis in venis animalis mouetur sursum, deorsum, ad latera, & in omnes partes, vt patet; nam ex affectu verecundię accurrit ad faciem, ex affectu timoris accurrit ad cor, ideòque ex verecundia rubescimus, ex timore pallescimus; ergo sanguis est animatus.

5. Verbum Diuinum assumpsit solam naturam humanam; sed est de fide, quod assumpserit sanguinem, & est certum, quod alios etiam humores; ergo sanguis spe-

spectat ad integritatem vnius naturæ humanæ; sed vna natura constituitur per vnam formam substantialem, per plures formas substantiales constituuntur plures naturæ; ergo sanguis, & aliæ partes assumptæ constituuntur per vnam formam, atque animam.

6. Si aliqua esset ratio, propter quam sanguis, & alij humores non informarentur anima, maximè quia non exercent vllam operationem vitalem ne vegetatiuam quidem, cum sanguis non nutriatur; anima verò non informat vllum subiectum, in quo non exerceat vllam operationem vitalem; sed hęc ratio non valet; sicut enim anima non in omnibus partibus exercet operationes sentiendi, sed in quibusdam solas operationes vegetandi, sic non in omnibus partibus exercet operationes vitales, sed in quibusdam solas operationes naturales non vitales; ergo &c.

7. Aristoteles lib. 3. de hist. animal. c. 19. post medium, ait, *quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, ac feruet.* 2. de par. animal. c. 2. ait, *Est roboris efficacior sanguis, qui crassior, & calidior est, vim autem sentiendi, intelligendique obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior est.* Consonat etiam scriptura: nam Leuit. 17. dicitur *anima carnis in sanguine est.*

8. Sanguis est pars animalis magis principalis, quàm capilli, vngues, cornua, pili, plumæ auium &c. sed hæc omnia informantur anima; ergo à fortiori sanguis. Probatur minor; nam vngues, & cornua crescunt, & nutriuntur, seruata eadem figura, atque eadem proportione partium, similiter ac ceteræ partes viuentis; idemque contingit in plumis auium, vt patet experientia, præsertim in plumis pauonum: capilli etiam se habent in hominibus, sicut plumæ in auibus, vel in arboribus frondes, vt Aristoteles docet sed plumæ auium, & frondes arborum viuunt; ergo etiam capilli hominis viuunt, idemque dic de iubis equorum, ac pilis aliorum animalium. Confirmatur, quia videtur proprium viuentium, vt crescant vsque ad certum terminum magnitudinis, ad quem cum peruenerint, non crescunt amplius, vt patet experientia in omnibus plantis, & animalibus; sed vngues, cornua, & capilli, iubæ etiam, ac pili crescunt vsque ad certum terminum, & cum ad illum peruenerint, non crescunt amplius, vt compertum est experientia in capillis mulierum; ergo viuunt. Adde, quod sicut arborum rami si resecentur, initio repullulant, & crescunt velocissimè, deinde solùm lentè, & paulatim, quousque aut insēsibiliter, aut omninò

nò nihil crescant, sic capilli, quo magis propè radicem resecantur, eò deinde velocius crescunt, posteà paulatim lentius augentur, quousque eorum incrementum, aut nullum, aut insensibile sit, quod accidit etiam in augmento animalium. Vix enim nata animalia crescunt velocissimè, deinde paulatim, vsquedum peruenerint ad terminum suę magnitudinis. Confirmatur, quia microscopio deprehensa est in capillis quædam heterogeneitas partium, quædam striæ, ac cauitates, per quas probabile est eos suscipere alimentum, & ità proportionaliter crescere, ac nutriri, sicut cæteræ partes nutriuntur, ac crescunt; sed proportionaliter crescere est proprium viuentium; ergo capilli viuunt. Datur etiam quidam morbus, in quo eriguntur, & turgescunt capilli cum acerbissimo sensu doloris, & si resecentur, effluit sanguis, & homo moritur; sed hoc non contingeret, nisi capilli haberent vitam, & etiam sensum; ergo capilli viuunt; ergo à fortiori viuit, & animatur sanguis.

Resp. ex Aristotele 2. de par. cap. 1. & 2. partes viuentium diuidi primo in similares, siue homogeneas, & dissimilares, siue heterogeneas. Similares sunt, quę sunt eiusdem rationis, vt varię partes carnis eiusdem rationis, variæ partes ossis eius-

eiusdem rationis. Dissimilares sunt, quæ sunt diuersę rationis, vt caput, manus, caro, & ossa &c. Dissimilares diuidi possunt in 4. classes; perfectè solidas, & siccas; perfectè liquidas, ac fluidas; medias inter perfectè solidas, ac perfectè liquidas; & omninò excrementitias. Perfectè solidę sunt ossa, spina, nerui, venæ, chartilagines, arteriæ, vngulę, vngues, cornua, rostra, pili, plumę, squammæ &c. Perfectè fluidæ sunt 4. humores correspondentes 4. elementis, flaua bilis correspōdens igni, ideoque supernatans cæteris humoribus; sanguis proportionalis aeri; pituita proportionalis aquæ; & atra bilis, seu melancholia proportionalis terræ, ideoque densior, ac grauior cæteris humoribus, ac descendens ad imum &c. Mediæ inter perfectè liquidas sunt cerebrum, medulla spinalis, medulla ossalis, adeps, caro, sæuum, & alia huiusmodi. Omninò excrementitiæ sunt phlegmata illa, quæ expuuntur, sudores, vrinę, fęces &c. Certum est partes merè excrementitias, & quæ tanquam inutiles secernuntur, & eiiciuntnr à natura, vt phlegmata, quæ expuuntur &c. non esse animatas. De cęteris, ac præsertim de sanguine, & humoribus est subobscura quęstio, de qua vt vniuersim statuamus, dicendum, quod illæ omnes, & solę partes sunt

ſunt animatæ, quę ſunt inſtitutę ad hoc, vt viuant in actu ſecundo per exercitium aliquarum operationum vitalium; partes verò, quę ſunt inſtitutæ non vt viuant in actu ſecundo, ſed ſolum vt alant, foueant, roborent, ac iuuent ad operationes vitales cęteras partes, non ſunt animatę. Et quia operationes vitales organicę ſunt ſentire, ac nutriri, ideò omnes, & ſolę partes, quę ſentiunt, aut nutriuntur, ſunt animatę. Hinc iam patet omnia organa ſenſuum, e.g. oculos, aures &c. in quibus exercentur operationes ſentiendi, & à fortiori cerebrum, in quo exercentur actus imaginationis, eſſe partes animatas. Colligitur etiam eſſe animatas omnes partes ſenſitiuas, cuiuſmodi ſunt caro, nerui &c. Demum colligitur eſſe animatas omnes partes, quæ licet non ſentiant, vitaliter nutriuntur, & creſcunt per introſuſceptionem alimenti ſecundum omnes partes, ſeruando eandem proportionem, & figuram. Et quia caro, oſſa, nerui, venę, arteriæ, chartilagines, membranę, cuticulę, cerebrum hoc pacto nutriuntur per introſuſceptionem alimenti ſecundum omnes partes, vt conſtat experientia, ideò omnes iſtę partes ſunt viuentes, & animatę. Confirmatur de dentibus, de quibus videtur poſſe magis dubitari. Nam licet ſint ſolidiſſimi, dantur

tamen

tamen in ipsis nonnullę cauitates,& foraminula parua sensu etiam perceptibilia, per quæ insinuant se nerui, quibus solidantur, & continentur, & dispergitur alimentum per totam molem dentis, qui propterea crescit, seruata eadem figura: Et hinc oritur,vt dolor dentium sit acerbissimus. Licet enim pars ossea dentis propter suam duritiem non sit apta ad sentiendum, tamen nerui illi subtilissimi per subtilissimos poros subeuntes sunt maximè sensitiui, & qualibet re lęsi causant maximum dolorem?

Ex opposita ratione colligitur sanguinem, & alios humores, ac partes perfectè fluidas non esse animatas. Non enim exercent vllum actum vitalem, cum neque sentiant, neque nutriantur per introsusceptionem alimēti. Quod non sentiant, est manifestum; quod non nutriantur vitaliter, probatur, quia in nutritione vitali res crescunt, introsuscipiendo alimentum per omnes partes, & seruando eandem figuram; sed liquores perfectè fluidi non habent propriam figuram, sed configurantur omninò corpori solido, in quo continentur, eo pacto, quo aqua in vase quadrato fit quadrata, in vase rotundo fit rotunda, adeoq; sanguis, & humores configurantur venis, in quibus continentur; præterea etiam in corpore fluido

non

non dantur pori,& organa ad se nutriendum per introsusceptionem alimenti; ergo sanguis, & humores non nutriuntur vitaliter,sed solum augentur per aggenerationem non vitalem, sicut aqua in fonte crescit per additionem nouæ aquæ, & non per introsusceptionem alimenti.

Confirmatur, nam partes, quę non sunt institutæ, vt viuant in actu secundo per exercitium operationum vitalium, sed solum vt alant, ac foueant partes viuentes, non sunt animatæ actu, sed solùm potentia, inquantum sicut possunt transmutari in partes viuentes, quas alunt, ità possunt informari anima; sed sanguis iuxtà dicta non est institutus, vt viuat, sed vt alat,ac foueat partes viuentes,ideòque Aristoteles vbique, ac præsertim de somno, & vigilia cap.4. & 2 de par.cap. 3. quem sequuntur omnes Medici, docet sanginem esse vltimũ alimentum animaliũ sanguineorum; vltimum verò alimentum eorũ, quæ sanguine carẽt,esse aliquid proportionale sanguini;ergo sanguis non est animatus. Idem à fortiori dicendum de alijs humoribus,qui sunt partes minus principales,& videntur aliqualiter excrementitiæ, vt inferius explicabitur. Et quia etiam spiritus vitales, & animales non differunt substantialiter à sanguine, nec nutriuntur,aut sentiunt, sed sunt partes

tes

tes ipsius sanguinis maximè defæcatę inseruientes non quidem pro materia nutritionis, sed pro corroboratione organorum ad exercendas operationes vitales, ideò nec spiritus sunt animati. Quia rursus lac videtur non esse aliud, quam sanguis præsertim menstruus magis concoctus, secretà ab eo fæce, ac sordibus, vt suadetur ex eo, quia prægnantibus cessant fluxus menstrui sanguinis, vt ex illo formetur lac, ideò nec lac est animatum. Confirmatur à fortiori. Nam lac est institutum, vt sit alimentum prolis; ergo si sanguis, quia est alimentum animalis, in quo est, non est animatus actu, sed solùm potentia, à fortiori lac, quod est per se alimentum alterius, non erit animatum actu, sed solùm potentia. De semine etiam animalis probabilius est, quod non sit animatum actu, vt videtur docere Aristoteles 2. de anima, tex. 10. & 2. de gener. animal. c. 1. quem sequuntur non solùm Peripatetici, sed etiam Medici plures contrà Platonem, quem sequuntur Galenus, Themistius, & alij relati à Conimbric. 1. de Gener. c. 4. q. 25. art. 1. Videtur enim semen nihil aliud esse, quam sanguis, vel inconcoctus, vel maximè concoctus iuxtà varias sententias; ergo sicut sanguis non est animatus, nec semen. Saltem certissimum est semen iam ab ho-
mine

mine separatum non animari anima rationali. Docent tamen auctores communiter semina plantarum, ac stirpium viuere, cum videamus talia semina vitaliter augeri, quod non accidit in semine animalium. Proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt de semine, dicendum de ouis, quorum albumine pullus gignitur, ac vitello nutritur.

Ex ijsdem principijs infertur aculeos in herinaceis, testas, conchas, spinas, ac pennas in auibus esse animatas, cum nutriantur per introsusceptionem, seruando eandem figuram, & dispositionem colorum, vt patet experientia. E conuerso probabile est vngues, capillos, ac pilos non viuere. Non enim videntur augeri vitaliter per introsusceptionem, sed solùm augeri non vitaliter per extrusionem quarundam partium excrementitiarum alimenti, quæ partes, quia sunt inutiles ad nutriendas partes animatas, à natura conuertuntur in vngues, & capillos spectantes ad munimen, & ornatum animalis. Confirmatur, nam capilli, & vngues crescunt etiam in cadaueribus; ergo eorum alimentum non est vitale, sed solùm per extrusionem, atque additionem partium non vitalium. Ex his fundamentis sanguinem, & humores non esse animatos, docent communiter plerique Recentiores,

res, & Antiquiores Scholast. in 4. dist. 44. vbi tractant hãc quæstionem, & colligitur ex Aristot. 2. de par. animal. c. 1. Quod verò capilli, & vngues non sint animati, docent etiam plures Scholastici, ac Medici.

Ad 1. In viuente, ac præsertim in animali dantur duo genera partium, essentiales, & integrales. Essentiales sunt, sine quibus non potest esse species talis viuentis, e. g. materia, & forma hominis. Nam nec corpus sine anima, nec anima sine corpore est homo. Integrales sunt, sine quibus viuens potest quidem retinere speciem, sed non potest esse integrum, e. g. manus, & pes. Potest enim dari homo sine manu, sed tum non est integer, sed mutilus. Partes integrales aliȩ sunt primariȩ, aliȩ secundariæ. Primariȩ sunt, quȩ ità sunt partes viuentis, vt & ipsȩ viuant, ità sunt partes subiecti viuificati, & instrumenti coniuncti cum anima ad exercendas operationes vitales, vt & ipsȩ sint partiale subiectum viuificatum, & instrumentum coniunctum ad exercendas tales operationes, e. g. manus, pes &c. Partes secundariæ sunt, quæ ità per suam substantiam sunt complementum subiecti viuificati, & instrumenti coniuncti, prout talis, vt non sint partiale subiectum, nec partiale instrumentum coniunctum ani-

mȩ,

mæ,& tales sunt humores,capilli, vngues, &c. Præter istas partes primarias, & secundarias viuentis dantur aliç, quç propriè non sunt partes viuentis, sed vel dantur in viuente purè ex necessitate materiæ, vel spectant ad causã, à qua viuens conseruatur,& ad locum,in quo viuit. Iam ad argumeutum, omnes partes viuentis informantur anima,distinguo;omnes partes primariæ, concedo, secundariç, nego; nam istç sunt solum complementum aliarum partium in ratione subiecti idonei, atque instrumenti coniuncti, vt dictum est. Confirmatur hęc doctrina, quia per eam conciliantur tęxtus Aristotelis, ac S. Thomç,qui textus videntur oppositi. Aristoteles 2. de partib. c.2. numerat sanguinem inter partes animalium: cap.10. eiusdem libri dicit *nec ipse sanguis tactu præditus est, quippè cum nulla pars sit animalium*. Non est contradictio, quia c.2. loquitur de partibus, abstrahendo à primarijs, & secundarijs, cap 10. de partibus primarijs. S. etiam Thomas aliquando dicit sanguinem esse partem actualem viuentis, aliquando dicit esse partem solùm potentialem; sed non est contradictio, quia est pars actualis secundaria,sed est pars primaria solùm in potentia, cum sit vltimum alimentum proximè cõuertibile in partes animatas,adeòq; primarias.

Ad 2. vnum per se suscipit varios gradus. Primo vnum per se est substantia, quę neque est pars, neque constat ex partibus, qualis est solus Deus. Secundo substantia, quę constat ex partibus, sed localiter inseparatis, & habentibus idem esse, vt Angelus constans ex natura, & subsistentia. Tertio, quod constat ex partibus localiter separatis, & habentibus vnicam formam indiuisibilem in partes actuales, vt animalia quatenus constituta per solas partes primarias. Quarto, quod constat ex partibus, quarum vnaquęque habet perfectionem per hoc, quod sit alteri coniuncta, vt plantę, quarum partes, hoc est rami, radices, frondes &c. habent perfectionem speciei per hoc, quod sint coniunctę, cum perfectio vniuiusque partis instrumentalis consistat in eo, vt sit instrumentum coniunctum cum alia parte ad constituendum totum organicū continens omnes partes per aliquam præcipuam, & principalem. Hęc autem connexio, per quam tales partes constituunt totum, vocari potest continuitas formalis, per quam continentur à toto media aliqua parte pręcipua. Quinto demum quod constat ex partibus, quę separatæ habent speciem perfectam, sed copulantur per hoc, quod eorum extrema sint vnum, vt oceanus, & alia continua

homo-

homogenea, atque inanimata, quæ videntur esse vnum per se potius materiale, quam formale, cum quælibet pars separata ab alia faciat perfectam speciem, & naturam. Iam animal inquantum constituitur per partes non solũ primarias, sed secundarias, hoc est humores, capillos, vngues &c. est vnum per se 4. modo, inquantum ad perfectionem integralem speciei indiget etiam humoribus, capillis &c. ità vt omnes partes contineantur ab anima, quę est præcipua pars. Dum opponitur; partes non continuatæ non possunt facere vnum per se, distinguo; non continuatæ continuitate materiali, neque formali, concedo; non continuę continuitate materiali, sed formali, ac magis perfecta, nego. Quæ habent continuitatem merè materialem, vt aqua, & alia homogenea sunt vnum per se; ergo à fortiori quę habent continuitatem formalem iam explicatam. Debet autẽ aduerti, quod quia in generibus vltimum supremi attingit supremum infimi, oriri solet aliqua confusio, per quam supremũ infimi confunditur cum infimo supremi, nec satis ab ipso discernitur. Ità quia anima rationalis est infima formarum spiritualium, videtur aliquibus forma materialis, adeòque confunditur cum suprema formarum materialium; e conuerso

Pla-

Platoni visa est forma purè assistens, adeòque confusa est cum infimis formarũ separatarum. Similiter supremæ animarum irrationalium aliquibus videtur participare aliquid de ratione, & discursu, & sic confunduntur cum forma rationali; de aliquibus hominibus valdè hebetibus dubitatur aliquando, an habeant animam rationalem, adeòque confunduntur cum brutis. In casu nostro infimi gradus vnitatis per se, videri possunt vnitates per accidens, & è conuerso.

Ad 3. Concedo cum pluribus Peripateticis, ac medicis, quod nec adeps viuit.

Ad 4. Sanguis non habet principium se mouendi in omnes partes, sed solum mouetur extrinsecè ab anima, præsertim per spiritus vitales, sicut etiam pura excrementa, quæ manifestè non sunt animata, possunt per virtutem motiuam extrinsecam moueri etiam sursum, vt patet in vomitu.

Ad 5. Verbum Diuinum assumpsit naturam humanam substantialiter integram, & perfectam non solum integritate primaria, sed etiam secundaria: & quia etiã sanguis, & humores spectant ad integritatem, & perfectionem secundariam humanę naturę, ideò non solum assumpsit corpus habens sanguinem, & humores, sed etiam ipsum sanguinem, & humores,

licet

licet de sanguine sit magis certum, quam de reliquis humoribus. Ex proportionali ratione, quia Beati resurgent cum corporibus perfectis, & integris perfectione, & integritate etiam secundaria, ideò non solum resurgent cum omnibus partibus animatis, sed etiam cum humoribus, spiritibus, capillis, vnguibus, quia hæc omnia spectant ad integritatem humanę naturæ; vnde scriptum est *capillus de capite vestro non peribit*. E conuerso nō erunt in corporibus beatis partes purè excrementitiæ, cibus, chilus &c. quia non spectant ad integritatem naturę, sed dātur in animali passibili ex necessitate, & cōditione materię passibilis, & trāsmutabilis Dū opponitur; vna natura cōstituitur per vnicam formam, distinguo; vna natura homogenea, concedo, heterogenea, nego. Natura humana integraliter omninò perfecta est heterogenea, ideòque potest constitui per plures formas constitutiuas partium, quarum nulla separata ab alia habeat integram perfectionem speciei.

Ad 6. Est omninò inconueniens, quod anima sit in vlla parte corporis, quin illam viuificet, reddendo aptam ad exercendam aliquam operationem vitalem, at non est inconueniens, quod non possit in singulis partibus exercere quamlibet o-

perationem vitalem. De facto enim in oculo non audit; ergo potest etiam in aliqua corporis parte non sentire, sed purè vegetari, ac nutriri.

Ad 7. Licet interpres Aristotelis verba citata latinè reddiderit, *quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet*, tamen textus græcus non facit hunc sensum, sed latinè reddi debet, *sanguis vnus semper est in toto corpore animalis, quandiu animal viuit*, vt patere potest legenti. Secundo de partibus cap. 2. dum dicit, quod sanguis crassior, ac calidior est efficacior roboris, tenuior, ac frigidior vim sentiendi, intelligendique obtinet pleniorem, patet, quod non loquitur intransitiuè, sed transitiuè, ità vt sensus sit, quod sanguis calidior, & crassior sit aptior ad reddendos homines robustos; è cõuerso sanguis subtilior, & frigidior sit aptior ad faciendos homines acutos in sentiendo, & intelligendo. Testimonium Leuit, quod anima carnis in sanguine est, exponitur à S. Aug. q. 17. in Leuit. vt sensus sit, quod vita animalium multis modis dependet à sanguine, à quo animal alitur, & fouetur, licet sanguis formaliter non sit animatus.

Ad 8. Distinguo maioré, sanguis est pars magis principalis, sumendo principale pro necessario, concedo; sumendo principale

cipale pro apto ad viuendum in actu secundo per operationes vitales, nego. Ad diiudicandum, vtrum aliqua pars viuat, non est attendenda principalitas necessitatis, sed sola principalitas aptitudinis ad exercendas operationes vitales. Et quia plumę sunt aptę ad hoc, vt vitaliter nutriantur, sanguis est ineptus, ideò plumæ viuificantur, non verò sanguis. Dum opponitur, quod vngues, & capilli crescunt, seruata eadem figura &c. distinguo, crescunt per introsusceptionem, nego; per aggenerationem non vitalem, vt lapides in fodinis, concedo, & nego consequentiam. Patet, quod vngues non crescunt per introsusceptionem, ex albis vnguium maculis, quas videmus non crescere, sed paulatim expelli, & extrudi. Si autem vngues crescerent per introsusceptionem, etiam maculę deberent crescere, sicut crescente arbore, crescunt nodi, & si puer habeat aliquam cicatricem crescente puero, crescit proportionaliter cicatrix. De cornibus est magis dubiū, præsertim, quia cum animalia cornuta carere soleant dentibus superioribus, probabile videtur, quod eadem sit substantia cornuum, ac dentium, & quod alimentum, quod in cæteris animalibus conuertitur in dentes superiores, in animalibus cornutis transmutetur in cornua.

Dum rursus opponitur, quia capilli correspondent plumis auium, & frondibus arborum, respondeo, quod ad proportionalem correspondentiam non requiritur, vt sint animati, sicut plumæ, sed sufficit, quod dati sint ad tegumentum capitis, sicut frondes datę sunt arboribus ad tegumentum fructuum, plumæ auibus ad tegumentum totius corporis. Dum rursus vrgetur ex eo, quod crescere vsque ad certum terminum est proprium viuentium, distinguo eodem pacto, per introsusceptionem, concedo; per puram additionem, nego. Etiamsi capilli, & vngues non viuant, crescunt vsque ad certum terminum, quia cum iam acquisiuerunt quãdam magnitudinem, partes excrementitiæ, ex quibus generantur, non sufficiunt ad augendam molem, sed solum ad reparandam quantitatem vnguium deperditam per attritionem, & quantitatem capillorum, quę etiam minuitur, & exsiccatur propter causas extrinsecas. Et quia in maiori mole plus deperditur, quam in minori, ideò cum peruenerunt ad certum terminum, cessat augmentum, toto nutrimento impenso in puram reparationem. Quod additur de heterogeneitate partiũ deprehensa microscopio in capillis, ac de cauitatibus, dico, quod capilli per illas cauitates suscipiunt humorem, à quo aluntur,

ur, non tamen per introsusceptionem, sed per meram additionem non vitalem; licet ex hac experientia, sit valde probabilis opposita sententia, quod capilli viuant. Sed fortasse viuunt vitam merè vegetatiuam, & sunt veluti paruæ arbores radicatæ in capite humano, ac trahentes alimentum excrementitium, quo nutriantur. Dum demum opponitur morbus ille, in quo turgescunt capilli, ac si resecentur, effluit sanguis, & animal moritur, dico, quod mors sequirur ex fluxu sanguinis, & spirituum, quorum magna effusio sequitur ex capillorum resecatione; dolor verò non est in capillis, sed in partibus viuentibus, quibus capilli adhærescunt, in quibus partibus, capillis resecatis, fit aliquis motus.

QVAESTIO X.

Vtrum in generatione hominis producantur successiuè tres Animæ.

VIdetur vera sententia plurium recentiorum, cui fauet Toletus lib. 2. de anima cap. 4. q. 7. quod in progressu generationis humanę non producantur successiuè tres animæ, sed statim introducatur anima rationalis, quę ab initio solum

vegetet corpus, deinde magis perfectis organis sentiendi, constituat animal aptũ ad sentiendum, postremò demum incipiat discurrere: 1. quia si aliqua esset ratio ponendi successionem animarum, maximè quia fœtus successiuè exercet prius operationes vegetatiuas, deinde sensitiuas, ac demum rationales; sed hęc ratio non valet, nam hæc successio operationum potest oriri ex eo, quod organa successiuè perficiantur, ac reddantur idonea ad varias operationes; ergo &c Min. probatur primo, quia ex eo, quod organa successiuè perficiantur, prius eadem anima exercet operationes infantis, deinde operationes pueri, iuuenis, viri perfecti, ac postmodum senis; ergo ex eo, quod organa successiuè perficiantur, poterit eadem anima prius exercere operationes purè vegetatiuas, secundo sensitiuas, tertio rationales. Secundo probatur eadem minor, quia cum homo moritur, prius solet cessare ab operationibus discurrendi, deinde ab operationibus sentiendi, postremò à motu cordis, ac respiratione, & operationibus vegetatiuis, & tamen non fit successio animarum, sed solùm dispositionum; ergo cum homo concipitur, poterit proportionale contingere.

2. Ideò ante animam humanam introduci-

ducitur alia anima purè sensitiua, quia prius fætus humanus est aptus sentire vtcunque, quam sit aptus exercere operationes humanas; sed etiam fœtus equinus, aut leoninus prius est aptus exercere operationes sentiendi vtcunque, quam sit aptus exercere operationes equinas, aut leoninas; ergo prius produceretur alia anima sensitiua, quam anima leonis, aut equi. Rursus quædam animalia, vt canis, prius sunt apta exercere operationes tangendi, quam videndi, cum ab initio catelli habeant oculos clausos; ergo prius deberet produci anima purè tactiua, deinde perfectior, ac visiua; & cum plures, & plures gradus animarum vegetatiuarum, ac sensitiuarum inter infimam animam vegetatiuam, & animam rationalem intermedient, deberent produci successiuè plures animæ, quam duæ, ante rationalem.

3. Si in progressu generationis humanæ darentur successiuè tres animæ, homo generans prius generaret plantam, secundo bestiam, ac demum hominem; ergo antequam per generationem hominis euaderet pater hominis, per generationem plantæ, ac bestiæ esset pater plantę, ac bestiæ; ergo etiam homo genitus, antequam fiat homo per animam rationalem, est planta per animam purè vegetatiuam,

est bestia, per purè sensitiuam. Adde, quod omnis anima vegetatiua, ac sensitiua debet esse determinatæ speciei; at non potest explicari, cuius speciei sint animæ intermediæ.

4. Istæ animæ intermediæ ordinarentur ad introductionem animæ rationalis; sed per introductionem animæ rationalis expelluntur, ac pereunt; ergo ordinarentur ad destructionem sui. Confirmatur, quia non potest explicari, à qua causa successiuè producantur.

5. Certum est, quod in conceptione Christi Domini statim producta fuit anima rationalis, ac quod Beata Virgo nihil aliud concepit, quam hominem Deum; ergo etiam in Conceptione aliorum hominum statim producitur anima rationalis, ità vt matres statim concipiant hominem, non verò brutum, ac plantam.

6. In Rituali Romano edito iussu Pauli V. precipitur, vt in abortu fætus baptizetur non conditionatè, sed absolutè, si motum aliquem ediderit; ergo non prius producitur anima sensitiua, quam rationalis; alioquin posset fetus se mouere per sensitiuam, non adhuc obtenta anima rationali, in quo casu esset incapax baptismi.

Resp quod ad quæstionem decidendam prius explicandus est progressus generationis

tionis humanæ. Recepto semine, & per sex integros dies concalefacto intrà vterum matris, die septima apparet massa quædam veluti lactis spumantis, in eaque tres bullæ ampliores ad formandas tres præcipuas partes corpòris, nimirum cor, cerebrum, & hepar, & hæc est prima formatio fætus. Hic fætus, siue embryo ab initio non nutritur, ideòque nullum alimentum sumit ex matre, sed vt post aliquos dies incipiat nutriri, & crescere, adeòque trahere alimentum ex matre, formantur in ea parte, in qua futurus est vmbilicus infantis, quidam canaliculi, seu venæ, & arteriæ, quæ dicuntur vasa vmbilicalia, quibus circumducitur corpus infantis, & post vnam, aut alteram circumligationem tales canaliculi inferunt, atque insinuant sese osculis venarum materni vteri, vt ex venis vteri trahant alimentum ad nutriendum infantem, eo pacto, quo arbores trahunt alimentum ex terra per radices. Præterea tribus panniculis, seu tunicis circumtegitur, & inuoluitur fætus, adeò vt fætus sit veluti fructus ventris pendens ex vtero tanquam ex arbore per vasa vmbilicalia, tanquam per pediculum, & panniculis, ac tunicis tanquam cortice, & folijs inuolutus. Post aliquot dies incipiunt in fætu apparere rubrę quędam guttę, & filamenta, quæ sunt veluti linea-

menta totius opificij, ità vt maſſa illa, quæ die ſeptimo videbatur maſſa lactis ſpumantis, appareat tanquam maſſa ſanguinea, in qua clarè diſtinguuntur tria illa membra præcipua, cerebrum, cor, & hepar. Procedentibus diebus formantur cætera membra, donec die 40. vt docet communior opinio cum Ariſtotele lib. 7. de hiſt. animal. cap. 3. ſit omninò abſolutum opificium, cum omnibus membris, habens magnitudinem formicæ grandioris, qua de re ſcribit Fernel. lib. de procreatione hominis, cap. 10. *Sæpè obſeruauimus die 40. eiectum fœtum ſemidigiti, vel vt ait Ariſtoteles formicę grandioris magnitudine, verè, ac prorſus conformatum. Caput erat atellanæ par, & maius, quam pro reliqui corporis ratione, oculi, vt cancris exerti, naſus, auriculæ, brachia, manus, crura, pedes biſque ſecreti digiti*. Corpus fœminæ tardius formatur ob defectũ caloris, & virtutis formatricis, & vt docet cõmunior ſententia abſoluitur circà diem 80. Non deſunt tamen, qui putent formationem maſculi abſolui diebus 30 fœminę 40.

Suppoſita hiſtoria generationis humanæ, dicendum primo, quod embryo, ſeu maſſa illa lactea, aut ſanguinea primis diebus, quibus vitaliter non nutritur, non eſt animatus actu vlla anima, ſed ſolum potentia. Videtur expreſſa ſententia Ariſtotelis

stotelis lib.2. de gener. animal. cap.3. vbi habet hæc verba. *Animam vegetalem in seminibus, conceptibus scilicet nondum separatis haberi potantia statuendum est, non actu, prius quam eo modo, quo conceptus, qui iam separatur cibum trahat, & officio eius animæ fungatur.* Ratio verò conclusionis est, quam Aristoteles indicat, quia anima non potest poni in materia, quin illam actu viuificet, reddendo aptam ad aliquam operationem vitalem exercendam; sed embryo primis illis diebus non est aptus ad vllam operationem vitalem exercendam, cum nec possit nutriri, quandoquidem adhuc non habet vasa vmbilicalia, per quę trahat alimentum, quo nutriatur; ergo non animatur actu, sed potentia.

Dicendum secundo, quod embryo cum iam incipit vitaliter nutriri, & augeri, animatur actu anima vegetatiua. Ratio est, quia non potest vitaliter nutriri, nisi viuificetur ab anima; sed vitaliter nutritur & augetur per introsusceptionem alimenti, crescendo secundum omnes partes, seruata eadem figura; ergo viuificatur ab anima vegetatiua. Et licet aliqui operationes vitales embryonis tribuerint externo principio, hoc est vel animæ matris, vel virtuti formatrici seminis, tamen reijciuntur à S. Thoma 1. par. q. 118. art.2. ad 2. ex eo, quod operationes

vitales oriri non possunt āb externo principio; & confirmatur ex Aristotele c. 3. lib. 2. de gener. animal. inferente ex eo, quod conceptus exerceat operationes vitales, quod sit animatus.

Dicendum 3. cum communi sententia S. Thomę 1. par. q. 76. art. 3. ad 3. & q. 118. art. 2. ad 2. quem præter cæteros sequuntur etiam Conimbr. hoc loco, quod in embryone datur successio animarum, ità vt prius animetur anima purè vegetatiua, deinde sensitiua, ac demum circà diem 30. aut 40. infundatur anima rationalis. Probatur 1. ex Aristotele loco cit. lib. 2. c. 3. de gener. animal. vbi habet hęc verba. Ergo animam in ijs vegetantem haberi planum est, sensualem etiam, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo. Non enim simul, & animal fit, & homo, nec animal, & equus, eademque de cęteris animalibus ratio est. Respondent Aduersarij Aristotelem loqui non de successione animarum, sed operationum. Verum præterquam quod operationes animæ non vocantur animæ, patet ex antecedentibus, & consequentibus Aristotelem loqui, non de operationibus, sed de substantia animæ. Ex antecedentibus quidem; nam ex eo, quod in embryone dentur operationes vitę vegetatiuę infert; *ergo animam vegetan-*

getan-

getantem haberi planum est; sed non infert idem ex eodem; ergo ex operationibus animę infert dari in embryone principium talium operationum, seu animam vegetatiuam secundum substantiam; ergo dum subdit, quod anima sensualis recipitur tempore procedente, & similiter rationalis, loquitur de anima secundum substantiam. Ex consequentibus idem patet, nam subdit. *De mẽte etiam, quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur*; sed per hæc verba loquitur manifestè de mente, seu anima intellectiua secundum substantiam, ergo etiam in antecedentibus loquutus est de alijs animabus secundum substantiam.

Prob. 2. ratione: nã anima est actus corporis organici; ergo non potest esse nisi in corpore organizato organizatione conueniente tali animæ; sed embryo cum primo incipit viuere, non habet organizationem conuenientem animę rationali: quis enim dicat massam lactis spumantis pendentem ab vtero per vasa vmbilicalia, in qua non est formata caro, non ossa, non venę, non nerui, non caput, non pedes, non crura, non sanguis, habere organizationem conuenientem homini; ergo in embryone cum primo incipit viuere, non datur anima rationalis, nec vlla

la anima sensitiua, ex proportionali ratione, sed anima purè vegetatiua, qualis est in fructu pendente ex arbore, & ex illa alimentum trahente. Confirmatur, nam anima rationalis remanere non potest in corpore, abscisso capite, quia corpus carens capite non habet sufficientem organizationem; ergo multo minus potest primo poni in massa carente, non solùm capite, sed carne, ossibus, & omnibus neruis. Inductione enim constat, quod materia debet esse perfectius disposita, vt primò formam recipiat, quam vt illam conseruet. Ità aqua potest conseruari priuata frigore intenso, immò cum intenso calore, at non potest forma aquæ primo introduci in materiam non intensè frigidam; & maior calor requiritur in fætu, vt primo animetur, quam ad hoc, vt iam animatus non moriatur; sed dispositio præcipua materiæ ad animam recipiendam est organizatio corporis per distinctionem membrorũ; ergo si anima rationalis non potest conseruari in corpore carente sanguine, multò minus poterit introduci in massam lactis carentem non solùm sanguine, sed carne, ossibus, atque omnibus membris, & solùm habentem quoddam inchoamentum hepatis, cordis, ac cerebri. Secundo confirmatur, quia anima rationalis poni non debet in materia

teria adhuc indifferente ad recipiendam organizationem hominis, aut bestiæ; sed massa illa lactis pendens ex vtero, adhuc potest per accidens recipere organizationem bestiæ, ac degenerare in monstrum irrationale; ergo &c. Tertio confirmatur inductione desumpta ex eo, quod natura procedat ad formas perfectas per quasdã formas imperfectas, ac medias, e. g. per formas seminum, quæ inductio melius explicabitur in responsione ad 4. Quarto confirmatur, quia si admittamus animam rationalem posse dari in corpore non habente actu, sed solùm potentia organizationem humanam, & per se ordinato ad illam obtinendam, aperitur aditus errori eorum, qui dixerunt animam rationalem dari etiam in semine abscisso, quia licet non habeat actu organizationem humanam, habet illam potentia, & per se ordinatur ad illam obtinendam actu, quæ opinio est absurda, & contrà fidem, ac rationem.

Ad 1. Ratio, cur detur successio animarum, non est vtcunque, quia fætus prius exercet operationes vegetatiuas &c. sed quia ità exercet prius operationes vegetatiuas, vt tum habeat organizationem imperfectiorem organizationibus etiam plurium plantarum, adeòque non habeat organizationem vllius animalis; ergo tum

in

in embryone poni non potest anima sensitiua. Similiter tempore procedente embryo sentit ità, vt non habeat organizationem humanam, sed organizationem imperfectiorem organizatione plurium brutorum; ergo tum non potest poni in embryone anima rationalis, sed purè sensitiua, rationalis verò infunditur, cum primo embryo habet organizationem humanam, & humanum temperamentum. Hinc retorquentur instantiæ in contrarium. Nam licet eadem anima prius exerceat operationes infantis, deinde pueri, postmodum iuuenis &c. adhuc semper est in corpore habente organizationem, & temperamentum humanum, & si corpus amittat talem organizationem, & temperamentum propter morbum, aut alium casum, anima non remanet in corpore; ergo à fortiori anima non infunditur corpori, cum adhuc corpus non habet actu, sed solùm potentia organizationem, ac temperamentum humanum &c.

Ad 2. Concedo cum Aristotele, quod prius embryo equinus, aut leoninus accipiat aliquam animam sensitiuam imperfectiorem, deinde animam leonis, aut equi. Similiter concedo, quod si in via generationis humanę medient plures formæ, quam duę, ante animam rationalem introducantur successiuè plures formæ,

quam

quam duæ, ideòque S. Th. loco citato pri-
mæ par. q. 118. art. 2 ad 2. non restringit
doctrinam ad duas solùm formas, sed con-
cludit indefinitè per hæc verba: *et sic per
multas generationes, & corruptiones per-
uenitur ad vltimam formam substantialem
tam in homine, quam in alijs animalibus.* Ad
id, quod additur de cane, dico, quod
anima canis introducitur, cum corpus
habet organizationem caninam, licet ali-
qua pars corporis non sit omninò perfe-
cta, ideòque catelli nascuntur clausis ocu-
lis, posteà verò cum oculi sunt omninò
perfecti, illos aperiunt. Organizatio enim
cuiuscunque animalis non consistit in
indiuisibili, sed suscipit quandam latitu-
dinem intrà certos terminos, sicut etiam
temperamentum, magnitudo, & alia spe-
ctantia ad animal, suscipiunt latitudinem.
At proculdubio massa lactis sine distin-
ctione membrorum, & humorum non
habet sufficientem organizationem.

Ad 3. Certum est etiã per aduersarios,
quod in progressu generationis humanæ
homo prius generat semen inanimatum,
deinde hominem viuum; ergo non est mi-
rum, si paulatim progrediens ab extremo
ad extremum per debita media, post se-
men inanimatum generet plantam, dein-
de bestiam, ac demum hominem. Addo,
quod embryo animatus anima purè vege-
tatiua

tatiua non est propriè planta, quia nomen plantæ significat germen terræ animatum anima purè vegetatiua; embryo verò non est germen terræ, sed fructus germinans ex vtero matris. Ex eadem ratione embryo animatus anima purè sensitiua non est simpliciter bestia, quia nomen bestię significat animal animatum anima non ordinata in via generationis ad animam rationalem. Quare embryo non est simpliciter planta, neque bestia, sed homo inchoatus, siue hominis embryo, qui nondum peruenit ad animam rationalem constitutiuam hominis. Falsum est etiam, quod homo prius sit pater plantæ, deinde bestiæ, ac demum hominis. Ad hoc enim, vt animal sit Pater, non sufficit, quod generet quomodocumque, sed debet generare animal simile in natura specifica, vel certè non multum degenerans à specie generantis. Ideò cum ex homine generantur vermes, & ex fæminis nascuntur ranæ, aut alia animalia immunda, nec homines sunt patres vermiũ, nec mulieres matres immundorum animalium, quia quod generatur valdè degenerat à natura generantis, Sed embryo carens anima rationali valde degenerat à specie humana; ergo propriè non est filius, sed solus fœtus habens animam rationalem propriè est filius. Similiter falsum

sum est, quod homo prius fuerit bestia vel planta, si sumatur formaliter; si vero sumatur solum materialiter, verum est quod materia hominis prius fuerit sub anima irrationali, & sub purè vegetatiua & sub forma seminis inanimati, & sub alijs innumeris formis plantarum, bestiarum, & rerum inanimatarum, ideòque quod in aliquo sensu fuerit bestia, vel planta, vt etiam aduersarij debent fateri. Dum demum quęritur, in qua specie sint animæ purè vegetatiuę, ac sensitiuę intermedię, dico, quod sunt in specie animæ purę vegetatiuę, vel sensitiuę ordinatæ in via generationis ad rationalem, licet talibus animabus non sit impositum proprium nomen, nec satis innotescat earum vltima differentia.

Ad 4. Dictum est alibi, quod omnes formę intermediæ ordinantur aliqualiter ad destructionem sui, per quam remaneant æquiualenter in aliqua forma perfectiore, vt patet in formis omnium seminum. Ex hac autem instantia seminum reijcitur doctrina quorundam ex aduersarijs dicentium, quod potest vna forma solum per accidens, & indirectè ordinari ad introductionem formę secum incompossibilis, ex qua proinde sequatur destructio formæ prioris. Proculdubio enim semina per se ordinantur ad productio-

ionem animalis incompossibilem cum conseruatione formæ seminalis in eadem materia. Falsum est etiam, quod vna anima non possit per se ordinari ad aliam animam perfectiorem. Nam semina plantarum sunt animata, & tamen ordinantur ad animam perfectiorem plantæ. Addo, quod bombix, seu vermis faciens sericum, erumpentibus alis mutatur in papilionem, & cum id contingat plerunque, ac penè semper, contingit per se; ergo etiam anima sensitiua imperfectior per se potest ordinari ad perfectiorem. Nec dicant, quod in papilionibus sit eadem anima, ac in vermibus. Cum enim fiat notabilis mutatio in corporis organizatione, dicendum, quod mutatur etiam anima. Ex hoc patet disparitas à formicis, in quibus etiam cum senuerint, erumpunt alę. Nam cum sub alis retineant eandem organizationem corporis, quam habebant sine alis, non mutant animam. Dum demum quęritur, à qua causa introducantur successiuè plures animę, dico, quod à virtute formatiua seminis, excepta tamen anima rationali, quę infunditur à Deo per creationem.

Ad 5. Conceptio Christi fuit vndique miraculosa, & supernaturalis, cum fuerit conceptus ex Virgine; ergo ex conceptione Christi supernaturali non valet con-

consequentia ad conceptionem naturalē aliorum hominum.

Ad 6. Non sufficit anima sensitiua, vt fœtus possit moueri, sed requiritur, vt corpus sit sufficiēter organizatum ad motus spontaneos; & quia sufficiens organizatio ad motus spontaneos datur solùm post illos 30. vel 40. dies, post quos fatentur Philosophi infundi animam rationalem, ideò prudenter pręcipitur in rituali, vt si fætus edat aliquem motum spontaneum, baptizetur absolutè, quia conuenit inter Philosophos, quod tum recepit animam rationalem.

QVAESTIO XI.

Vtrum Anima distinguatur à potentijs vitalibus, organicis, & inorganicis.

VIdetur potentias vitales non esse accidentia distincta à substātia animæ, sed esse, vel ipsam substantiam animæ, vt docent Nominales, & ex Recentioribus Hurt. Arriaga, Ouied. & plures alij, vel esse formalitates substantiales ex natura rei distinctas constitutiuas ipsius animæ, vt opinantur Scotistæ cùm Scoto in

2. dist.

2. dist. 16. q. vnica; 1. quia ex Arist. 2. de anima, tex. 24. anima definitur principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; sed principium, quo viuimus &c. sunt potentię vitales; ergo anima definitur, vt sit ipsę potentię vitales; ergo potentię vitales non sunt accidentia, sed essentia, ac substantia animæ inclusa in eius definitione obiectiua.

2. S. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 2. asserit, quod memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna vita, vna mens, & vna essentia. S. Isidorus lib. 2. etymologiarum habet: *anima dum viuificat corpus anima est, dum intelligit mens, dum recolit memoria, dum aliquid sentit sensus*. S. Bernard. de interiori domo cap. 67. docet intellectum, voluntatem, & memoriam esse vnam animam, sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, atque eodem modo loquuntur etiam alij Sancti Patres; ergo sentiunt potentias non distingui ab anima.

3. Anima nobilior est materia prima, & formis accidentalibus; sed materia prima est sua potentia passiua, formæ accidentales sunt sua virtus actiua; ergo etiam anima est sua virtus actiua.

4. Vel animæ repugnat, vt sit sua potentia ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis; non ratione perfectionis, quia

quia Deus, qui est perfectior anima, est sua virtus actiua; non ratione imperfectionis, nam accidentia, quę sunt imperfectiora anima, sunt sua virtus actiua; ergo &c.

5. Potentię animæ fluunt, & emanant ab ipsa essentia, ac substantia animæ, vt docent auctores, qui putant potentias distingui, ac nominatim S. Thom. 1. par. q.77. art.6. sed hæc emanatio consistit in quadam efficientia, & causalitate actiua, qua anima producit suas potentias; ergo anima per suam substantiam sine vlla potentia superaddita producit suas potentias; ergo potest etiam per suam substantiam producere actus vitales sine potentia superaddita.

6. Etiam admissis potentijs superadditis, debet anima immediatè per se ipsam concurrere ad actus vitales; sed si debet anima immediatè concurrere ad actus vitales, frustrà ponuntur potentiæ superadditæ; ergo. Maior probatur, quia si anima non concurreret immediatè ad actus vitales intelligendi, volendi, sentiendi &c. perpetuò se haberet veluti dormiens, nihil omninò agens immediatè, operantibus interim potentijs, quę sunt famulę, & administræ ipsius animæ: rursus se haberet veluti Rex, qui constituisset ministros, & gubernatores regni, ac deindè nihil

la anima sensitiua, ex proportionali ratione, sed anima purè vegetatiua, qualis est in fructu pendente ex arbore, & ex illa alimentum trahente. Confirmatur, nam anima rationalis remanere non potest in corpore, abscisso capite, quia corpus carens capite non habet sufficientem organizationem; ergo multo minus potest primo poni in massa carente, non solùm capite, sed carne, ossibus, & omnibus neruis. Inductione enim constat, quod materia debet esse perfectius disposita, vt primò formam recipiat, quam vt illam conseruet. Ità aqua potest conseruari priuata frigore intenso, immò cum intenso calore, at non potest forma aquæ primo introduci in materiam non intensè frigidam; & maior calor requiritur in fœtu, vt primo animetur, quam ad hoc, vt iam animatus non moriatur; sed dispositio præcipua materiæ ad animam recipiendam est organizatio corporis per distinctionem membrorũ; ergo si anima rationalis non potest conseruari in corpore carente sanguine, multò minus poterit introduci in massam lactis carentem non solùm sanguine, sed carne, ossibus, atque omnibus membris, & solùm habentem quoddam inchoamentum hepatis, cordis, ac cerebri. Secundo confirmatur, quia anima rationalis poni non debet in materia

eria adhuc indifferente ad recipiendam
rganizationem hominis, aut bestiæ; sed
nassa illa lactis pendens ex vtero, adhuc
otest per accidens recipere organizatio-
em bestiæ, ac degenerare in monstrum
rrationale; ergo &c. Tertio confirmatur
nductione desumpta ex eo, quod natura
rocedat ad formas perfectas per quasdã
ormas imperfectas, ac medias, e. g. per
ormas seminum, quæ inductio melius
xplicabitur in responsione ad 4. Quarto
onfirmatur, quia si admittamus animam
ationalem posse dari in corpore non ha-
ente actu, sed solùm potentia organi-
ationem humanam, & per se ordinato ad
lam obtinendam, aperitur aditus erro-
i eorum, qui dixerunt animam rationa-
em dari etiam in semine abscisso, quia
cet non habeat actu organizationem
umanam, habet illam potentia, & per se
rdinatur ad illam obtinendam actu, qua
pinio est absurda, & contrà fidem, ac ra
ionem.

Ad 1. Ratio, cur detur successio anima-
um, non est vtcunque, quia fætus prius
xercet operationes vegetatiuas &c. sed
uia ità exercet prius operationes vege
tiuas, vt tum habeat organizationem
nperfectiorem organizationibus etiam
arium plantarum, adeòque non habeat
rganizationem vllius animalis; ergo tum
in

in embryone poni non potest anima sensitiua. Similiter tempore procedente embryo sentit ità, vt non habeat organizationem humanam, sed organizationem imperfectiorem organizatione plurium brutorum; ergo tum non potest poni in embryone anima rationalis, sed purè sensitiua, rationalis verò infunditur, cum primo embryo habet organizationem humanam, & humanum temperamentum. Hinc retorquentur instantiæ in contrarium. Nam licet eadem anima prius exerceat operationes infantis, deinde pueri, postmodum iuuenis &c. adhuc semper est in corpore habente organizationem, & temperamentum humanum, & si corpus amittat talem organizationem, & temperamentum propter morbum, aut alium casum, anima non remanet in corpore; ergo à fortiori anima non infunditur corpori, cum adhuc corpus non habet actu, sed solùm potentia organizationem, ac temperamentum humanum &c.

Ad 2. Concedo cum Aristotele, quod prius embryo equinus, aut leoninus accipiat aliquam animam sensitiuam imperfectiorem, deinde animam leonis, aut equi. Similiter concedo, quod si in via generationis humanę medient plures formæ, quam duę, ante animam rationalem introducantur successiuè plures formæ,

quam

quam duæ, ideòque S. Th. loco citato primæ par. q. 118. art. 2 ad 2. non restringit doctrinam ad duas solùm formas, sed concludit indefinitè per hæc verba: *et sic per multas generationes, & corruptiones peruenitur ad vltimam formam substantialem tam in homine, quam in alijs animalibus.* Ad id, quod additur de cane, dico, quod anima canis introducitur, cum corpus habet organizationem caninam, licet aliqua pars corporis non sit omninò perfecta, ideòque catelli nascuntur clausis oculis, posteà verò cum oculi sunt omninò perfecti, illos aperiunt. Organizatio enim cuiuscunque animalis non consistit in indiuisibili, sed suscipit quandam latitudinem intrà certos terminos, sicut etiam temperamentum, magnitudo, & alia spectantia ad animal, suscipiunt latitudinem. At proculdubio massa lactis sine distinctione membrorum, & humorum non habet sufficientem organizationem.

Ad 3. Certum est etiã per aduersarios, quod in progressu generationis humanæ homo prius generat semen inanimatum, deinde hominem viuum; ergo non est mirum, si paulatim progrediens ab extremo ad extremum per debita media, post semen inanimatum generet plantam, deinde bestiam, ac demum hominem. Addo, quod embryo animatus anima purè vegetatiua

tatiua non est propriè planta, quia nomen plantæ significat germen terræ animatum anima purè vegetatiua; embryo verò non est germen terræ, sed fructus germinans ex vtero matris. Ex eadem ratione embryo animatus anima purè sensitiua non est simpliciter bestia, quia nomen bestię significat animal animatum anima non ordinata in via generationis ad animam rationalem. Quare embryo non est simpliciter planta, neque bestia, sed homo inchoatus, siue hominis embryo, qui nondum peruenit ad animam rationalem constitutiuam hominis. Falsum est etiam, quod homo prius sit pater plantæ, deinde bestiæ, ac demum hominis. Ad hoc enim, vt animal sit Pater, non sufficit, quod generet quomodocumque, sed debet generare animal simile in natura specifica, vel certè non multum degenerans à specie generantis. Ideò cum ex homine generantur vermes, & ex fæminis nascuntur ranæ, aut alia animalia immunda, nec homines sunt patres vermiũ, nec mulieres matres immundorum animalium, quia quod generatur valdè degenerat à natura generantis, Sed embryo carens anima rationali valde degenerat à specie humana; ergo propriè non est filius, sed solus fœtus habens animam rationalem propriè est filius. Similiter falsum

sum est, quod homo prius fuerit bestia, vel planta, si sumatur formaliter; si verò sumatur solum materialiter, verum est, quod materia hominis prius fuerit sub anima irrationali, & sub purè vegetatiua, & sub forma seminis inanimati, & sub alijs innumeris formis plantarum, bestiarum, & rerum inanimatarum, ideòque quod in aliquo sensu fuerit bestia, vel planta, vt etiam aduersarij debent fateri. Dum demum quęritur, in qua specie sint animæ purè vegetatiuę, ac sensitiuę intermedię, dico, quod sunt in specie animæ purę vegetatiuę, vel sensitiuę ordinatę in via generationis ad rationalem, licet talibus animabus non sit impositum proprium nomen, nec satis innotescat earum vltima differentia.

Ad 4. Dictum est alibi, quod omnes formę intermediæ ordinantur aliqualiter ad destructionem sui, per quam remaneant æquiualenter in aliqua forma perfectiore, vt patet in formis omnium seminum. Ex hac autem instantia seminum reijcitur doctrina quorundam ex aduersarijs dicentium, quod potest vna forma solum per accidens, & indirectè ordinari ad introductionem formę secum incompossibilis, ex qua proinde sequatur destructio formæ prioris. Proculdubio enim semina per se ordinantur ad productio-

ionem animalis incompossibilem cum conseruatione formæ seminalis in eadem materia. Falsum est etiam, quod vna anima non possit per se ordinari ad aliam animam perfectiorem. Nam semina plā tarum sunt animata, & tamen ordinantur ad animam perfectiorem plantę. Addo, quod bombix, seu vermis faciens sericum, erumpentibus alis mutatur in papilionem, & cum id contingat plerunque, ac penè semper, contingit per se; ergo etiam anima sensitiua imperfectior per se potest ordinari ad perfectiorem. Nec dicant, quod in papilionibus sit eadem anima, ac in vermibus. Cum enim fiat notabilis mutatio in corporis organizatione, dicendum, quod mutatur etiam anima. Ex hoc patet disparitas à formicis, in quibus etiam cum senuerint, erumpunt alę. Nam cum sub alis retineant eandem organizationem corporis, quam habebant sine alis, non mutant animam. Dum demum quęritur, à qua causa introducantur successiuè plures animę, dico, quod à virtute formatiua seminis, excepta tamen anima rationali, quę infunditur à Deo per creationem.

Ad 5. Conceptio Christi fuit vndique miraculosa, & supernaturalis, cum fuerit conceptus ex Virgine; ergo ex conceptione Christi supernaturali non valet con-

consequentia ad conceptionem naturalē aliorum hominum.

Ad 6. Non sufficit anima sensitiua, vt fœtus possit moueri, sed requiritur, vt corpus sit sufficiēter organizatum ad motus spontaneos; & quia sufficiens organizatio ad motus spontaneos datur solùm post illos 30. vel 40. dies, post quos fatentur Philosophi infundi animam rationalem, ideò prudenter prçcipitur in rituali, vt si fætus edat aliquem motum spontaneum, baptizetur absolutè, quia conuenit inter Philosophos, quod tum recepit animam rationalem.

QVAESTIO XI.

Vtrum Anima distinguatur à potentijs vitalibus, organicis, & inorganicis.

VIdetur potentias vitales non esse accidentia distincta à substātia animæ, sed esse, vel ipsam substantiam animæ, vt docent Nominales, & ex Recentioribus Hurt. Arriaga, Ouied. & plures alij, vel esse formalitates substantiales ex natura rei distinctas constitutiuas ipsius animæ, vt opinantur Scotistæ cum Scoto in

2. dist.

2. dist. 16. q. vnica; 1. quia ex Arist. 2. de anima, tex. 24. anima definitur principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; sed principium, quo viuimus &c. sunt potentię vitales; ergo anima definitur, vt sit ipsę potentię vitales; ergo potentię vitales non sunt accidentia, sed essentia, ac substantia animæ inclusa in eius definitione obiectiua.

2. S. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 2. asserit, quod memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna vita, vna mens, & vna essentia. S. Isidorus lib. 2. etymologiarum habet: *anima dum viuificat corpus anima est, dum intelligit mens, dum recolit memoria, dum aliquid sentit sensus*. S. Bernard. de interiori domo cap. 67. docet intellectum, voluntatem, & memoriam esse vnam animam, sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, atque eodem modo loquuntur etiam alij Sancti Patres; ergo sentiunt potentias non distingui ab anima.

3. Anima nobilior est materia prima, & formis accidentalibus; sed materia prima est sua potentia passiua, formæ accidentales sunt sua virtus actiua; ergo etiam anima est sua virtus actiua.

4. Vel animæ repugnat, vt sit sua potentia ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis; non ratione perfectionis, quia

quia Deus, qui eſt perfectior anima, eſt ſua virtus actiua; non ratione imperfectionis, nam accidentia, quę ſunt imperfectiora anima, ſunt ſua virtus actiua; ergo &c.

5. Potentię animæ fluunt, & emanant ab ipſa eſſentia, ac ſubſtantia animæ, vt docent auctores, qui putant potentias diſtingui, ac nominatim S. Thom. 1. par. q.77. art.6. ſed hæc emanatio conſiſtit in quadam efficientia, & cauſalitate actiua, qua anima producit ſuas potentias; ergo anima per ſuam ſubſtantiam ſine vlla potentia ſuperaddita producit ſuas potentias; ergo poteſt etiam per ſuam ſubſtantiam producere actus vitales ſine potentia ſuperaddita.

6. Etiam admiſſis potentijs ſuperadditis, debet anima immediatè per ſe ipſam concurrere ad actus vitales; ſed ſi debet anima immediatè concurrere ad actus vitales, fruſtrà ponuntur potentiæ ſuperadditæ; ergo. Maior probatur, quia ſi anima non concurreret immediatè ad actus vitales intelligendi, volendi, ſentiendi &c. perpetuò ſe haberet veluti dormiens, nihil omninò agens immediatè, operantibus interim potentijs, quę ſunt famulę, & adminiſtræ ipſius animæ: rurſus ſe haberet veluti Rex, qui conſtituiſſet miniſtros, & gubernatores regni, ac deindè nihil

nihil ageret per se ipsum, imò nec sciret, quid agerent ministri. Si enima anima non concurrit immediatè ad actum intelligendi, per illum non intelligit, quia intelligere est aliquid immediatè agere; anima autem non debet se habere hoc pacto, sed potius debet præsidere corpori, sicut Deus presidet mundo, concurrens immediatè ad omnes actus vitales cum suis instrumentis, sicut Deus concurrit immediatè ad omnes operationes cum causis secundis. Confirmatur, quia ipsa anima est libera, ac Domina suorum actuum; sed non esset libera, nisi immediatè concurreret, ac se determinaret ad suos actus; ergo &c. Adde, quod potestas immediata determinandi actum liberum debet esse in eo, quod per actum meretur premium, & pœnam; sed anima ipsa per actus meretur premium, aut pœnam: ergo anima ipsa habet potestatem determinandi actum; sed potestas determinandi actum est immediatè actiua; ergo anima est immediatè actiua in actus voluntatis. Confirmatur demum, quia impossibile est, quod principium electiuum eligat obiectum non præcognitum; sed si voluntas, & non anima esset principium immediatè electiuum, eligeret obiectum non præcognitum: voluntas quippe vtpotè distincta ab intellectu non cognoscit;
ergo

ergo anima immediatè concurrit ad actus intellectus, & voluntatis, & ad cæteros actus vitales.

7. Si intellectus, & voluntas sunt potentiæ distinctę, etiam memoria erit tertia potentia distincta, imò etiam potentia apprehensiua, iudicatiua, & discursiua distinguentur inuicem, quæ sunt absurda.

8. Admissa potentiarum distinctione, consurgunt variæ quęstiones valdè implicatę; vtrum potentię sint accidentia realia, vel modalia, absoluta, vel relatiua; separabilia, vel inseparabilia ab anima; vtrum anima separata retineat omnes, vel aliquas potentias; in quo subiecto recipiantur; an & quomodo potentiæ sint subiectum suorum actuum; vtrum inter potentias detur ordo naturę, & an vna potentia oriatur ab alia; an, & quomodo distinguantur per actus, & obiecta, atque ab ijs specificentur; ergo multo expeditius est omnes istas quęstiones amputare dicendo, quod potentię non distinguantur ab anima.

R. potentias animę esse qualitates accidentales ab anima distinctas. Probatur 1. auctoritate. Nam Aristoteles 2. de anima tex. 6. definit animam actum corporis organici, & tex. 11. dicit quasdã partes, seu potentias animæ esse separabiles à corpore, eo quod non sint actus

illius corporis; sed si potentiæ non distinguerentur ab anima, sicut anima est actus corporis, ità omnes potentię essent actus corporis; ergo per Aristotelem potentiæ distinguuntur ab anima. 1. ethic. cap. 6. ait *quemadmodum in corpore est visus, sic in anima mens, & aliud in alio*; ergo existimat intellectum, seu mentem esse in anima, sicut aliud in alio, adeòque esse accidens animæ, tanquam subiecti. Idem docuit Plato in Timeo, vt docet Marsilius Ficinus lib. 10. theol Platonicæ. Ex SS.PP. S.Dion. de cœlesti Hierarch. cap. 11. dicit, quod in Angelis distinguuntur tria, substantia, virtus, & operatio; ergo putat ità virtutem distingui à substantia, sicut operationem; sed operatio distinguitur realiter; ergo etiā virtus, seu potentia operandi; ergo si potētia,& virtus distinguitur à substantia Angeli,à fortiori distinguitur à substātia animę rationalis. S.Aug. lib.15. de Trinit.cap.7. in princip.dicit. *Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur, aliquid eius est mens tanquam caput eius, vel oculus, vel facies, sed non hæc vt corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur*. S. Ansel. in lib. de casu diaboli expresè docet potentias animę non esse substantiam eius, non tamen omninò nihil.S. Damascenus in sua dialectica

lectica ponit potentias animæ in prædicamento qualitatis, & ideò sentit esse vera accidentia realia. Eandem sententiam sequuti sunt præcipui scholastici Magister sent. in 1. dist. 3. S. Th. 1. p. q. 77. ar. 1. quem sequuntur Caiet. & omnes Thomistæ, Alensis in 1. q. 65. membro 2. Albert. Magn. in 1. distin. art. vlt. & lib. 2. de anima, q. 7. Henr. quodlibet 10. q. 9. & ex nostris Tolet. 2. de anima q. 9. Ruuius, & Conymbr. hic; Suar. lib. 2. de anima cap. 1. Vasquez, & alij.

2. Probatur ratione à posteriori potentias organicas viuendi, audiendi &c. & etiam potentias inorganicas intelligendi, ac volendi distingui inter se. Nā actus illi, quos statim, ac experimur, distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, verè debent esse actus diuersarum potentiarum, sicut e conuerso actus illi, quos statim reducimus ad vnam potentiam, verè debent esse actus eiusdem potentię; sed omnes actus videndi licet de obiectis contrarijs, e. g. de albo, ac nigro, statim, ac experimur, reducimus ad vnam potentiam visiuam, ac dicimus, quod conueniunt in hoc, vt sint actus vnius potentiæ visiuę; similiter actus audiendi reducimus ad vnam potentiam auditiuam; actus tangendi licet factos in diuersis partibus corpo-

ris reducimus ad vnam specie potentiam tactiuam; e conuerso actus videndi, & tangendi, licet elicitos in eadem parte corporis distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, vt patet, cum in oculo videmus simul, & sentimus dolorem, dicimus enim, quod visio est actus potentiæ visiuæ, sensus doloris potentiæ tactiuę; ergo potentia visiua, & potentia tactiua sunt potentiæ specie differentes, etiamsi recipiantur in eadem parte corporis; ergo etiam potentia auditiua, & potentia visiua. Confirmatur 1. quia licet actus videndi, & actus imaginandi habeant aliquando idem obiectum, adhuc distinguimus illos inter se per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, & vnus sit actus visus, alter actus imaginationis; ergo potentia visiua, & imaginatiua sunt diuersę potentiæ; sed omnes actus intelligendi reducimus ad vnam potentiam, etiamsi habeant obiecta maximè diuersa, & contraria; è conuerso actus intelligendi, & volendi eadem obiecta distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, eo quod actus intelligendi sint actus intellectus, actus volendi sint actus voluntatis; ergo intellectus, & voluntas realiter distinguuntur. Confirmatur 2. nam primo aspectu non minus videtur absurdum,

quod

quod homo per intellectum velit, per voluntatem intelligat, quam quod per oculos audiat, per aures videat; ergo voluntas, & intellectus distinguuntur in anima, sicut oculus, & auris in corpore, ideòque acutè ait Aristoteles, quod sicut in corpore est visus, sic in anima est mens, atque aliud in alio, & S. Aug. quod mens est veluti oculus animę, vel caput, aut facies, per quas anima cognoscit. Ratio à priori fundata in inductione est, quia ad actus attingentes obiectum sub diuersa ratione formali, & per modos tendendi diuersos, requiruntur diuersę potentię, & si tales actus sint materiales, requiri solent diuersa organa materialia; ità ad actus attingentes colores sub ratione formali visibilis, requiritur potentia visiua, siue oculus, ad actus attingentes sonos requiritur organum auditus, nec alia est ratio, cur requirantur in animali plura organa sensuum, quam hæc; sed intellectiones, & volitiones attingunt obiectum sub diuersa ratione formali, propter quam intellectiones, & volitiones magis differunt ex modo tendendi, quam visiones, & auditiones; ergo intellectus, & voluntas sunt potentiæ distinctę. Si enim anima propter diuersitatem visionis ab auditione, ad videndum, & audiendum indiget duobus sensibus,

tur perfectionem suæ naturæ; substantiæ viuentes indigent multis adiumentis, ideoque homo, qui est animal perfectissimum, est etiam indigentissimum; nullum enim est animal, vel corpus, quod pluribus adiumentis indigeat ad vitam, & ad suum finem consequendum, quam homo. Hinc dum queritur, vtrum anima indigeat potentiis propter suam perfectionem, vel propter suam imperfectionem, dico, quod propter perfectionem mistam imperfectioni. Est enim constituta in gradu entium, quæ possunt consequi aliquem finem valdè perfectum, sed per multos motus, & multa auxilia, cum inferiora paucioribus motibus, & auxiliis consequantur finem imperfectiorem; superiora consequantur finem perfectiorem, vel æquè perfectum paucioribus adiumentis, hoc est per solas potentias inorganicas; Deus sine vllo motu, & adiumento per se ipsum habeat beatitudinem perfectissimam.

Ad 4. Resp. quod non valet argumentum: potest aliquid per se ipsum efficere instrumentum; ergo potest per se ipsum efficere opus talis instrumenti. Nam Artifex potest per se ipsum efficere serram, quę est instrumentum secandi, at non potest per se ipsum sine serra efficere operationem secandi; similiter plura viuentia possunt per se ipsa producere semen, quod

quod eſt inſtrumentum generandi ſimile, ut non poſſunt generare ſimile ſine ſemine. Sic in caſu noſtro licet anima poſſit producere in ſe intellectum, & voluntatem, adhuc non ſequitur, quod poſſit ſine intellectu, & voluntate diſtinctis producere actus intelligendi, & volendi. Ratio à priori poteſt eſſe, quia cauſa vniuerſalior, & amplior producit effectum habentem perfectionem quandam vniuerſaliorem, & ampliorem, ſed ſubſtantia eſt cauſa vniuerſalior, & amplior; ergo producit potentias, quæ ſunt effectus habentes perfectionem quamdam vniuerſaliorem, & ampliorem, per quam aliqualiter continent omnes actus intrà latitudinem obiecti formalis; potentiæ verò producunt effectus minus amplos, cum producant actus, qui continent perfectionem huius, aut illius obiecti. Addo, quod duplex eſt efficientia, alia per modum emanationis, ac reſultantiæ, alia per modum transmutationis, propter quam cauſa efficiens dicitur primum vnde motus. Efficientia per modum emanationis eſt, quæ non ſupponit per ſe ſubiectum priuatum forma, adeoq; per ſe non transmutat ſubiectum proximum à priuatione ad formam, vel, à contrario in contrarium. Hoc pacto lux ſolis emanat à ſole, potentiæ ab anima, & propriæ paſſiones à

subiecto proprio: nam non supponunt per se proprium subiectum sub priuatione. Efficientia per modum transmutationis est, quæ per se supponit subiectum sub priuatione, vt calefactio aquę, & omnes actiones procedentes à contrario in contrarium. Substantiæ respectu potentiarum, conuenit primus modus efficientiæ. Hinc responderi potest ad quæstionem, vtrum substantia sit immediatè actiua. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia in vnoquoque genere primum est causa cæterorum; sed substantia est primum ens; ergo, debet esse causa omnium accidentium. Et quidem est prima causa materialis, quia est primum subiectum accidentium; est prima causa formalis, quia accidentia definiuntur per substantiam, tanquàm per proprium subiectum, & specificatiuum; est causa finalis, quia accidentia ordinantur ad substantiam, tanquam ad finem; est causa efficiens, quia accidentia emanant radicaliter à substantia. Addo, quod substantia est causa immediatè actiua actione immanente, non transeunte. Ratio est, quia cum habeat pro fine se ipsam, & sit imperfecta, omnes suas vires impendit ad perficiendam seipsam per actiones immanentes, deinde verò ex accidentibus, quibus substantia est immanenter perfecta, sequuntur actiones transeuntes.

Ad 5. Etiamsi anima concurrat immediatè ad suos actus vitales, adhuc non frustrà sunt potentiæ, sicut etiamsi anima concurrat immediatè cum oculis ad videndum, adhuc nō frustrà sunt oculi. Ratio, est, quia potest aliquid ità concurrere immediatè ad effectum, vt indigeat etiam instrumento specialiter adaptato ad talem effectum, cuiusmodi instrumenta sunt potentiæ, tum organicæ, tum inorganicæ. Potest autem probabiliter suaderi, quod anima concurrat immediatè ad actus vitales, ex rationibus allatis in argumento, & ex paritate habituum. Videtur enim, quod eo pacto se habeant potentiæ vitales ad substantiam, sicut habitus ad potentias; sed habitus ità perficiunt potentias, vt etiam potentiæ concurrant ad actus; ergo potentię ità perficiunt substantiam, vt etiam substantia concurrat immediatè ad actus. Quod si substantia concurrit, est causa principalior intelligens vt quod, volens vt quod &c. potentiæ verò agunt solum vt quo. Sicut enim cum aliquis scit per scientiam habitualem, ipse scit, scientia verò non tam scit, quam est id, per cuius actum, homo, vel Angelus scit, sic potentia non tam intelligit, quam est id, per cuius actū anima intelligit. Idem dic de libertate. Anima enim determinat actum, tanquam

Domina; voluntas non tam determinat, quam est id, quo anima determinat.

Ad 6. Memoria intellectiua non distinguitur ab intellectu. Nam profectò actus, quibus recordamur, sunt quædam intellectiones; sed omnes intellectiones reducimus ad vnam potentiam, & dicimus, quod sunt actus intellectus; ergo memoria intellectiua, & intellectus sunt vnica potentia. Ex eadem ratione ostenditur, quod potentia apprehensiua, iudicatiua, & discursiua sint vnica potentia, quia sicut omnes visiones reducimus ad vnam potentiam visiuam, ità omnes apprehensiones, iudicia, ac discursus reducimus ad vnam potentiam intellectiuam. Memoria tamen aliqualiter distinguitur ab intellectu, quatenus superaddit species obiectorum ante cognitorum.

Ad 7. In quo proponuntur varia dubia, dico probabile esse, quod potentiæ sint accidentia realia. Virtutes enim actiuæ aliarum rerum sunt accidentia realia: e g. calor, qui est virtus actiua ignis, lux, quæ est virtus actiua solis sunt accidentia realia, & non modalia; ergo etiam virtutes actiuæ vitales. Hinc sequitur, quod sint supernaturaliter separabiles à subiecto, & quod intellectus potest supernaturaliter existere extrà animã, sicut lux extrà solé, ità tamen, vt potentiæ vitales extra animam

mã non possent agere, deficiéte principali principio agendi, quod est anima. Præterea sunt accidentia absoluta, inquantum sunt perfectiua subiecti: includunt tamen respectum, quo referuntur ad obiectum sub aliqua ratione communi, quæ est formale specificatiuum potentiarum. In anima separata non remanent potentię organicæ, remanent inorganicæ. Ratio est, quia potentię organicæ sunt accidentia non solius animæ, sed etiam organi corporalis, e. g. potentia visiua est accidens oculi animati tanquam proprii subiecti; ergo remanere non possunt sine propro subiecto. At potentię inorganicæ sunt accidentia solius animæ, ergo cum remanet anima, remanet intellectus, & voluntas. Quoad subiectum, potentiæ inorganicę recipiuntur immediatè in anima; potentiæ organicę recipiuntur in proprio organo animato; actus verò potentiarum recipiuntur immediatè in ipsis potentiis, e. g. visio in potentia visiua, intellectio in intellectu. Ratio est, quia actus sunt actus potentiarum; ergo recipiuntur in potentiis, tanquam in propriis subiectis. Probabile est, quod detur ordo naturæ inter potentias, ità vt ex anima fluat immediatè intellectus; ex anima vt habente intellectum fluat voluntas. Ratio est, quia emanationes

nes naturę sunt ordinatæ ; ergo ex essentia immediatè fluit prima passio, ex prima passione secunda, & sic de aliis, eo pacto quo calor procedit à sole, media luce. Demum potentiæ specificantur per actus, & obiecta, in quantum commensurantur actibus, & obiectis, iuxta dicta q. 3. Logicę.

QVAESTIONES

De Anima Vegetatiua.

Ordo disputandorum.

DEscendimus ad disputandum de generibus Animarum, & circà Animam vegetatiuam primo quærimus vtrum conuenienter assignentur, & sint necessariẹ tres potentiæ animę vegetatiuę. Secundo vtrum, & quale alimentum sit obiectum materiale potentiarum vegetatiuarum. Tertio, vtrum detur triplex præparatio, & triplex concoctio alimenti. Quarto, vtrum ad nutritionem vitalem requiratur, vt alimentum per introsusceptionem mutetur in substantiam aliti. Quinto, vtrum augmentatio conuenienter definiatur. Sexto, vtrum proprium viuentium sit generare simile,

simile,& generari à simili. Septimo, vtrum conuenienter assignentur causæ generationis.

QVAESTIO XII.

Vtrum conuenienter assignentur, & sint necessariæ tres potentiæ animæ vegetatiuæ.

VIdetur, quod non conuenienter assignentur tres potentię animæ vegetatiuę, nutritiua, augmentatiua, ac generatiua: 1. quia deberent assignari potentiæ communes omnibus corporibus vegetabilibus; sed non omnes tres potentię sunt communes, multę enim plantę, & multa animalia pręsertim quæ nascuntur ex putri non habent potentiam generandi sibi simile, genus etiam mulorum est sterile, vt docet Aristoteles 2. de gener. animal cap. 5. Hinc verò sequitur, quod non omnes tres potentiæ sint necessarię, cum non omnes dentur in quocunque corpore viuente.

2. Potentiæ communes non viuentibus, non sunt vitales; sed potentia generandi est communis etiam non viuentibus, cum etiam ignis generet sibi simile secundum speciem, ergo.

3. De-

ris reducimus ad vnam specie potentiam tactiuam; e conuerso actus videndi, & tangendi, licet elicitos in eadem parte corporis distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, vt patet, cum in oculo videmus simul, & sentimus dolorem, dicimus enim, quod visio est actus potentiæ visiuæ, sensus doloris potentiæ tactiuę; ergo potentia visiua, & potentia tactiua sunt potentiæ specie differentes, etiamsi recipiantur in eadem parte corporis; ergo etiam potentia auditiua, & potentia visiua. Confirmatur 1. quia licet actus videndi, & actus imaginandi habeant aliquando idem obiectum, adhuc distinguimus illos inter se per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, & vnus sit actus visus, alter actus imaginationis; ergo potentia visiua, & imaginatiua sunt diuersę potentiæ; sed omnes actus intelligendi reducimus ad vnam potentiam, etiamsi habeant obiecta maximè diuersa, & contraria; è conuerso actus intelligendi, & volendi eadem obiecta distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, eo quod actus intelligendi sint actus intellectus, actus volendi sint actus voluntatis; ergo intellectus, & voluntas realiter distinguuntur. Confirmatur 2. nam primo aspectu non minus videtur absurdum, quod

quod homo per intellectum velit, per voluntatem intelligat, quam quod per oculos audiat, per aures videat; ergo voluntas, & intellectus distinguuntur in anima, sicut oculus, & auris in corpore, ideòque acutè ait Aristoteles, quod sicut in corpore est visus, sic in anima est mens, atque aliud in alio, & S. Aug. quod mens est veluti oculus animę, vel caput, aut facies, per quas anima cognoscit. Ratio à priori fundata in inductione est, quia ad actus attingentes obiectum sub diuersa ratione formali, & per modos tendendi diuersos, requiruntur diuersę potentię, & si tales actus sint materiales, requiri solent diuersa organa materialia; ità ad actus attingentes colores sub ratione formali visibilis, requiritur potentia visiua, siue oculus, ad actus attingentes sonos requiritur organum auditus, nec alia est ratio, cur requirantur in animali plura organa sensuum, quam hæc; sed intellectiones, & volitiones attingunt obiectum sub diuersa ratione formali, propter quam intellectiones, & volitiones magis differunt ex modo tendendi, quam visiones, & auditiones; ergo intellectus, & voluntas sunt potentiæ distinctę. Si enim anima propter diuersitatem visionis ab auditione, ad videndum, & audiendum indiget duobus sensibus,

 pro-

propter maiorem diuersitatem intellectionis à volitione duabus potentijs indigebit.

Ad 1. Aristoteles dum definit animam principium, quo viuimus, mouemur, & intelligimus, loquitur de principio radicali, in quo sunt radicatæ omnes potentię, sicut accidentia in substantia, & non excludit principia formalia proxima, per quæ exercemus operationes vitales.

Ad 2. S. Augustinus dum dicit, quod intelligentia, memoria, & voluntas sunt vna vita, vna mens, & vna essentia, loquitur de memoria, intellectu, & voluntate radicaliter sumptis, inquantum sumuntur pro anima, quæ recordatur, intelligit, & vult, licet has operationes exerceat per distinctas potentias. Eodem pacto respondetur ad locum S. Isidori. Verum est enim, quod substantia animę, in quantum sentit est sensus, inquantum intelligit intellectus, licet has omnes operationes vna, & eadem substantia exerceat per potentias accidentales superadditas. S. Bernardus dum dicit, quod tria, memoria, intellectus, & voluntas sunt eadem anima, loquitur in eodem sensu. Sunt enim eadem anima, inquantum eadem per intellectum intelligit, per voluntatem vult, per memoriam recordatur; at sunt tres, inquantum potentiæ distin-

distinguuntur inter se. Confirmatur ex cõparatione cum Trinitate celebri apud PP., quę non procederet, nisi in eadem animæ essentia daretur multiplicitas realis potentiarum, eo pacto, quo in eadem essentia diuina datur multiplicitas realis Personarum.

Ad 3. Materia prima ad recipiendum non indiget potentia superaddita, quia ad recipiendum non requiritur abundantia, sed potius defectus perfectionis, cum omne receptiuum secundum se præcisè careat perfectione, quam potest recipere. Anima ad agendum indiget potentia actiua distincta, quia ad agendũ requiritur abundantia perfectionis. Dum opponitur; accidentia imperfectora anima sunt actiua per se ipsa; ergo & anima; nego consequentiam. Nam ex doctrina Aristotelis 2. de cœlo tex. 66. & S. Th. 1. p. q. 77. ar. 2. infima possunt consequi bonitatem imperfectam paucis motibus, & paucis adiumentis, superiora consequuntur perfectam, sed multis motibus, & adiumentis; ergo accidentia, quæ sunt infima, possunt consequi hanc perfectionem exercẽdi paucas actiones per se ipsa, substantia verò maiorem perfectionem exercendi plures, & plures operationes, per plures, & plures potentias, & adiumenta. Ità videmus, quod aqua per se ipsam consequi-

tur perfectionem suæ naturæ; substantiæ viuentes indigent multis adiumentis, ideoque homo, qui est animal perfectissimum, est etiam indigentissimum; nullum enim est animal, vel corpus, quod pluribus adiumentis indigeat ad vitam, & ad suum finem consequendum, quam homo. Hinc dum queritur, vtrum anima indigeat potentiis propter suam perfectionem, vel propter suam imperfectionem, dico, quod propter perfectionem mistam imperfectioni. Est enim constituta in gradu aduentium, quæ possunt consequi aliquem finem valdè perfectum, sed per multos motus, & multa auxilia, cum inferiora paucioribus motibus, & auxiliis consequantur finem imperfectiorem; superiora consequantur finem perfectiorem, vel æquè perfectum paucioribus adiumentis, hoc est per solas potentias inorganicas; Deus sine vllo motu, & adiumento per se ipsum habeat beatitudinem perfectissimam.

Ad 4. Resp. quod non valet argumentum: potest aliquid per se ipsum efficere instrumentum; ergo potest per se ipsum efficere opus talis instrumenti. Nam Artifex potest per se ipsum efficere serram, quę est instrumentum secandi, at non potest per se ipsum sine serra efficere operationem secandi; similiter plura viuentia possunt per se ipsa producere semen, quod

quod est instrumentum generandi simile, at non possunt generare simile sine semine. Sic in casu nostro licet anima possit producere in se intellectum, & voluntatem, adhuc non sequitur, quod possit sine intellectu, & voluntate distinctis producere actus intelligendi, & volendi. Ratio à priori potest esse, quia causa vniuersalior, & amplior producit effectum habentem perfectionem quandam vniuersaliorem, & ampliorem, sed substantia est causa vniuersalior, & amplior; ergo producit potentias, quæ sunt effectus habentes perfectionem quamdam vniuersaliorem, & ampliorem, per quam aliqualiter continent omnes actus intrà latitudinem obiecti formalis; potentiæ verò producunt effectus minus amplos, cum producant actus, qui continent perfectionem huius, aut illius obiecti. Addo, quod duplex est efficientia, alia per modum emanationis, ac resultantiæ, alia per modum transmutationis, propter quam causa efficiens dicitur primum vnde motus. Efficientia per modum emanationis est, quæ non supponit per se subiectum priuatum forma, adeoq; per se non transmutat subiectum proximum à priuatione ad formam, vel, à contrario in contrarium. Hoc pacto lux solis emanat à sole, potentiæ ab anima, & propriæ passiones à

 subie-

ubiecto proprio: nam non supponunt per
e proprium subiectum sub priuatione.
Efficientia per modum transmutationis est,
quæ per se supponit subiectum sub priua-
tione, vt calefactio aquę, & omnes actio-
nes procedentes à contrario in contra-
rium. Substantiæ respectu potentiarum
conuenit primus modus efficientiæ. Hinc
responderi potest ad quæstionem, vtrum
substantia sit immediatè actiua. Respon-
deo affirmatiuè. Ratio est, quia in vno-
quoque genere primum est causa cætero-
rum; sed substantia est primum ens; ergo,
debet esse causa omnium accidentium.
Et quidem est prima causa materialis,
quia est primum subiectum accidentium;
est prima causa formalis, quia accidentia
definiuntur per substantiam, tanquàm per
proprium subiectum, & specificatiuum;
est causa finalis, quia accidentia ordinan-
tur ad substantiam, tanquam ad finem;
est causa efficiens, quia accidentia ema-
nant radicaliter à substantia. Addo, quod
substantia est causa immediatè actiua
actione immanente, non transeunte. Ratio
est, quia cum habeat pro fine se ipsam, &
sit imperfecta, omnes suas vires impendit
ad perficiendam seipsam per actiones im-
manentes, deinde verò ex accidentibus,
quibus substantia est immanenter perfe-
cta, sequuntur actiones transeuntes.

Ad 5.

Ad 5. Etiamsi anima concurrat immediatè ad suos actus vitales, adhuc non frustrà sunt potentiæ, sicut etiamsi anima concurrat immediatè cum oculis ad videndum, adhuc nō frustrà sunt oculi. Ratio, est, quia potest aliquid ità concurrere immediatè ad effectum, vt indigeat etiam instrumento specialiter adaptato ad talem effectum, cuiusmodi instrumenta sunt potentiæ, tum organicæ, tum inorganicæ. Potest antem probabiliter suaderi, quod anima concurrat immediatè ad actus vitales, ex rationibus allatis in argumento, & ex paritate habituum. Videtur enim, quod eo pacto se habeant potentiæ vitales ad substantiam, sicut habitus ad potentias; sed habitus ità perficiunt potentias, vt etiam potentiæ concurrant ad actus; ergo potentię ità perficiunt substantiam, vt etiam substantia concurrat immediatè ad actus. Quod si substantia concurrit, est causa principalior intelligens vt quod, volens vt quod &c. potentiæ verò agunt solum vt quo. Sicut enim cum aliquis scit per scientiam habitualem, ipse scit, scientia verò non tam scit, quam est id, per cuius actum, homo, vel Angelus scit, sic potentia non tam intelligit, quam est id, per cuius actū anima intelligit. Idem dic de libertate. Anima enim determinat actum, tanquam

Domina; voluntas non tam determinat, quam est id, quo anima determinat.

Ad 6. Memoria intellectiua non distinguitur ab intellectu. Nam profectò actus, quibus recordamur, sunt quædam intellectiones; sed omnes intellectiones reducimus ad vnam potentiam, & dicimus, quod sunt actus intellectus; ergo memoria intellectiua, & intellectus sunt vnica potentia. Ex eadem ratione ostenditur, quod potentia apprehensiua, iudicatiua, & discursiua sint vnica potentia, quia sicut omnes visiones reducimus ad vnam potentiam visiuam, ità omnes apprehensiones, iudicia, ac discursus reducimus ad vnam potentiam intellectiuam. Memoria tamen aliqualiter distinguitur ab intellectu, quatenus superaddit species obiectorum ante cognitorum.

Ad 7. In quo proponuntur varia dubia, dico probabile esse, quod potentiæ sint accidentia realia. Virtutes enim actiuæ aliarum rerum sunt accidentia realia: e g. calor, qui est virtus actiua ignis, lux, quæ est virtus actiua solis sunt accidentia realia, & non modalia; ergo etiam virtutes actiuæ vitales. Hinc sequitur, quod sint supernaturaliter separabiles à subiecto, & quod intellectus potest supernaturaliter existere extrà animã, sicut lux extrà solé, ità tamen, vt potentiæ vitales extra ani

mam

mā non possent agere, deficiēte principali principio agendi, quod est anima. Præterea sunt accidentia absoluta, inquantum sunt perfectiua subiecti: includunt tamen respectum, quo referuntur ad obiectum sub aliqua ratione communi, quæ est formale specificatiuum potentiarum. In anima separata non remanent potentiç organicæ, remanent inorganicæ. Ratio est, quia potentiç organicæ sunt accidentia non solius animæ, sed etiam organi corporalis, e. g. potentia visiua est accidens oculi animati tanquam proprii subiecti; ergo remanere non possunt sine propro subiecto. At potentiç inorganicæ sunt accidentia solius animæ, ergo cum remanet anima, remanet intellectus, & voluntas. Quoad subiectum, potentiæ inorganicę recipiuntur immediatè in anima; potentiæ organicę recipiuntur in proprio organo animato; actus verò potentiarum recipiuntur immediatè in ipsis potentiis, e. g. visio in potentia visiua, intellectio in intellectu. Ratio est, quia actus sunt actus potentiarum; ergo recipiuntur in potentiis, tanquam in propriis subiectis. Probabile est, quod detur ordo naturæ inter potentias, ità vt ex anima fluat immediatè intellectus; ex anima vt habente intellectum fluat voluntas. Ratio est, quia emanationes

vllius corporis; sed si potentiæ non distinguerentur ab anima, sicut anima est actus corporis, ità omnes potentię essent actus corporis; ergo per Aristotelem potentiæ distinguuntur ab anima. 1. ethic. cap. 6. ait *quemadmodum in corpore est visus, sic in anima mens, & aliud in alio*; ergo existimat intellectum, seu mentem esse in anima, sicut aliud in alio, adeòque esse accidens animæ, tanquam subiecti. Idem docuit Plato in Timeo, vt docet Marsilius Ficinus lib. 10. theol Platonicæ. Ex SS.PP. S.Dion. de cœlesti Hierarch. cap. 11. dicit, quod in Angelis distinguuntur tria, substantia, virtus, & operatio; ergo putat ità virtutem distingui à substantia, sicut operationem; sed operatio distinguitur realiter; ergo etiã virtus, seu potentia operandi; ergo si potẽtia, & virtus distinguitur à substantia Angeli, à fortiori distinguitur à substãtia animę rationalis. S.Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 7. in princip. dicit. *Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur, aliquid eius est mens tanquam caput eius, vel oculus, vel facies, sed non hæc vt corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur*. S. Ansel. in lib. de casu diaboli expresse docet potentias animę non esse substantiam eius, non tamen omninò nihil. S. Damascenus in sua dia-
lectica

lectica ponit potentias animæ in prædicamento qualitatis, & ideò sentit esse vera accidentia realia. Eandem sententiam sequuti sunt præcipui scholastici Magister sent. in 1. dist. 3. S. Th. 1. p. q. 77. ar. 1. quem sequuntur Caiet. & omnes Thomistæ, Alensis in 1. q. 65. membro 2. Albert. Magn. in 1. distin. art. vlt. & lib. 2. de anima, q. 7. Henr. quodlibet 10. q. 9. & ex nostris Tolet. 2. de anima q. 9. Ruuius, & Conymbr. hic; Suar. lib. 2. de anima cap. 1. Vasquez, & alij.

2. Probatur ratione à posteriori potentias organicas viuendi, audiendi &c. & etiam potentias inorganicas intelligendi, ac volendi distingui inter se. Nā actus illi, quos statim, ac experimur, distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, verè debent esse actus diuersarum potentiarum, sicut e conuerso actus illi, quos statim reducimus ad vnam potentiam, verè debent esse actus eiusdem potentię; sed omnes actus videndi licet de obiectis contrarijs, e. g. de albo, ac nigro, statim, ac experimur, reducimus ad vnam potentiam visiuam, ac dicimus, quod conueniunt in hoc, vt sint actus vnius potentiæ visiuę; similiter actus audiendi reducimus ad vnam potentiam auditiuam; actus tangendi licet factos in diuersis partibus corporis

ris reducimus ad vnam specie potentiam tactiuam; e conuerso actus videndi, & tangendi, licet elicitos in eadem parte corporis distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, vt patet, cum in oculo videmus simul, & sentimus dolorem, dicimus enim, quod visio est actus potentiæ visiuæ, sensus doloris potentiæ tactiuę; ergo potentia visiua, & potentia tactiua sunt potentiæ specie differentes, etiamsi recipiantur in eadem parte corporis; ergo etiam potentia auditiua, & potentia visiua. Confirmatur 1. quia licet actus videndi, & actus imaginandi habeant aliquando idem obiectum, adhuc distinguimus illos inter se per hoc; quod sint actus diuersarum potentiarum, & vnus sit actus visus, alter actus imaginationis; ergo potentia visiua, & imaginatiua sunt diuersę potentiæ; sed omnes actus intelligendi reducimus ad vnam potentiam, etiamsi habeant obiecta maximè diuersa, & contraria; è conuerso actus intelligendi, & volendi eadem obiecta distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, eo quod actus intelligendi sint actus intellectus, actus volendi sint actus voluntatis; ergo intellectus, & voluntas realiter distinguuntur. Confirmatur 2. nam primo aspectu non minus videtur absurdum,

quod

quod homo per intellectum velit, per voluntatem intelligat, quam quod per oculos audiat, per aures videat; ergo voluntas, & intellectus distinguuntur in anima, sicut oculus, & auris in corpore, ideòque acutè ait Aristoteles, quod sicut in corpore est visus, sic in anima est mens, atque aliud in alio, & S. Aug. quod mens est veluti oculus animę, vel caput, aut facies, per quas anima cognoscit. Ratio à priori fundata in inductione est, quia ad actus attingentes obiectum sub diuersa ratione formali, & per modos tendendi diuersos, requiruntur diuersę potentię, & si tales actus sint materiales, requiri solent diuersa organa materialia; ità ad actus attingentes colores sub ratione formali visibilis, requiritur potentia visiua, siue oculus, ad actus attingentes sonos requiritur organum auditus, nec alia est ratio, cur requirantur in animali plura organa sensuum, quam hæc; sed intellectiones, & volitiones attingunt obiectum sub diuersa ratione formali, propter quam intellectiones, & volitiones magis differunt ex modo tendendi, quam visiones, & auditiones; ergo intellectus, & voluntas sunt potentiæ distinctę. Si enim anima propter diuersitatem visionis ab auditione, ad videndum, & audiendum indiget duobus sensibus,

distinguuntur inter se. Confirmatur ex cōparatione cum Trinitate celebri apud PP., quę non procederet, nisi in eadem animæ essentia daretur multiplicitas realis potentiarum, eo pacto, quo in eadem essentia diuina datur multiplicitas realis Personarum.

Ad 3. Materia prima ad recipiendum non indiget potentia superaddita, quia ad recipiendum non requiritur abundantia, sed potius defectus perfectionis, cum omne receptiuum secundum se præcisè careat perfectione, quam potest recipere. Anima ad agendum indiget potentia actiua distincta, quia ad agendū requiritur abundantia perfectionis. Dum opponitur; accidentia imperfectora anima sunt actiua per se ipsa; ergo & anima; nego consequentiam. Nam ex doctrina Aristotelis 2. de cœlo tex. 66. & S. Th. 1. p. q. 77. ar. 2. infima possunt consequi bonitatem imperfectam paucis motibus, & paucis adiumentis, superiora consequuntur perfectam, sed multis motibus, & adiumentis; ergo accidentia, quæ sunt infima, possunt consequi hanc perfectionem exercēdi paucas actiones per se ipsa, substantia verò maiorem perfectionem exercendi plures, & plures operationes, per plures, & plures potentias, & adiumenta. Ità videmus, quod aqua per se ipsam consequi-

tur perfectionem suæ naturæ; substantiæ viuentes indigent multis adiumentis, ideoque homo, qui est animal perfectissimum, est etiam indigentissimum; nullum enim est animal, vel corpus, quod pluribus adiumentis indigeat ad vitam, & ad suum finem consequendum, quam homo. Hinc dum queritur, vtrum anima indigeat potentiis propter suam perfectionem, vel propter suam imperfectionem, dico, quod propter perfectionem mistam imperfectioni. Est enim constituta in gradu entium, quæ possunt consequi aliquem finem valdè perfectum, sed per multos motus, & multa auxilia, cum inferiora paucioribus motibus, & auxiliis consequantur finem imperfectiorem; superiora consequantur finem perfectiorem, vel æquè perfectum paucioribus adiumentis, hoc est per solas potentias inorganicas; Deus sine vllo motu, & adiumento per se ipsum habeat beatitudinem perfectissimam.

Ad 4. Resp. quod non valet argumentum: potest aliquid per se ipsum efficere instrumentum; ergo potest per se ipsum efficere opus talis instrumenti. Nam Artifex potest per se ipsum efficere serram, quę est instrumentum secandi, at non potest per se ipsum sine serra efficere operationem secandi; similiter plura viuentia possunt per se ipsa producere semen,

quod

quod est instrumentum generandi simile, at non possunt generare simile sine semine. Sic in casu nostro licet anima possit producere in se intellectum, & voluntatem, adhuc non sequitur, quod possit sine intellectu, & voluntate distinctis producere actus intelligendi, & volendi. Ratio à priori potest esse, quia causæ vniuersalior, & amplior producit effectum habentem perfectionem quandam vniuersaliorem, & ampliorem, sed substantia est causa vniuersalior, & amplior; ergo producit potentias, quæ sunt effectus habentes perfectionem quamdam vniuersaliorem, & ampliorem, per quam aliqualiter continent omnes actus intrà latitudinem obiecti formalis; potentiæ verò producunt effectus minus amplos, cum producant actus, qui continent perfectionem huius, aut illius obiecti. Addo, quod duplex est efficientia, alia per modum emanationis, ac resultantiæ, alia per modum transmutationis, propter quam causa efficiens dicitur primum vnde motus. Efficientia per modum emanationis est, quæ non supponit per se subiectum priuatum forma, adeoq; per se non transmutat subiectum proximum à priuatione ad formam, vel, à contrario in contrarium. Hoc pacto lux solis emanat à sole, potentiæ ab anima, & propriæ passiones à

 subie-

ubiecto proprio: nam non supponunt per
e proprium subiectum sub priuatione.
Efficientia per modum transmutationis est,
quæ per se supponit subiectum sub priua-
ione, vt calefactio aquę, & omnes actio-
nes procedentes à contrario in contra-
rium. Substantiæ respectu potentiarum
conuenit primus modus efficientiæ. Hinc
responderi potest ad quæstionem, vtrum
substantia sit immediatè actiua. Respon-
deo affirmatiuè. Ratio est, quia in vno-
quoque genere primum est causa cætero-
rum; sed substantia est primum ens; ergo,
debet esse causa omnium accidentium.
Et quidem est prima causa materialis,
quia est primum subiectum accidentium;
est prima causa formalis, quia accidentia
definiuntur per substantiam, tanquam per
proprium subiectum, & specificatiuum;
est causa finalis, quia accidentia ordinan-
tur ad substantiam, tanquam ad finem;
est causa efficiens, quia accidentia ema-
nant radicaliter à substantia. Addo, quod
substantia est causa immediatè actiua
actione immanente, non transeunte. Ratio
est, quia cum habeat pro fine se ipsam, &
sit imperfecta, omnes suas vires impendit
ad perficiendam seipsam per actiones im-
manentes, deinde verò ex accidentibus,
quibus substantia est immanenter perfe-
cta, sequuntur actiones transeuntes.

Ad 5.

Ad 5. Etiamsi anima concurrat immediatè ad suos actus vitales, adhuc non frustrà sunt potentiæ, sicut etiamsi anima concurrat immediatè cum oculis ad videndum, adhuc nō frustrà sunt oculi. Ratio, est, quia potest aliquid ità concurrere immediatè ad effectum, vt indigeat etiam instrumento specialiter adaptato ad talem effectum, cuiusmodi instrumenta sunt potentiæ, tum organicæ, tum inorganicæ. Potest antem probabiliter suaderi, quod anima concurrat immediatè ad actus vitales, ex rationibus allatis in argumento, & ex paritate habituum. Videtur enim, quod eo pacto se habeant potentiæ vitales ad substantiam, sicut habitus ad potentias; sed habitus ità perficiunt potentias, vt etiam potentiæ concurrant ad actus; ergo potentię ità perficiunt substantiam, vt etiam substantia concurrat immediatè ad actus: Quod si substantia concurrit, est causa principalior intelligens vt quod, volens vt quod &c. potentiæ verò agunt solum vt quo. Sicut enim cum aliquis scit per scientiam habitualem, ipse scit, scientia verò non tam scit, quam est id, per cuius actum, homo, vel Angelus scit, sic potentia non tam intelligit, quam est id, per cuius actū anima intelligit. Idem dic de libertate. Anima enim determinat actum, tanquam

Domina; voluntas non tam determinat, quam est id, quo anima determinat.

Ad 6. Memoria intellectiua non distinguitur ab intellectu. Nam profectò actus, quibus recordamur, sunt quædam intellectiones; sed omnes intellectiones reducimus ad vnam potentiam, & dicimus, quod sunt actus intellectus; ergo memoria intellectiua, & intellectus sunt vnica potentia. Ex eadem ratione ostenditur, quod potentia apprehensiua, iudicatiua, & discursiua sint vnica potentia, quia sicut omnes visiones reducimus ad vnam potentiam visiuam, ità omnes apprehensiones, iudicia, ac discursus reducimus ad vnam potentiam intellectiuam. Memoria tamen aliqualiter distinguitur ab intellectu, quatenus superaddit species obiectorum ante cognitorum.

Ad 7. In quo proponuntur varia dubia, dico probabile esse, quod potentiæ sint accidentia realia. Virtutes enim actiuæ aliarum rerum sunt accidentia realia: e g. calor, qui est virtus actiua ignis, lux, quæ est virtus actiua solis sunt accidentia realia, & non modalia; ergo etiam virtutes actiuæ vitales. Hinc sequitur, quod sint supernaturaliter separabiles à subiecto, & quod intellectus potest supernaturaliter existere extrà animã, sicut lux extrà solẽ, ità tamen, vt potentiæ vitales extra animam

mã non possent agere, deficiẽte principali principio agendi, quod est anima. Prætere a sunt accidentia absoluta, inquantum sunt perfectiua subiecti: includunt tamen respectum, quo referuntur ad obiectum sub aliqua ratione communi, quæ est formale specificatiuum potentiarum. In anima separata non remanent potentię organicæ, remanent inorganicæ. Ratio est, quia potentię organicæ sunt accidentia non solius animæ, sed etiam organi corporalis, e. g. potentia visiua est accidens oculi animati tanquam proprii subiecti; ergo remanere non possunt sine propro subiecto. At potentię inorganicæ sunt accidentia solius animæ, ergo cum remanet anima, remanet intellectus, & voluntas. Quoad subiectum, potentiæ inorganicę recipiuntur immediatè in anima; potentiæ organicę recipiuntur in proprio organo animato; actus verò potentiarum recipiuntur immediatè in ipsis potentiis, e. g. visio in potentia visiua, intellectio in intellectu. Ratio est, quia actus sunt actus potentiarum; ergo recipiuntur in potentiis, tanquam in propriis subiectis. Probabile est, quod detur ordo naturæ inter potentias, ità vt ex anima fluat immediatè intellectus; ex anima vt habente intellectum fluat volantas. Ratio est, quia emanatio-

nes

Domina; voluntas non tam determinat, quam est id, quo anima determinat.

Ad 6. Memoria intellectiua non distinguitur ab intellectu. Nam profectò actus, quibus recordamur, sunt quædam intellectiones; sed omnes intellectiones reducimus ad vnam potentiam, & dicimus, quod sunt actus intellectus; ergo memoria intellectiua, & intellectus sunt vnica potentia. Ex eadem ratione ostenditur, quod potentia apprehensiua, iudicatiua, & discursiua sint vnica potentia, quia sicut omnes visiones reducimus ad vnam potentiam visiuam, ità omnes apprehensiones, iudicia, ac discursus reducimus ad vnam potentiam intellectiuam. Memoria tamen aliqualiter distinguitur ab intellectu, quatenus superaddit species obiectorum ante cognitorum.

Ad 7. In quo proponuntur varia dubia, dico probabile esse, quod potentiæ sint accidentia realia. Virtutes enim actiuæ aliarum rerum sunt accidentia realia: e g. calor, qui est virtus actiua ignis, lux, quæ est virtus actiua solis sunt accidentia realia, & non modalia; ergo etiam virtutes actiuæ vitales. Hinc sequitur, quod sint supernaturaliter separabiles à subiecto, & quod intellectus potest supernaturaliter existere extrà animā, sicut lux extrà solē, ità tamen, vt potentiæ vitales extra animam

mã non possent agere, deficiẽte principali principio agendi, quod est anima. Præterea sunt accidentia absoluta, inquantum sunt perfectiua subiecti: includunt tamen respectum, quo referuntur ad obiectum sub aliqua ratione communi, quæ est formale specificatiuum potentiarum. In anima separata non remanent potentię organicæ, remanent inorganicæ. Ratio est, quia potentię organicæ sunt accidentia non solius animæ, sed etiam organi corporalis, e. g. potentia visiua est accidens oculi animati tanquam proprii subiecti; ergo remanere non possunt sine propro subiecto. At potentię inorganicæ sunt accidentia solius animæ, ergo cum remanet anima, remanet intellectus, & voluntas. Quoad subiectum, potentiæ inorganicę recipiuntur immediatè in anima; potentiæ organicę recipiuntur in proprio organo animato; actus verò potentiarum recipiuntur immediatè in ipsis potentiis, e. g. visio in potentia visiua, intellectio in intellectu. Ratio est, quia actus sunt actus potentiarum; ergo recipiuntur in potentiis, tanquam in propriis subiectis. Probabile est, quod detur ordo naturæ inter potentias, ità vt ex anima fluat immediatè intellectus; ex anima vt habente intellectum, fluat voluntas. Ratio est, quia emanationes

nes naturę ſunt ordinatæ ; ergo ex eſſentia immediatè fluit prima paſſio, ex prima paſſione ſecunda, & ſic de aliis, eo pacto quo calor procedit à ſole, media luce. Demum potentiæ ſpecificantur per actus, & obiecta, in quantum commenſurantur actibus, & obiectis, iuxta dicta q. 3. Logicę.

QVAESTIONES
De Anima Vegetatiua.

Ordo diſputandorum.

DEſcendimus ad diſputandum de generibus Animarum, & circà Animam vegetatiuam primo quærimus vtrum conuenienter aſſignentur, & ſint neceſſariè tres potentiæ animę vegetatiuę. Secundo vtrum, & quale alimentum ſit obiectum materiale potentiarum vegetatiuarum. Tertio, vtrum detur triplex præparatio, & triplex concoctio alimenti. Quarto, vtrum ad nutritionem vitalem requiratur, vt alimentum per introſuſceptionem mutetur in ſubſtantiam aliti. Quinto, vtrum augmentatio conuenienter definiatur. Sexto, vtrum proprium viuentium ſit generare ſimile,

simile,& generari à simili. Septimo, vtrum conuenienter assignentur causæ generationis.

QVAESTIO XII.

Vtrum conuenienter assignentur, & sint necessariæ tres potentiæ animæ vegetatiuæ.

VIdetur, quod non conuenienter assignentur tres potentię animæ vegetatiuę, nutritiua, augmentatiua, ac generatiua: 1. quia deberent assignari potentiæ communes omnibus corporibus vegetabilibus; sed non omnes tres potentię sunt communes, multę enim plantę, & multa animalia pręsertim quæ nascuntur ex putri non habent potentiam generandi sibi simile, genus etiam mulorum est sterile, vt docet Aristoteles 2. de gener. animal cap. 5. Hinc verò sequitur, quod non omnes tres potentiæ sint necessarię, cum non omnes dentur in quocunque corpore viuente.

2. Potentiæ communes non viuentibus, non sunt vitales; sed potentia generandi est communis etiam non viuentibus, cum etiam ignis generet sibi simile secundum speciem, ergo.

3. De-

quia corpora viuentia cum sint composita ex partibus habentibus contrarium temperamentum, per quod aliquæ abundant calore, aliç frigore, sine quibus temperamentis conseruari non potest vita, sunt ab intrinseco corruptibilia, vt dictum est q. 26. ad octauum; ergo sicut habent intrinsecam causam, propter quam corrumpantur, & pereant, ità conueniens fuit, vt habeant intrinsecam virtutem, per quam possint substituere sibi simile ad speciem conseruandam; hæc est virtus generatiua; ergo necessarium fuit necessitate desumpta ex bono, & conueniente, vt haberent virtutem generatiuam; sed per virtutem generatiuam, qua generant sibi simile ex aliqua parte generantis ab ipso decisa, nimirum ex semine, non possunt generare simile cum mole, & quantitate debita; ergo viuentia generata debuerunt habere vim augmentatiuam, per quam possent acquirere debitam molem, & quantitatem, cum corpora non viuentia, quia possunt per generationem non vitalem, & non ex parte viuentis produci à generante cum debita quantitate, non indigeant potentia augmentatiua; sed non possunt viuentia perducere se ad debitam molem, nisi conuertant aliquam materiam, quæ vocatur alimentum, in suam substantiam; ergo debent habere vim conuerten-

di

li alimentum in suam substantiam per intosusceptionẽ, quę est vis nutritiua. Virtus etiam nutritiua est necessaria, quia viuentia sunt composita ex substantia calida, & humida, in quibus continetur humidum radicale, & calor vitalis, ideoque vita dicitur consistere in temperamento calidi, & humidi, & Aristoteles in lib. de vita, & morte, cap. 14. dicit vitam esse permansionem animę nutritiuę in calido; sed calor semper agit in humidum, illud attenuando, & auolare faciendo particulas substantię humidę; ergo partes substantiales animalis semper minuuntur actione caloris; ergo necessaria est potentia nutritiua ad illas reparandas, substituendo alias partes loco deperditarum, & conuertendo alimentum in substantiam aliti. Quod si desit alimentum, calor conuertit suam actionem vehementius in partes animatas, consumendo humidum, vnde arbores extirpatę, adeoque nõ potentes trahere alimentum ex terra, breui arescunt, calore intrinseco absumente humidum, & omnia viuentia ex defectu alimenti breui moriuntur ex eadem ratione. Ex tribus potentiis enumeratis suprema est generatiua, vt docet Aristoteles 2. de anima, tex.49. & probatur primo ex subiecto. Nam potentia generatiua in quibusdam speciebus imper-

perfectis, prȩsertim quȩ nascuntur ex putri, non datur, cum aliȩ duȩ dentur in speciebus etiam imperfectissimis; rursus potentia generandi datur solum in animali iam perfecto; est enim rei iam perfectȩ facere rem, qualis ipsa est; ergo potentia generatiua requirit maiorem perfectionem in subiecto 2. probatur ex obiecto, seu fine, & opere. Nam aliȩ duȩ habent pro fine bonum indiuidui, potentia generatiua bonũ speciei; bonum autem speciei vtpotè communius, est diuinius. Rursus per potentiam generatiuam fit primo totum viuens per alias nutritur, aut augetur viuens iam existens; est autem opus perfectius facere primo totum viuens, quam nutrire, & augere viuens iam existens. 3. probatur ex ordine. Nam generatio fit alimentum magis concoquendo, & perficiendo, quam concoquatur, & perficiatur ad nutritionem, vt inferius explicabitur q. 18. Et quia supremum inferioris generis attingit infimum generis superioris, vt docet S. Dion. cap. 7. de diuinis nominibus, ideò potentia generatiua, quȩ est suprema in genere vegetatiui, attingit potentias sensitiuas in hoc, quod sicut per potentias sensitiuas viuentia non sistunt in se ipsis, sed versantur circà obiecta extrinseca, sic per potentiam generatiuam producunt aliud extrin-
secum

secum simile sibi, cum per potentiam nutritiuam, & augmentatiuam operentur finaliter solum in se ipsis.

Ad 1. Non solũ assignari debent potentię vegetatiuę imperfectiores, quæ solę inueniuntur in vegetabilibus imperfectis, ac viuentibus vitam veluti mutilam, sed etiam potentia perfecta, quæ inuenitur in vegetabilibus perfectis; sicut cum assignantur quinque sensus, assignantur etiam sensus perfecti, hoc est visus, & auditus, licet desint pluribus animalibus imperfectis. Dum opponitur, quod potentia generatiua cum desit multis corporibus viuentibus, non est necessaria, dico, quod cum desit imperfectis, adhuc est necessaria perfectis, quæ debent posse se mouere non solum ad conseruationem indiuidui, sed etiam ad conseruationem speciei, vt in specie consequantur quandam perpetuitatem essendi.

Ad 2. Potentia generatiua, de qua hic loquimur, est per quã viuentia generant simile modo quodam altiori per aliquid ipsius viuentis, quod est semen, vt explicabitur inferius: potẽtia verò generatiua in hoc sensu est propria viuentium, & non conuenit rebus inanimatis.

Ad 3. Hic assignantur potentię ad ordinandam doctrinam de anima vegetatiua, abstrahendo ab hoc, vtrum distinguantur

realiter,vel nõ,de quo agetur inferius.
Ad 4. Ordo doctrinę postulat, vt pri-
assignentur potentiæ finales versantes
cà finem, deinde ministrantes, ac dis-
nentes materiam ad formam finalem,
versantes circà media. Triplex autem
finis animæ vegetatiuæ. Primus con-
nare indiuiduum cum debita mole, &
antitate, reparando partes deperditas
r actionem caloris; & ad hunc finem
dinatur potentia nutritiua. Secun-
s indiuiduum augere perducendo ad
bitam molem; & ad hunc ordinatur
tentia augmentatiua. Tertius propa-
re speciem, & ad hunc ordinatur po-
ntia generatiua. Ad hos autem fines
nsequendos requiruntur tanquam me-
a attractio alimenti, eiusdem retentio,
concoctio, & expulsio excremẽtorum
itilium, & ad tales fines ordinantur
atuor potentiæ enumeratæ.

QVAESTIO XIII.

Vtrum, & quale alimentum sit obiectum materiale potentiarum vegetatiuarum.

Idetur, quod alimentum non sit o-
biectum materiale omnis potentiæ
vege-

vegetatiuç; obiectum enim totale potentiç operatiuæ, est opus præsertim, finale, quod efficitur; obiectum materiale est materia, ex qua efficitur, eo pacto, quo obiectum totale statuariæ est statua, obiectum materiale est marmor, ex quo efficitur statua; sed licet potentia nutritiua, & augmentatiua faciant corpus viuens, quod est obiectum totale, ex alimento, tanquam ex materia, potentia generatiua non generat sibi simile ex alimento, tanquam ex materia; ergo alimentum non est obiectum materiale omnium potentiarum vegetatiuarum.

2. Videtur falsum, quod Aristoteles docet 2. de generatione textu 49. & 50. alimentum viuentium esse corpus mistum, non autem accidentia, & pura elementa, quæ sunt corpora simplicia. Nam accidentia possunt esse alimentum, cum de facto nutriamur ex accidentibus Eucharisticis, & cum constet aliquos solo odore nutritos per aliquot dies, & Plinius lib. 7. naturalis hist. cap. 2. referat quosdam populos in India pasci solo odore florũ; sed odor est accidens; ergo ad alimentum non requiritur, vt sit substantia.

3. Videtur multo minus requiri, vt alimentum sit corpus mistum; tum quia nulla est ratio, cur pura elementa transmutari non possint in substantiam viuentem per

er potentiam vitalem; tum quia talpæ,
: quædam animalia nutriuntur sola ter-
ı, multi pisces sola aqua, alioquin vn-
e possent inuenire alimentum innumeri
isces in oceano; Chamæleon solo aere;
alamandra dicitur viuere in igne; Pi-
ıustæ, hoc est bestiolę quędam pennatæ
aulo grandiores maioribus muscis gene-
ıntur in fornacibus ærarijs Cypri, & si
b igne amoueantur, statim moriuntur, vt
:fert non solum Aristoteles lib. 5. de hi-
or. animalium cap. 19. sed etiam Plinius
b. 11. Seneca lib. 5. quę. naturalium
ap. 6. & Scaliger exercitatione 23. er-
o nutriuntur solo igne; ergo omnia ele-
ıenta possunt esse alimentum viuentium.
Conf. nam si in aliquod vas testaceum
nmittatur terra, cuius pondus diligen-
ssimè inquiratur, & deinde ingesto se-
ııne, nascatur arbor, & crescat ad nota-
ilem magnitudinem, & pondus, si rur-
ıs ponderetur terra testæ, inuenitur pon-
eris eiusdem omninò, vel penè eiusdem;
rgo arbor illa nutrita fuit aere. Carda-
us etiam refert ęgrotum quendam spatio
uorum mensium sexcentas ferè libras
rinæ emisisse, cum tamen totus cibus,
: potus, quem sumpsit, multo minus pon-
eraret; ergo talis ægrotus, vt Cardanus
ı fert, propter specialem corporis disposi-
onem conuertit aerem in illud excre-
men-

mentum; ergo aer potest esse alimentum viuentium.

4. Vel alimentum debet esse simile, vel dissimile substantiæ aliti; neutrum dici potest; ergo &c. Probatur minor; non enim potest esse simile, quia conuersio fit non à simili in simile, sed à dissimili in dissimile, e. g. ignis non conuertitur in ignem similem, sed ligna dissimilia conuertuntur in ignem dissimilem; neque potest esse dissimile, quia ijsdem nutrimur, quibus constamus.

Resp. quod obiectum materiale potentię operatiuæ est materia, ex qua facit opus suum; sed materia, ex qua potentia vegetatiua facit opus suum, est alimentum; ergo alimentum est obiectum materiale potentiarum vegetatiuarum, vt Aristoteles docet 2. de anima tex. 33. Et quia duplex est alimentum ex doctrina eiusdē 2. de part. anim. cap. 3. proximum, & remotum, ideò duplex est obiectum materiale, proximum, & remotum. Primo agendum de remoto, explicando, quid sit, quomodo pręparetur, & concoquatur ad hoc, vt fiat alimentum proximum immediatè conuertibile in substantiam aliti; tum demum de nutritione, & augmentatione, per quam conuertitur in substantiam aliti. Alimentum igitur viuentium est corpus conuertibile in substantiam viuen-

iuentis, adeòque comparari debet ad otentiam vitalem, ſicut paſſiuum ad ſuũ ctiuum proportionatum. Hinc habetur ifferentia inter alimentum, medicamenum, & venenum. Alimentum eſt corus, quod comparatur ad potentiam vialem, tanquam paſſiuum ad ſuum actiuũ, deòque non tranſmutat potentiam vitaem, ſed ab illa tranſmutatur, & vt Gaenus ait, lib. de ſimplicium medicamenorum facultatibus, magis alteratur, quam lterat; viuens enim parum alteratur ab limento, ac multum alterat alimentum, & alterando tranſmutat in ſuam ſubſtaniam. E conuerſo medicamentum magis lterat, quam alteratur à viuente, & non onuertitur in ſubſtantiam viuentem, ed viuens purgat, trahendo multos humores alteratos. Venenum comparatur d viuens, tanquam actiuum ad paſſiuum; non enim alteratur niſi parum à viuente, & illud alterat, & corrumpit, conuertendo humores in ſubſtantiam veneni, ideòque ex veneno ſequitur inflatio.

Hinc 1. ſequitur, quod elementa pura non ſint alimentum, quia propter exceſſum aliquarum qualitatum non comparãtur ad viuens temperatum, tanquam paſſiuum ad actiuum. Sequitur ſecundo, quod plura miſta non ſint aptum alimentum, quia non poſſunt concoqui à potentia vitali,

ali, e.g. metalla non sunt alimentum; quare probabile est aurum potabile non nutrire nec transmutari in substantiam aliti, sed purè confortare virtutem per suas qualitates. Vniuersim alimentum debet esse corpus mistum affine in temperamento substantiæ aliti. Et quia cadauera viuentium sunt affinia substantiæ viuenti. ideò vt plurimum animalia nutriuntur ex cadaueribus viuentium, hoc est vel aliorum animalium, vel herbarum, ac fructuum vegetabilium; vegetabilia etiam nutriuntur partibus cadauericis vt alimento aptiori, ideòque campi fæcundantur stercoratione. Quo verò substantia cadaueris est affinior substantiæ viuenti, eo est alimentum aptius, ideòque homines melius nutriuntur ex cadaueribus animalium terrestrium, quam aquatilium, quia cadauera terrestrium habēt substantiam magis affinem substantiæ hominis, quam cadauera aquatilium, ac pręter sal vix inuenitur vllum alimentum animalis, quod non fuerit pars viuentis, & de sale ipso probabile est, quod non tam sit alimentum, quam quoddam medicamentum familiare pręseruans à putrefactione. Quia verò substantia viuentis est calida, & consistens propter temperatam siccitatem, ideò alimentum debet esse calidum, & siccum temperatè, & fames est appeti-
ius

tus calidi, & ſicci . Vt tamen cibus calidus , & ſiccus concoquatur , debet admiſceri potus frigidus , & humidus , vt per frigus temperetur eius caliditas , nè loco concoctionis ſequatur cōbuſtio , & vt per humiditatem chylus reddatur idoneus ad hoc, vt per venas permeet . Ideò poſt famem ſequitur ſitis , hoc eſt appetitus frigidi , & humidi , quo temperetur cibus calidus , & ſiccus modo explicato , licet aliquando per accidens ſitis præcedat famem , vt per potum refrigeretur calor extrinſecè excitatus . Confirmatur hoc totum , quia videmus , quod ad omnes concoctiones , & diſtillationes requiritur admiſtio humidi cum ſicco , ergo non eſt mirum , ſi requiratur etiam ad concoctionem alimenti . Hinc patet definitio alimenti . Eſt enim *corpus miſtum paſſiuum à potentia vitali , & concoquibile , ac poſt concoctionem tranſmutabile in ſubſtantiam viuentis* .

Ad 1. Alimentum eſt etiam obiectum materiale potentiæ generatiuę , quia per potentiam generatiuam formatur ſemen ex partibus puriſſimis vltimi , ſeu proximi alimenti, magis illas concoquendo, vt explicabitur inferius .

Ad 2. Alimentum debet eſſe corpus ſubſtantiale , vel viceſubſtantia , & vicecorpus . Quia ergo quantitas eucharistica

er modum existendi supernaturalem, uem habet, est vicesubstantia, & vice-ianis, vt dictum est quæst. 36. ph habet im nutriendi per hoc, quod transmute-ur in substantiam aliti, sicut transmuta-ur substantia panis. Dum opponitur ali-juos nutritos fuisse solo odore, respon-leo id negandum cum Aristotele cap. 5. le sensu, & sensili. Quare narratio Pli-nij de populis Indię solo odore pastis cē-enda est fabulosa.

Ad 3. Alia ratio, cur elementa pura non sint aptum alimentum viuentium, est, quia viuens est heterogeneum; ergo ali-mentum debet esse heterogeneum, vt ex heterogeneis partibus alimenti fiant he-terogeneæ partes viuentis. Non tamen negamus posse pura elementa inuicem permista secundum particulas tenuissimas nutrire plantas, eo pacto, quo videntur arbores nutriri ex terra admista cum a-qua, ideòque necessaria est irrigatio; quan-quam in terris fęcundis sint admistę par-ticulæ plurium mistorum valdè conferen-tes ad fæcunditatem. Nec verum est, quod talpa nutriatur terra, cum in suis foueis venetur vermiculos, muscas, for-micas, & alia animalia. Pisces etiam non nutriuntur sola aqua, sed pisces maiores nutriuntur minoribus; minores vermicu-lis, herbis, & alijs decidentibus in aquas

ex

ex littoribus continentium, insularum, & scopulorum; nutriri etiam possunt aliquibus herbis, quæ nascuntur in fundo maris certis locis. Chamęleon pascitur ex muscis, quas mira dexteritate venatur. De Salamandra falsum est, quod viuat in igne, sed est serpens viuens in terra, & si inijciatur in ignem, sua maxima frigiditate illum extinguit. Quod narratur de Pyraustis videtur etiam fabulosum, licet id Aristoteles, sicut plura alia referat ex famosis narrationibus. Posset etiam contingere, quod Pyraustę nascantur ex humido specialium lignorum viridium, calore ignis concurrente ad earum generationem, & ex simili humore nutriantur, vt indicat Licetus lib. 3. de spontaneo viuentium ortu, cap. 3. licet Semnertus hypomneumate 5. cap. 8. Licetum impugnet, ac probabilius putet Pyraustas nasci, & nutriri ex humiditate quorundam lapidum, qui in Cypro ex propria vena effodiuntur. Ad id, quod additur de arbore nata in vase testaceo, & crescente sine detrimento ponderis terræ, probabile est, quod per radices habeat vim trahendi etiam atomos volitantes in aere, quæ terræ admistę sint aptum alimentum, & quod quantum minuitur pondus terræ ex eo, quod succus transeat in substantiam arboris, tantundem reparetur propter at-

tractionem atomorum. Demum ad instātiam ægroti, qui duobus mensibus effudit 600 libras vrinæ, dico, quod propter dispositionem corporis vndique trahebat humorem extrinsecum, qui concrescens conuertebatur in excrementum vrinę.

Ad 4. Alimentum debet esse nec omninò simile, nec omninò dissimile, sed partim simile, partim dissimile: sic enim est aptum, vt mutetur in substantiam aliti, & in hoc sensu intelligendum, quod ijsdem nutrimur, quibus constamus, hoc est habentibus similitudinem non omnimodam, sed cum quadam proportione. Addo, quod alimentum ab initio est dissimile, & per concoctionem magis, & magi assimilatur, donec conuertatur in substantiam aliti.

QVAESTIO XIV.

Vtrum detur triplex alimenti præparatio, & triplex concoctio.

VIdetur, quod inconuenienter assignentur tres solæ concoctiones alimenti. Tot enim sunt concoctiones, quot sunt mutationes præsertim substantiales ali-

alimenti, antequam perueniat ad formam viuentis; sed tales mutationes sunt plures, quam tres; primo enim alimentum in ventriculo, seu stomacho conuertitur in chylum, hoc est substantiam quandam albam, & fluidam: secundo in hepate conuertitur in sanguinem: tertio in orificijs, seu extremitatibus venarum capillarium conuertitur in humorem quendam aqueum, qui vocatur secunda humiditas, & mox concrescit in quendam rorem; quarto hic humor, seu ros conuertitur in cambium, hoc est in alium humorem crassiorem, & similiorem partibus nutriendis; quinto ex cambio fit gluten, hoc est humor magis, viscosus ædhęrens parti nutriendæ, qui deinde conuertitur in partem alitam, vt carnem, ossa &c; ergo non tres, sed quinque concoctiones sunt ponendę; & quia ad vnamquamque concoctionem videtur præcedere præparatio correspondens, ideò debent poni plures præparationes, quam tres.

Resp. quod sicut ab arte caro, atque alij cibi coquuntur in olla, vel alio instrumento instituto ad vsum coquendi, ità alimentum à natura coquitur in ventriculo, & alijs organis ad finem concoctionis institutis; & sicut cibi antequam immittātur in ollam coquendi, præparantur, ac disponuntur diuisione in partes minutas,

tas, maceratione, vel alijs modis, sic à natura prępratur alimentum, antequam immittatur in vasa intrumentalia ad coctionem distinata. Prima prępratio cibi fit in ore, in quo cibus excipitur à lingua, quę propterea dicitur veluti manus stomachi, & ab ea supponitur dẽtibus, à quibus comminuitur, & maceratur. Cibus in ore prępratus, & cõminutus, per œsophagũ, hoc est per canaliculũ quendam à radicibus linguę pertingentem ad ventriculum mittitur in ventriculum, tanquam in ollam primę concoctioni destinatam. Porrò sicut in domibus coquina solet constitui in infima parte domus, & in cubiculo separato ab alijs cubiculis nobilioribus, ne sordes, fœtor, ac fumus coquinæ inquinent partes nobiliores, sic in animali sunt veluti tria cubicula, quæ vocantur ab anatomicis tres ventres. Cubiculum supremum, ac nobilissimum est caput destinatum ad operationes sentiendi, quę vocantur animales. Cubiculum medium est thorax, in quo est cor destinatum ad operationes vitales, hoc est ad motum. Cubiculum infimum, ac veluti Culina est venter, in quo coquitur alimentum, ad nutritionem quidem in ventriculo, atque hepate tanquam in ollis, ac præterea quædam partes puriores excretę, ac separatę ab vltimo alimento, quæ idcir-

idcircò vocantur excrementiæ, magis coquũtur in vasis seminarijs ad generationẽ destinatis, donec formentur in semen ad propagandam speciem.

Ventriculus, qui vocatur etiam stomachus, est veluti bursa, quę ad modum vtris extenditur. In eo cibus spatio circiter quatuor horarum tum per maximum calorem ipsius ventriculi, tum per calorem hepatis, cui subditur, tum per calorem stercoris inclusi in intestinis ambientibus ventriculum (calor autem fimi habet vim concoctiuam) concoquitur prima concoctione, ac mutatur in substantiam albam, & fluidam, quæ dicitur chylus.

Facta in ventriculo prima concoctione, chylus transmittitur in intestina, vt in ijs ad secundam concoctionem præparetur. Intestinum à ventriculo incipiens per multos anfractus, ac circulationes tandem desinit in secessum. In varijs sui partibus habet diuersa nomina. Sex autem solent distingui intestina, tria priora subtilia instituta ad transmittendum chylũ, & natiuo calore separandum à fæcibus: tria posteriora crassa, quibus continentur, & egeruntur fæces. Longitudo totius intestini solet septies continere longitudinem corporis humani. Tanta longitudo, & tot circumuolutiones videntur

 insti-

institutę ad retinendum alimentum diutius, & compertum est homines habentes intestinum breuius fuisse non solùm voraces, sed etiam furaces, ac perijsse suspendio ob furta facta, auiditate nimirum orta ex eo, quod propter breuitatem intestini cibus euacuaretur priùs, quàm deberet, stimulante ad comedendum, & rapiendum. Chylus igitur in anfractibus trium intestinorum subtilium per calorem naturalem separatur à fæcibus, atque ad secundam concoctionem pręparatur. Facta hac pręparatione, purissima pars chyli per venas quasdam subtilissimas, quæ vocantur venæ lacteæ, exugitur ab hepate, atque in angustijs talium venarum rursus depurata tandem defertur ad hepar tanquam ad instrumentum secundæ concoctioni destinatum.

Hepar, seu iecur habet substātiam massæ cuiusdam sanguineæ, rubicundæ, mollioris; est calidissimum, ac videtur veluti sāguis tostus nimio ardore. Chylus igitur in hepate rursus concoquitur, ac mutatur in sanguinem, & ab alijs humoribus separatur. Primo separatur flaua bilis duplici via. Nam altera eius pars crassior, & fęculentior immediatè per canalem quendam transmittitur ad intestina, ac posteà cum fœcibus euacuatur: altera pars purior per quasdam venulas defertur in

bur-

bursam, seu cistam fellis, quæ bursa adhæret hepati. Secundo separatur in hepate atra bilis, siue melancholia, quæ fit ex partibus magis terreis chyli, & per duas venulas ab hepate defertur ad lienem. Pituita demum non separatur à sanguine, sed cum illo diffunditur per totum corpus ad temperandum nimium ardorem sanguinis, ad humectandas partes, præsertim quæ motu atteruntur, & ad subministrandum pabulum cerebro, oculis, intestinis &c, quæ nutriuntur pituita. Licet verò flaua bilis, & atra bilis separentur à sanguine, & congregentur in lienem, & bursam fellis, adhuc non separantur omninò, sed secundũ aliquas partes deferũtur vna cum sanguine per venas. Natura tamen instituit, vt magna vtriusque bilis pars congregetur in vasa specialia, quia cum sint valdè corrosiuæ, & mordaces, nocumentum afferrent partibus præsertim tenuioribus, si in notabili quantitate deferrentur per corpus. Ex his patet secundam concoctionem, qua chylus mutatur in sanguinem, fieri in hepate, vt docent Medici, licet Peripatetici cum Aristotele censeant sanguinem confici non in hepate, sed in corde. At sequenda est sententia Medicorum; primo quia constat ex anatomia omnes venas originẽ trahere ab hepate, aliquas venas, ac præsertim illam

quæ vocatur porta,& magnā partem venæ cauæ nō pertingere ad cor,ergo pars illa sanguinis, quæ diffunditur per venas non pertingentes ad cor,non fit in corde. Secundo arteriæ, quę originem trahunt à corde, perpetuò pulsant, venæ non pulsant; ergo signum est, quod venæ non trahant originem à corde,alioquin etiam ipsę deberent pulsare. Potest tamen Peripateticis, & Aristoteli concedi, quod sanguis confectus in hepate secundum illam partem, secundum quam pertingit ad cor,magis à corde perficiatur.

Perfecta in hepate secunda concoctione, per quam chylus mutatur in sanguinem, sanguis transmittitur ad venas, quæ egrediuntur ex hepate tamquam ex fonte, vt in ijs præparetur pro tertia concoctione. Venæ constant vnica tunica propria contexta ex triplici genere filamentorum,quorum aliqua sunt recta per longitudinem venæ ducta, alia obliqua, alia transuersa deseruientia ad attrahendum, & retinendum humorem proficuum,atque expellendum noxium. Duæ sunt venæ præcipuæ, & quasi capita cæterarum, & veluti duo magna flumina, quę deinde in progressu diuiduntur in riuos minores, hic minores, & deinde desinunt in quasdam venulas subtilissimas, quæ propter subtilitatem vocantur capillares. Prima dici-

dicitur vena porta, ſecunda dicitur vena caua, quarum deſcriptio, ac progreſſus videri poteſt apud Anatomiſtas. Habent venæ inter cęteros duos ramos magnos, qui dicuntur venæ emulgentes, per quas ad renes deriuatur ſanguis impurus, atque vrina permiſtus, vt deinde in renibus vrina ſeparetur à ſanguine. Dantur etiam in venis ſubinde quędam oſtiola hinc inde ſibi adnexa, quibus ſanguis quaſi ſuſtinetur, ac ſiſtitur. Hæc oſtiola ſępè replicantur, vt ſanguis deſcendens facilius ſuſtineatur, & quoties erumpit nouus ramus, duplicatur oſtiolum, vt ſanguis ibi magis depuretur, & ſic ingrediatur venam anguſtiorem. Ex his patet pręparationem ſanguinis ad vltimam concoctionem faciendam in venis capillaribus, fieri in venis. Sanguis enim dum fluit per tot venas, & venulas ſemper anguſtiores, & anguſtiores, & per tot oſtia, & oſtiola venarum, ſemper magis, ac magis depuratur, donec puriſſima pars ipſius intret in venas capillare anguſtiſſimas, vt in ipſis vltimo concoquatur.

Tertia igitur concoctio ſanguinis puriſſimi fit in venis capillaribus diſperſis per omnes partes ſenſibiles corporis hoc pacto. In earum anguſtijs vi caloris ſanguis magis concoquitur, ac purgatur à partibus aqueis, & excrementitijs, quæ

vel

vel per poros emittuntur in sudores, vel concrescunt in pilos; vel extenduntur in cutim. Ex sanguine ità purgato exudat quidam humor aqueus, qui per vim caloris extruditur ad orificium cuiuslibet venę capillaris, qui humor dicitur à medicis secunda humiditas, & ros, eo quod concrescat veluti in rorem. Ex rore deinde fit cambium, hoc est humor crassior, & similior parti nutriendę. Ex cambio fit gluten adhęrescens parti nutriendę, in cuius naturam deinde mutatur. Ros, cambium, & gluten vocantur secundę humiditates; & cum vitiantur, oriuntur febres hecticę diuersę pro diuersitate humiditatis vitiatæ.

Ex his patere potest, quod in hoc negotio concoctionis idem accidit, quod in arte distillatoria. Sicut enim antequam aliquid solidum distilletur, contunditur, ac diuiditur crasso modo, & admiscetur illi aliquis humor deseruiens eius macerationi, deinde ponitur in vase distillatorio, ac ibi distillatur, tum filtratur, seu colatur, & traijcitur per filtrum, iterum distillatur, ac separatur ab excrementis, ac repetitis dissolutionibus rectificatur, donec fixetur, & coaguletur; sic cibus conteritur dentibus, admistoque potu ad ipsum macerandum, transmittitur ad ventriculum tanquam ad distillatorium, circula-

culatur per gyros intestinorum, filtratur, & percolatur per venas lacteas, iterum distillatur in hepate, rectificatur per ductus venarum subtiliorum, & subtiliorum, ac demum coagulatur, & fixatur in rorem, cambium, & gluten, ex quo deinde fiunt partes animatę.

Ad argumentum in contrarium, respondeo primo, transeat maior, & nego minorem. Probabile est enim, quod ros, cambium, & gluten non differant substantialiter, sed solum accidentaliter, sicut humores magis, aut minus coagulati. Secundo respondeo, distinguo maiorem tot sunt concoctiones, quot mutationes substantiales factę in organo diuerso, pręuijs præparationibus diuersis, concedo; quot sunt mutationes substantiales vtcunque, nego; transeat minor; & nego consequentiam. Tot debent assignari concoctiones, quot sunt mutationes sensibiles alimenti factæ in organo diuerso, & cum diuersa pręparatione, abstrahendo ab hoc, quod tales mutationes sint substantiales, vel accidentales, quod est valdè dubium. Tales autem mutationes sunt solùm tres iam explicatę.

Infertur etiam in plantis attractionem, pręparationem, ac concoctionem alimenti fieri proportionaliter, sicut in animalibus, licet in plantis organa, & operatio-

rationes non sint adeò distinctę, sicut in animalibus. Quemadmodum enim animalia sumunt alimentum per os, sic plantę illud attrahunt per radices, quę sunt veluti os plantarum; sicut animalia antequam alimentum conuertant in suam substantiam, multiplieiter pręparant, & concoquunt, sic plantæ; sicut animalia nutriuntur sanguine per venas diffuso sic plantę nutriuntur aliquo humore proportionali sanguini; sicut sanguis per venas diffunditur per totum corpus animalis, sic in plantis humor proportionalis sanguini per ductus quosdam similes venis diffunditur per totum corpus plantarum. Patet autem id manifestius in partibus magis teneris arborum, & in earum frondibus, in quibus apparent venę dispersę per omnes partes, à quibus exugitur humor, qui trãsmittitur per medullam trunci, tanquam per venam cauam

QVAESTIO XV.

Vtrum ad nutritionem vitalem requiratur, quod alimentum per intrososceptionem mutetur in substantiam aliti.

Videtur, quod non; 1. quia nulla est ratio, cur planta dicatur viuere, eo

quod

quod conuertat alimentum in suam substantiam per introsusceptionem, ignis verò lucernæ e. g. quia conuertit oleum in suam substantiam per meram aggenerationem dicatur non viuere; ergo &c. Hinc verò aliqui intulerunt plantas non magis viuere, quam ignem, & non dari aliam vitam, quam cognoscitiuam.

2. Dum dicitur, quod viuentia nutriuntur per introsusceptionem, recipiendo alimentum per omnes partes, vel asseritur, quod recipiant per omnes partes physicas, & sensibiles, vel quod recipiant etiam per mathematicas; neutrum dici potest; ergo &c.

3. Vel ipsamet formalis nutritio, qua viuens, conuertit alimentum in suam substantiam, est actus vitalis formaliter, vel actus vitalis formaliter consistit solum in motibus fibrarum ad alimentum trahendum, dispertiendum &c. formalis verò conuersio alimenti in substantiam aliti est actus vitalis solùm denominatiuè; neutrum dici potest; ergo &c.

4. Videtur falsum, quod viuentia perpetuò nutriantur, vt docet Aristoteles, præsertim lib. de somno, & vigilia cap. 1. dicens facultatem altricem non suscipere somnum, hoc est cessationem ab operationibus nutritionis. Nam quædam animalia diu viuunt sine cibis, vt de Vrsa 40. dies latente

latente sine vlla esca refert Aristoteles lib.8. de historia animalium cap.17. & etiam de stellione, crocodilo fluuiatili, & multis serpentibus, eodem lib. cap.7. Glires quoque diu dormiunt impasti. De hominibus, qui diu abstinuerunt à cibo, multa afferuntur exempla ab Alberto. Galenus etiam lib.3. de symptomatum causis refert quemdam morbum, quem vocat atropeiam, hoc est nutritionis priuationem, consistentem in hoc, vt ęgroti multo tempore non nutriantur. Confirmatur, nam probabile est semina plantarum esse animata, vt videntur docuisse Hippocrates lib. de dięta, Galen. lib.1. de semine, & alij; sed semina diutissimè conseruantur sine actuali nutritione, vt patet in frumento intrà horrea congesto; ergo viuentia possunt diu viuere sine actuali nutritione.

5. Videtur vera sententia quorundam, quos refert S.Thom. 1. par.q.119. art.1. & quam Auerroes 1. de gener. tex.38. tribuit Alexandro Aphorodisęo, quod alimentũ nõ mutetur in substantiã viuentem, sed solùm adhibeatur tanquam fomentum ad impediendam actionem caloris, per quam ipsa substantia aliti corrumperetur, eo pacto, quo aliqui ægroti magnam cibi congeriem cruri, vel alteri mẽbro infirmo superimponunt, vt voracitas

citas morbi illo externo cibo saturata vitales partes non absumat. Si enim alimentum mutaretur in substantiã aliti ad supplendas partes deperditas, post non multũ tempus consumeretur tota substantia viuentis, & succederet noua substãtia facta ex alimento.

6. Si alimentum conuerteretur in substantiam aliti, quidquid substantię deperderetur, posset reparari per nutritionem; sed reparando per nutritionem quidquid amittitur, posset corpus viuens, e.g. homo perpetuo conseruari, & nunquam mori; ergo &c.

7. Si alimentum conuerteretur in substantiam aliti, non posset explicari, quod sit alimentum vltimum, quod immediatè mutatur in substantiam viuentis; vtrum omnes partes nutriantur eodem alimento vltimo; quo pacto possint partes adeò diuersæ, e.g. os, caro &c. nutriri eodem alimento; ergo &c.

Resp. quod cum hactenus egerimus de causa materiali nutritionis, debemus afferre definitionem nutritionis explicantem cæteras etiam causas, nec non genus, & differentiam nutritionis. Potest igitur nutritio vitalis definiri *reparatio partium deperditarum per introsusceptionem alimenti, eiusque conuersionem in substantiam aliti*; seù *aggeneratio nouæ partis factæ ex alimento intro-*

*ntrosuscepto, & concocto virtute formæ nu-
tentis sua organa ad partes deperditas restau-
andas.* Hæc definitio explicat quatuor
causas nutritionis. Explicat alimentum,
quod est causa materialis; explicat causam
formalem, quæ est forma partis, e.g. car-
nis, ossis &c; explicat causam efficientem
principalem, quæ est forma substantialis;
declarat causam instrumentalem, quæ sunt
organa, ac potentiæ vitales; ac demum
explicat causam finalem, quæ est restau-
ratio partium deperditarum ad conser-
uandum animal cum debita magnitudi-
ne. Similiter hęc definitio explicat genus,
ac differentiam nutritionis. Genus est ag-
generatio, inquantum abstrahit à vitali, &
non vitali. Differentia aggenerationis vi-
talis à non vitali est, quod vitalis fit per
introsusceptionem alimenti, at aggenera-
tio non vitalis fit per meram appositio-
nem; e.g. flamma lucernæ non nutritur,
ità vt introsuscipiat alimentum, hoc est
oleum per omnes partes, sed solùm ità, vt
apponatur ad radices ipsius flammæ, ibi-
que conuertatur in flammam succeden-
tem loco flammæ abeuntis, & auolantis
sursum. Ad hoc autem, vt fiat aggeneratio
per introsusceptionem alimenti, corpora
viuentia debent esse organica, hoc est in-
structa variis instrumentis ad attrahen-
dum, diuidendum, concoquendum, ac
disper-

lispertiendum alimentum per omnes par-
es, vt singulæ attrahentes vltimum ali-
nentum sibi proportionatum intrà poros
utriantur, & augeantur, seruata eadem
gura, & proportione partium. E conuer
o quæ augentur per meram appositionem
ion habent talia organa. Licet enim in
uibusdam gemmis, ac lapidibus appa-
eat mirabilis quædam partium proportio,
dhuc non videmus in ipsis distincta or-
;ana, quibus alimentum attrahant, diui-
lant, &c. Demum differentia puræ nutri-
ionis ab augmentatione est, quod pura
iutritio ordinatur solum ad reparandas
partes deperditas; augmentatio ordinatur
ıd augendam quantitatem, & magnitu-
linem viuentis.

Ad 1. Plurimum confert ad hoc, vt
ıutritio sit vitalis, quod fiat per intro-
usceptionem. Eo enim ipso fit ità, vt quod
ıutritur, multipliciter moueat seipsum, &
ua organa in partes etiam contrarias se-
cundum opportunitatem obiecti, hoc est
alimenti, mouendo fibras, & filamenta ad
alimentum attrahendum, & diuidendum,
dilatando poros ad introsuscipiendum.
Quod verò nutritur non per introsu-
sceptionem, vt ignis, merè agit in pabu-
um, illud alterando, nec exercet varios
notus suorum organorum secundum op-
portunitatem obiecti, adeòque non viuit.

Ad 2.

Ad 2. Viuentia ità nutriuntur, vt nouæ partes non addantur immediatè omnibus partibus mathematicis, sed solùm omnibuspartibus physicis, & sensibilibus. Deueniendum est enim ad aliquam particulam physicam carnis e. g. cui immediatè addatur aliqua particula nouæ carnis; & quia illa particula physica est diuisibilis in plures particulas mathematicas, tum particulis interioribus illius particulę physicæ nihil additur immediatè, sed solum particulis exterioribus: nec videtur intelligibile, quod nutritio aliter fiat, prę-sertim posita diuisibilitate continui in infinitum, & positis non infinitis, sed innumerabilibus particulis actualibus. Confirmatur, quia vt alimentum adderetur immediatè omnibus particulis mathematicis, deberet alimentum diuidi in omnes particulas mathematicas, quod est naturaliter impossibile.

Ad 3. Probabile, est quod ipsa formalis nutritio, qua alimentum conuertitur in substantiam aliti, sit actus vitalis, quia viuens, dum conuertit alimentum in suam substantiam, formaliter, & per se monet seipsum ad acquirendas nouas particulas carnis, ossis, &c. loco deperditarum. E conuerso ignis dum aggenerat sibi nouũ ignem, addit nouam partem merè per accidens, inquantum materia, quæ de nouo igni-

gnitur, inuenitur localiter propinqua ;gni, cum si non esset propinqua, sed di- :ontinuata, eodem pacto illam igniret ; rgo per accidens est, quod ignis gene- ans ignem, addat illum sibi ; non est au- :m actus vitalis, quo aliquid mouet se- sum solum per accidens.

Ad 4. Verum est quod Aristoteles do- et, potentiam nutritiuam non suscipere)mnum, seu cessationem à sua operatio- e. Sicut enim calor vitalis sine inter- iissione agit in humidum radicale, hoc ?t in substantiam humidam iam anima- m, illud absumendo, sic potentia nutri- ua sine intermissione agit in humidum utrimentale, hoc est in sanguinem, & lias partes humidas nondum animatas, aulatim illas concoquendo, & conuer- :ndo in suam substantiam. Existimo ta- ıen, quod licet actio alteratiua alimenti t continua, ac non interrupta, actio ta- ıen, qua formaliter in materiam ali- ıenti introducitur forma substantialis liti, fit interrupta, & discreta. Ratio est, uia vt dictum est q.41. phys. in resp. ad onum, substantia naturaliter incipit in- :insecè per primum esse in instanti indi- isibili ; sed post instans non sequitur im- ediatè aliud instans, sed tempus diui- sile ; ergo nouæ partes substantiæ ità roducuntur, vt post vnam partem mediet tempus,

tempus, in quo noua pars materię per alterationem disponitur ad formam substantialem, & in instanti terminatiuo talis alterationis incipit noua pars, & sic de aliis, ac proinde forma substantialis introducitur discretè. Alteratio tamen ex opposita ratione est continua, & sine interruptione. Dum opponitur, quia non semper adest alimentum, nego. Nam humidum nutrimentale consistens in sanguine, & alijs humoribus, quod humidum est alimentum magis proximum, semper adest. Videtur etiam, quod in intestinis, & in ventriculo semper remaneat aliquod alimentum non ita proximum mediatè conuertibile in substantiam viuentis. Si verò desit tale alimentum, potentia vitalis abutitur tanquam alimento partibus viuentibus, illas concoquendo, sicut si quis vtatur digitis tanquam alimento illos comedendo, vt aliquoties accidit. Ad exempla animalium, & hominum, qui diu abstinuerunt à cibo, dico, quod adhuc lentissimè nutriebantur, paulatim calore lentissimo absumendo alimentum, quod erat residuum. Confirmatur, quia serpentes, glires, & quędam alia animalia, quæ diu viuunt sine cibo, sunt frigidissima, & humidissima; ergo non est mirum, quod diu alantur succo suo, lentissimè illum absumendo per debilissimum calorem natu-

naturalem. Ex eadem ratione oritur, vt fæminæ, vtpotè frigidiores, & humidiores diutius possint vitam conseruare sine cibo, quam viri calidiores, & sicciores. Morbus etiam, quem Galenus appellat cessationem à nutritione, non consistit in omnimoda cessatione, sed in nutritione quadam tardissima. Ad instantiam seminum plantarum, quæ non nutriuntur, dico, quod si viuunt, nutriuntur lentissimè, & insensibiliter succo suo, donec absumpto toto humido nutrimētali, exsiccantur, & moriuntur.

Ad 5. Certum est ex Aristotele 2. de Anima, tex. 45 & 1. de gener. tex. 39. quod alimentum nutrit, inquantum est potentia caro, siue inquantum est conuertibile in carnem; ergo est conuertibile in substantiam aliti; ergo non adhibetur solùm vt fomentum; & in hoc conueniunt cum Aristotele Philosophi, Medici, ac Theologi communiter. Confirmatur, quia plus carnis animatæ inest viro, quam infanti; sed illa caro non potuit fieri, nisi alimentum verè conuerteretur in substantiam aliti; ergo alimentum conuertitur in substantiam aliti. Confirmatur, quia videmus, quod ex cibis hauriuntur mores, atque habilitates operandi. Ità refert Iustinus lib. 44. infantem quendam feris expositum, & ceruæ lacte educatum,

ceruorum deinde pernicitatem adæquasse. Quoad mores multa afferuntur exempla à Conimbric. 1. de gener. c. 4. q. 25. ex Gellio, Plutarco, & Plinio, & apud quosdã populos infantes, quia nutriuntur lacte ferino, hauriunt etiam mores ferinos. Dum opponitur, quia paulatim viuens amitteret totam suam substantiam, saltem ex partè materiæ, respondeo ex dictis q. 9. ph. quod semper remanent partes quædam magis præcipuæ acceptæ in prima generatione, quæ habent maiorem vim resistendi calori naturali.

Ad 6. Partes deperditæ per nutritionem reparantur secũdum quantitatem, & molem, non autem secundum virtutem, quia partes acquisitæ per nutritionem non habent tantam virtutem vitalem, quantam habuerunt partes productæ per generationem. Hinc est, vt sicut vinum, cui admiscetur aqua, licet illam conuertat in vinum, & mole crescat, decrescit tamen virtute, donec omninò corrumpatur; sic substantia viuens, cui admiscetur alimentum, licet illud conuertat in suam substantiam, & crescat mole, tamen decrescit virtute, donec demum corrumpatur. Porrò exemplum vini adducitur ab Aristotele 1. de gener. tex. 88. & à D. Th. 1. par. q. 119. ar. 1. ad 4.

Ad 7. Aristoteles cum Peripateticis docet

docet alimentum proximum animalis esse sanguinem; Medici dicunt esse secundas humiditates. Sed conciliari possunt. Nam Aristoteles docens alimentum proximum esse sanguinem, loquitur de sanguine, vel alio humido substantiæ sanguineæ, & proportionalis sanguini; & quia etiam secundæ humiditates sunt sanguis quidam vltimo purificatus, & concoctus, ideò comprehenduntur nomine sanguinis. Cæterum etiam pituita est nutrimentum aliquarum partium, vt dictum est suprà; Arist. 3. de hist. cap. 5. asserit neruos nutriri humore albido, & glutiuoso; 2. de partibus, c. 6. affirmat ossa nutriri medulla; lien nutritur etiam atra bile; probabile est, quod aliquid chyli conuertatur immediatè in substantiam ventriculi. Hinc patet non esse idem omninò alimentum proximum omnium partium, sed vnamquamque partem nutriri alimento sibi proportionato. Vnaquæque enim pars trahit partem alimenti sibi proportionatam: e.g. ossa trahunt partes magis terreas, & siccas, caro magis humidas &c. Ex quo patet etiam ad dubium, in quo quærebatur, quo pacto vnicum alimentũ conuerti possit in partes adeò diuersas. Dicendum est enim, quod in alimento datur magna quædam heterogeneitas partium, vt explicatum est.

QVAESTIO XVI.

Vtrum augmentatio vitalis conuenienter definiatur.

VIdetur, quod augmentatio vitalis non conuenienter definiatur *aggeneratio nouæ substantiæ quantæ, vt quanta est facta ex alimento introsuscepto virtute formæ ad acquirendam debitam magnitudinem*: 1. quia, si augmentatio esset aggeneratio nouæ substantiæ, esset mutatio substantialis; sed ab Aristotele alteratio, & augmentatio recensentur inter mutationes merè accidentales; ergo; &c.

2. Si ad augmentationem vitalem sufficeret, vt fieret per introsusceptionem alimenti, sequeretur, quod multi lapides, e. g. adamas, chrystallus, &c. augmentarentur vitaliter, hoc est per introsusceptionem alimenti, adeòque viuerent vitam vegetatiuam; sed non viuunt; ergo. Probatur sequela; ea crescunt per introsusceptionem alimenti, quę crescunt, seruata eadem figura, & proportione partium; sed multi ladides crescunt hoc pacto; chrystallus enim, & adamas crescũt, seruata semper figura exagona, & pyramidali, & cũ eadem proportione partiũ; ergo &c.

3. Se-

3. Sequeretur, quod augmentatio non differret ſpecie à nutritione. Si enim ſpecie differret, maximè per hoc, quod per augmentationem plus acquiritur nouæ ſubſtantię, quam amittatur; per nutritionem non acquiritur plus; ſed hoc diſcrimen non ſufficit ad inducendam differentiam ſpecificam; ergo &c. Probatur minor; nam nutritio,qua flamma lucernę creſcit, non differt ſpecie à nutritione, qua non creſcit; ergo &c. Confirmatur, quia ſaltem potentia nutritiua non differret ſpecie ab augmentatiua, ſed eadem potentia inquantum eſt ità fortis, vt poſſit plus nouæ ſubſtantiæ aggenerare,quam deperdatur, vocaretur augmentatiua, præſcindendo ab hoc, vocaretur purè nutritiua.

4. Differentia nutritionis ab augmentatione ex parte cauſę efficientis videtur eſſe, quia cum in pueris, & adoleſcentibus, virtus nutritiua ſit maior, plus alimenti conuertunt in ſuam ſubſtantiam, quam deperdant, ideòque creſcunt; ſed augmentatio non poteſt oriri ex maiori virtute nutritiua; ergo &c. Probatur minor;nā pueri,& adoleſcentes tēpore morbi ſolent magis creſcere, quam tempore ſanitatis; ſed tempore morbi virtus nutritiua nō eſt maior,& fortior,ſed minor,& debilior, quā tempore ſanitatis;ergo &c.



5. Non poteſt explicari, cur homines creſcant tanto tempore, & non plus; cur poſt certum tempus incipiant decreſcere. ergo non conuenienter explicatur augmentatio vitalis.

Reſp. optimam eſſe definitionem, qua augmentatio *definitur aggeneratio nouæ ſubſtantiæ quantæ, vt quanta eſt, ex alimento introſuſcepto virtute formæ ad acquirendam debitam magnitudinem*. Ratio eſt, quia primo explicat quatuor cauſas augmentationis; materialem, quæ eſt alimentum, formalem, quæ eſt forma ſubſtantialis introducta in materiam alimenti; efficientem, quæ eſt virtus formæ, & eius organa, ac inſtrumenta; & finalem, quæ eſt acquiſitio debitæ magnitudinis. Secundo explicat genus, quo augmentatio vitalis conuenit cum non vitali, quod genus eſt aggeneratio, & differentiam, qua diſconuenit, quæ eſt modus aggenerandi per introſuſceptionem alimenti, ac demum differentiam, qua augmentatio differt à nutritione, quæ eſt ex parte termini, quod per augmentationem plus nouæ ſubſtantię acquiritur, quam deperdatur per actionem caloris; per nutritionem non plus acquiritur; ex parte finis differentia eſt, quod aggeneratio ordinatur ad augendam molem, nutritio ſolùm ad conſeruandam; ex parte agentis, quod aggeneratio

oritur

oritur ex virtute maiori, ideòque potente non solùm restaurare partes deperditas, sed plus etiam reparare, quam fuerit deperditum.

Ad 1. Augmentatio inquantum transmutat alimentum in substantiam aliti est mutatio substantialis; inquantum verò transmutando alimentum, addit quantitati aliti nouam quantitatem, est mutatio accidentalis; ab Aristotele verò recensetur inter mutationes accidentales, inquantum sumitur in secundo sensu.

Ad 2. Non omnia, quæ crescunt, seruata eadem figura, crescunt per introsusceptionem alimenti, sed possunt seruare eandem figuram, vel ratione materiæ, vel ex eo, quod forma postulet talem figuram determinatam. Ità contingit in adamante, & alijs lapidibus adductis in argumento. Et confirmatur, quia non habent organa ad trahendum, concoquendum, & distribuendum alimentum per omnes partes; ergo non habent corpora organica; ergo nec animam, quæ est actus corporis organici; ergo non viuunt. Crescunt igitur solùm per meram aggenerationem, quæ distinguitur ab accretione in hoc, quod accretio est, per quam aliquid augetur, addendo illi partem ante existentem, eo pacto, quo aqua crescit, addendo illi nouam aquam ante existentem; agge-

neratio verò est, per quam res crescit, addendo illi partes non ante existentes; eo pacto, quo ignis crescit comburendo.

Ad 3. Augmentatio, & nutritio differunt specie, saltem impropriè, & ratione finis. Operatio enim, quæ per se ordinatur ad finem augendi, est augmentatio; operatio, quæ nõ ordinatur non ad finem augendi, sed conseruandi, est mera nutritio; at in igne operationes augendi, vel conseruandi ignem, non differunt specie in hoc sensu, quia non ordinantur per se ad finem augendi, vel conseruandi, sed solùm ad finem producendi ignem; per accidens verò est propter propinquitatem localem, vt ignis productus continuetur cum igne producente, & per hoc ipsum conseruet, aut augeat. Addo potentiam, nutritiuam, & augmentatiuam esse vnam potentiam, quę per ordinem ad varias operationes sumit varia nomina. In quantum enim ordinatur ad operationem perfectiorem augendi viuens, vocatur augmentatiua; inquantum ordinatur ad operationem purè reparandi partes deperditas, vocatur nutritiua.

Ad 4. Ex eo, quod pueri, & adolescentes tempore morbi, licet virtus nutritiua sit debilior, magis crescant, respondeo id accidere, quia pueri crescunt pręcipuè per hoc, quod ossa crescant, & exten-

tendantur ; tempore verò morbi, cum non possint ità perfectè concoquere alimentum, vt sit conuertibile in carnem, & in alias partes magis nobiles, magnam partem alimenti conuertunt in ossa, & partes magis terreas, ideòque ossa extenduntur, & iuuenes crescunt. Confirmatur, quia alimentum nimis exsiccatum non est aptum, vt conuertatur in carnem, & alias partes molliores, quæ requirunt alimentum humidius, ac mollius ; sed tempore morbi propter calorem febris alimentum nimis exsiccatur ; ergo non disponitur aptè ad nutriendas carnes; ergo à virtute nutritiua conuertitur in ossa, quæ proinde extenduntur, ità vt iuuenes secundum longitudinem crescant.

Ad 5. Ratio, cur homines crescant secundum lognitudinem solùm vsque ad certum tempus, hoc est vsque ad 22. annum, est, quia ad incrementum secundum longitudinem requiritur, vt ossa possint extendi per introsusceptionem alimenti. In pueris, & adolescentibus, cum adhuc ossa sint teneriora, & humidiora, per introsusceptionem alimenti possunt dilatari, & extendi; at post annum 22, aut 23. iam ossa sunt ità indurata, & exsiccata, vt non possint amplius extendi, ac dilatari, ideòque iuuenes post illam ætatem non crescunt secundum longitudinem, sed solùm

:cundum latitudinem, quia ad tale in-
rementũ non requiritur, vt crescant ossa,
:d sufficit, vt augeatur caro, & alię par-
:t molliores ossibus. Ratio, cur homines
ı senectute incipiant decrescere, est,
uia virtus nutritiua minuitur ità, vt non
ossit tantùm reparare, quantum absumi-
ur à calore.

QVAESTIO XVII.

Vtrum proprium viuentium sit generare simile, & generari à simili.

VIdetur non esse proprium viuentium: 1. quia omnia corpora corruptibilia habent vim, vt multiplicent se in specie, in quantum possunt, idque videtur manifestissimum in igne, qui curat, vt omnia conuertat in ignem; ergo &c.

2. Si esset proprium viuentium generare sibi simile, omnia viuentia deberent participare hanc proprietatem; sed multa, ac præsertim spontè nascentia non generant sibi simile; ergo &c.

3. Si dicatur, quod est proprium viuentium, quæ generantur ex semine, generare sibi simile, & est proprium eorum,

quæ

quæ non generantur ex ſemine, ſed naſcuntur ſpontè, non generare ſibi ſimile, contrà eſt, quia vtrumque videtur eſſe vniuerſaliter falſum. Nam quædam animalia naſcuntur ex ſemine, & non generant ſibi ſimile, vt muli; è conuerſo quędam naſcuntur ex putri, & tamen producunt ſibi ſimile per ſemen, vt patet multis experientijs.

4. Videtur, quod nullius viuentis proprium ſit generari à ſimili, ſed quod omnia viuentia, etiam homines poſſint ſpontè naſci ex terra, vt docuit Plato, & ex Democrito, & Epicuro, Lucretius: Auicennas etiam lib. 15. de animalibus, cap. 1. videtur ſentire, quod ſi deficeret tota ſpecies humana, poſſet nouus homo oriri ſpontè; & aliqui reiecti à Lactantio lib. 2. c. 12. exiſtimabant ſub certis cœli conuerſionibus poſſe homines, & animalia generari ex ſemine genitali ex cœlo delapſo in quibuſdam vteris, quos habet terra. Probari autem poteſt, tum quià non eſt maior ratio, vt quædam viuentia ſub certis cęli conuerſionibus ſpontè naſcantur, homines autem, & equi &c. ſpontè naſci non poſſint; tum quia etiam in Inſulis in medio Oceano inueniuntur Leones, Lupi, & aliæ feræ ſylueſtres; ſed poſt diluuium non potuerunt illuc natare per immenſitatem oceani, nec eſt veriſimile,

quod homines susceperint curam nauibus deportandi ad tales insulas feras syluestres; ergo spontè sunt ortę ex terra talium insularum.

5. Videtur ex opposito ità esse propriũ omnium viuentium generari à simili, & à causa vniuoca per semen, vt omnia nascantur hoc pacto, vt indicat Aristoteles in pluribus locis, quos congerunt Fortunius Lycetus,& Sennertus. Certum est enim, vt docet Sennertus hyponeumate 5. c.2. multa,quæ communiter censentur spontè nasci, generari à causa vniuoca per semen: e.g. ficus, quæ videtur sponte nasci in pariete vetusto, nascitur ex semine ficus ibi relicto à ficedula, vel alia aue, quę comedit ficum, & deinde reliquit aliquam partem seminalem illius in pariete, idemque dic de pluribus alijs; sed hoc posito, probabile, est, quod semper generationes viuentium fiant hoc pacto ex seminibus delatis à vento, à pluuijs,vel ab initio terrę immistis à Deo; ergo &c.

6. Virtus generatiua data est viuentibus solùm ad finem conseruandi speciem; sed ad hunc finem non confert, vt simile producat dissimile; ergo simile non potest generari à dissimili; ergo licet apparenter ex animalibus nascantur plantæ, verè tamen illę plantæ nascuntur ex proprio semine,

mine: e. g. hedera virens, quæ vt refert Aristoteles lib. 9. de historia animalium, cernebatur adnata cornibus cuiusdam Cerui, nata fuerat ex proprio semine hederæ, quod casu adhæserat cornibus adhuc tenellis cerui; ergo à fortiori cum animalia videntur nasci ex plantis, e. g. vermes ex fructibus, verè generantur ex seminibus proprijs talium animalium latentibus intrà arbores, fructus, & alia vegetabilia. Vtcunque enim possit sustineri, quod viuentia perfectiora, cum non possunt generare effectum vniuocum, & æquè perfectum, generent minus perfectum, tamen non potest sustineri, quod viuentia imperfectiora, cuiusmodi sunt plantæ, generent per se, vel per accidens vermes, & alia animalia perfectiora plantis.

7. Videtur saltem, quod licet vnum viuens possit oriri ex alio viuente, etiam diuersæ speciei, perfectiore, vel imperfectiore, tamen non possit viuens oriri ex aliquo, quod neque sit viuens, neque cadauer viuẽtis. Vermes enim nascuntur ex cadaueribus; fungi licet videantur spontè oriri ex terra, probabile est, quod nascantur ex herbis putrefactis, vt putat Sennertus hyponeumate 5 cap. 6; ergo videtur saltẽ cunctis viuentibus conuenire, vt generẽtur à simili, saltem in genere viuentis.

Resp.

Resp. quod aliud est quęrere, vtrum operatio generandi sibi simile conueniat solis viuentibus; aliud est quærere, vtrum conueniat omnibus viuentibus. Quoad primum, dicendum primo, quod sicut solis viuentibus conuenit per virtutem nutritiuam, & augmentatiuam mouere vitaliter aliquam sui partem, nimirum humidum nutrimentale ad formam eandem numero, ad conseruandum, & augendum indiuiduum, ità solis viuentibus conuenit per virtutem generatiuam mouere vitaliter aliquam partem sui humidi nutrimentalis ad formam similem in specie, formando semen, aut ouum, vel aliud proportionale ad conseruandam, & augendam speciem. Per hoc autem viuentia consequuntur non solùm, vt æternent speciem, sed etiam vt æternent aliquam partem suæ substantię, dum generant sibi simile ex aliqua parte suæ substantiæ. Est autem mirabilis, quędam proportio inter virtutem nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Sicut enim viuentia ab initio per nutritionem non solùm conseruant proprium indiuiduum, sed etiam augent, deindè verò cum peruenerint ad statum consistentiæ, conseruant solùm, & non augent; sic ab initio mundi homines, & cętera animalia creata à Deo in singulis binarijs ex masculo, & fęmina, per virtu-

virtutem generatiuam non solùm conseruabant, sed mirum in modum augebant, ac multiplicabant speciem; deindè verò, postquam mundus repletus est hominibus, & animalibus, veluti in statu quodam consistentiæ, non amplius augent speciem, sed solùm conseruant, ità vt æquali tempore totidem penè nascantur de nouo, quot moriuntur. Nec solùm id accidit in vniuerso, sed etiam in locis particularibus. Si enim in aliquam syluam quædam feræ de nouo immittantur, ab initio multiplicantur mirabiliter, deinde cessantes, à multiplicatione, conseruant se in eodem penè numero.

Dicendum secundo, quod hæc proprietas generãdi sibi simile in specie quomodocumque, ità conuenit viuentibus, vt saltem non sit communis vlli misto inanimato. Probatur; nam neque lapis generat lapidem, nec adamas adamantem, & sic de reliquis; ergo videtur inductione constare, quod nullum mistum inanimatum generat sibi simile. Propter hanc inductionem Alchimistæ, qui putant metalla habere vim generatiuam similium metallorum, existimant consequenter cũ Paracelso metalla viuere.

Addo, quod hæc proprietas generandi simile, nec etiam videtur conuenire elementis, si vnicum ignem excipias. Nam vide-

videmus, quod nec terra generat terram, nec aqua aquam, nec aer aerem, sed horum generationes fiunt à causis æquiuocis. De igne videtur, quod non tam habeat vim determinatam generandi sibi simile, quam sit instrumentum vniuersale omnium generationum, & corruptionum. Ignis enim agit per calorem, tanquam per propriam virtutem; sed calor est virtus vniuersalis concurrens ad omnes, vel ferè omnes generationes; ergo ignis agit per virtutem ordinatam vniuersaliter ad omnes generationes. Et ratio est, quia ignis est supremus in genere corporum simplicium inferiorum; sed supremum infimi attingit infimum snpremi; ergo ignis debet habere naturam valdè affiné corporibus simplicibus superioribus, & cælestibus, quibus etiam localiter coniungitur; sed natura corporum cælestium est, vt sint causæ vniuersaliter mouentes ad omnes generationes, & corruptiones secundum dispositiones materiæ, ac diuersum modum, quo applicantur ipsa corpora cælestia; ergo etiam ignis debuit habere hanc naturam, vt per calorem moueat materiam ad omnes generationes, & corruptiones iuxtà varias dispositiones materiæ, & iuxtà diuersum modum, quo applicatur ignis. Hinc est, vt sicut cęlum est instrumentum Intelligentię, quæ per motum,

motum, & applicationem cæli facit omnes effectus naturales; sic ignis sit præcipuum instrumentum artis humanæ, quæ per applicationem ignis facit plura mista artificialia; ergo probabile est, quod ità sit proprium viuentium generare sibi simile, vt nullum non viuens habeat virtutem specialiter ordinatam ad generandum sibi simile. Idcircò Aristoteles 2. de Anima, tex. 34. docet, quod generare sibi simile est naturalissimum opus viuentium.

Quoad alterum sensum quæstionis, an operatio generandi sibi simile conueniat omnibus viuentibus, dicendum cum Aristotele, quod non omnibus, sed solis viuentibus perfectis, vt patere potest inductione. Rationem affert Arist. ex bono, & conueniente 2. de gener. animal. c. 1. & sensus est. Entia superiora, & cælestia vtpote incorruptibilia, & immortalia habent esse quoddam immortale, perpetuum, & aliqualiteer Diuinum; ergo conantur etiam, vt rebus inferioribus communicent esse immortale, & perpetuum; non possunt illis dare esse perpetuum secundum indiuiduum; ergo communicant esse perpetuum secundum speciem; sed aliqua entia superiora non solùm habent esse perpetuum, sed etiam vitam perpetuam; ergo conantur communicare inferiori-

rioribus vitam perpetuam, adeòque conantur perpetuare corpora viuentia; sed Intelligentię non solùm habent esse perpetuum, sed habent perpetuitatem ratione suæ perfectionis; ergo conantur dare inferioribus vim obtinendi vitam perpetuam ratione suæ perfectionis; sed si generent sibi simile, perpetuabunt vitam in specie ratione suę perfectionis; ergo entia superiora, & cęlestia dant perfectioribus viuentibus hanc perfectionem producendi sibi simile, vt perpetuent suã vitam in specie.

Dicendum 2. Viuentibus perfectioribus conuenit etiam, vt non possint generari, nisi à simili. Patet inductione. Nam homo, qui est perfectissimus inter corpora viuentia, non generatur nisi ab homine; equus non generatur nisi ab æquo; ergo &c. Ratio à priori est, quia perfectissimis corporum communicari debet illa perfectio vitæ diuinę, vt aliqualiter existant vi sua; non possunt existere vi sui indiuidui, cum indiuiduum vtpotè productum sit ab alio productum, & nullo pacto à se ipso; ergo debent existere vi alterius indiuidui similis in specie; ergo debent non posse produci nisi generatione vniuoca à simili in specie.

Ad 1. Iam dictum est, quod est proprium viuentium, generare sibi simile

ex

ex aliqua particula proprię substantiæ. Ideò generatio propria viuentiū defini tur *origo viuentis à viuente, principio coniuncto in similitudinē naturæ*: ly *principio coniuncto*, significat, quod generatum debe generari saltem ex parte generantis. V verò hæc definitio conueniat soli gene rationi, per quam generatur filius, debe addi, vel subintelligi, *origo viuentis à viuente, & cognoscentis à cognoscente*. Plant enim dum ex semine coniuncto produ cunt simile, non generant filium. Hęc de finitio conuenit generationi Verbi Diui ni, quia Pater viuens, & cognoscens, pro ducit filium viuentem, & cognoscentem, non ex parte, sed ex tota sua substantia, quam totam communicat filio, productio ne ordinata ad assimilandum Verbum si bi. Productio Spiritus Sancti non est ge neratio, quia non est ad assimilandum, vt explicatum est q. 2. log.

Ad 2. Proprietas generandi sibi simi le non conuenit viuentibus omnibus, sed viuentibus perfectis, vt explicatum est.

Ad 3. Omnia, quæ nascuntur ex simili in specie, habent vim generandi aliud si mile, nisi sint mutila, alioquin non acci perent à generante naturam similem in specie, si generans esset fęcundum, gene ratum verò per se esset sterile. Potest ta men contingere, vt per accidens geni

tum

tum sit sterile, sicut potest per accidens ex vidente nasci filius cæcus. At non omnia, quæ nascuntur ex semine per generationem non perfectè vniuocam, habent vim generatiuam, vt patet in mulis. Rationem verò, cur muli sint steriles, affert ex professo Aristoteles lib. 2. de gener. animal. in fine. Addo, quod etiam aliqua, quæ spontè nascuntur ex materia putri, habent vim generandi sibi simile, vt patet pluribus experientijs.

Ad 4. Certum est inductione non omnia animalia spontè oriri ex terra. Nunquam enim scimus hominem, aut equum sponte natum, eo pacto quo ranæ, ac mures spontè nascuntur. Ratio à priori potest desumi ex gradibus viuentium perfectioribus, & perfectioribus. Quædam enim habent hanc perfectionem, vt debeant esse virtute suæ speciei, vt aliqualiter imitentur diuinam perfectionem essendi à se. Et confirmatur, quia talia animalia propter suam perfectionem non posſũt produci nisi per causas, atq; instrumenta specialiter adaptata ad ipsorum generationem, quale instrumentum est semen vniuocum. Argumentum desumptum ex paritate murium, & aliorũ, quæ spontè nascuntur sub certis cæli conuersionibus, non valet. Nam ex eo, quod aliqua viuentia non perueniant ad hunc gradum per-

perfectionis, vt debeant produci à simili, non sequitur , quod nec alia perueniant, immò sequitur , quod aliqua debeant habere hanc perfectionem, vt dentur in rerum natura plures gradus perfectionum . Ad argumentum ex eo , quod in Insulis longissimè distantibus à continente inuētę sint feræ syluestrcs , respondet S. Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei , cap. 7. non esse incredibile, quod fuerint illuc nauibus delatæ à primis hominibus , qui ad eas insulas incolendas nauigarunt , studio venandi . Addit etiam potuisse ex dispositione Diuinæ Prouidentiæ illuc aduehi ministerio Angelorum ad hunc finem, vt etiam tales insulę habitarentur à multiplici genere animalium, sicut reliquæ terrę .

Ad 5. Aristoteles dum dicit omnia animalia generari quodammodo à simili, loquitur de similitudine generica , non in specie infima, sed in aliquo genere innominato, eo pacto, quo muli nascuntur ex equo, & asino . Dum opponitur , quia multa , quæ videntur spontè nasci , nascuntur ex seminibus productis à causa vniuoca ; ergo idem possumus dicere de reliquis; nego consequentiam . Compertissimum enim est pluribus experientijs multa nasci ex causis ęquiuocis .

Ad 6. Virtus generatiua data est viuētibus,

bus, præsertim perfectis ad hunc finem rimarium, vt conseruent speciem, ità men, vt non excludantur alij fines seundarij. Porrò inter alios fines secunarios est etiam hic, vt cum per accidens equeunt producere simile in specie, proucant quod possunt, eo pacto, quo cum omo non potest generare hominem perectum, generat monstrum. Licet igitur nultæ generationes, quæ videntur proceere à causa æquiuoca, procedant ab vnioca, tamen certum est, quod multę proedunt à causa æquiuoca. Dum viuentia erfectiora oriũtur ex imperfectioribus, . g. animalia ex plantis, probabile est, quod oriantur ex imperfectioribus, tanquam ex pura materia priuata, causa verò efficiens sit cęlum per influentias. Corpora enim cœlestia mouent materiã ad perfectionem inquantum possunt; & quia materia pomi putrefacti est proximè priuata forma vermis, & ad illam propinquissima, ideò cælum per influentias mouet materiam pomi putrefacti ad formam vermis, & generat vermem. Idem dic de generatione ranę, & aliorũ similium. Non igitur plantæ effectiuè generant animalia, sed cælum.

Ad 7. Probabile est, quod viuentia possint oriri ex materia, quę neque sit viuens, neque sit cadauer viuentis. Ratio

tio est, quia sicut cælum potest mouere materiam plantarum ad formam animaliũ, sic potest mouere materiã inanimatã ad formam viuentẽ. Adde, quod sicut formę sunt ità ordinatæ, & connexæ, vt elementa possint moueri ad formam perfectiorem mistorum, & plantæ ad formam animalium; sic aliqua mista inanimata debent posse moueri à cęlo ad formam viuentem, ità vt materia sub quibusdam formis inanimatis sit proximè priuata, & propinqua animæ tum vegetatiuę, tum sensitiuæ. Confirmat Ioannes Baptista à Porta experientia à se facta. Cum enim ex profundissimis ędium fundamentis terram eruisset, & eam exposuisset sub dio in locis editissimis, ad quę non possent deferri semina, paucis post diebus variæ herbæ solo Neapolitano familiares ortæ sunt; ergo licet sępissimè viuentia oriantur ex cadaueribus aliorum viuentium, aliquando tamen nascuntur ex corporibus, quæ ità sunt inanimata, vt nec sint partes cadauericę viuentium.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum conuenienter assignentur causæ Generationis.

Videtur 1. quod inconuenienter assignetur causa materialis generationis,

nis, seu materia, ex qua generatur viuens, v. g. animal, aut planta. Duplex enim materia debet explicari, proxima, ex qua immediatè fit animal, aut planta, quæ materia solet esse semen; & remota, ex qua fit ipsum semen; sed neutra explicatur; ergo &c.

2. Videtur, quod nec conuenienter assignetur causa efficiens tum principalis, tum instrumentalis, nec conuenienter explicetur causa formalis, seu forma seminis. Videtur enim, quod semen sit animatum, & eius forma sit anima; si enim semen esset inanimatum, non esset aptum instrumentum ad generandum fœtum animatum.

3. Videtur, quod nec explicetur, an potentia generatiua sit eadem cum nutritiua, vel non. Videtur enim, quod per eandem virtutem, qua potest viuens generare partes sui indiuidui, materiam animando, possit etiam generare indiuiduum sibi simile in specie, animando materiam anima simili.

Resp. quod 1. explicanda est formatio seminis, ac deinde in solutione argumentorum explicandæ sunt breuiter causę generationis, relinquendo Medicis accuratiorem earum assignationem. Formatio seminis est proportionalis formationi, qua ex cibo formatur chylus in vētriculo,

lo, ex chylo formatur ſanguis in hepate. Sicut enim chylus eſt materia, ex qua in hepate fit ſanguis, ità puriſſimę partes ſanguinis, qui eſt vltimum alimentum animalis, ſunt materia, ex qua magis illam concoquendo, formatur ſemen; & ſicut chylus per venas lacteas trahitur ab hepate, quod eſt inſtrumentum ordinatum ad ſecundam concoctionem, ità pars puriſſima ſanguinis per quoſdam meatus trahitur à teſtibus, qui ſunt inſtrumentum ordinatum ad ſanguinem magis concoquendum, ac formandum ſemen. Hinc patet, in quo ſenſu materia ſeminis dicatur eſſe excrementum vltimi alimenti, hoc eſt ſanguinis. Neque enim materia ſeminis eſt excrementum inutile, vt fæces, & alia, quę expelluntur; neque eſt excrementum vtile quidem, ſed degenerans à perfectione ſanguinis, vt pituita, flaua, & atra bilis, &c. ſed eſt pars puriſſima, & perfectiſſima ſanguinis: quarè eſt ſanguinis excrementum non ſecundũ qualitatem, cum habeat perfectionem ſanguinis, ſed ſecundum quantitatem, cum ſit pars puriſſima ſanguinis, quæ ſecernitur à natura ad ſpeciem generandã, quia animal illa non indiget ad nutriendum, atque augmentandum indiuiduum. Animal igitur alimentum vltimum, hoc eſt ſanguinem per virtutem nutritiuam,

& augmentatiuam conuertit in ſubſtantiã ſui indiuidui; quod ſupereſt ex vltimo alimento, ità vt illo non indigeat ad ſe nutriendum, & augendum, ſecernit, vt per virtutem generatiuam conuertat primo in ſemen, deinde in ſubſtantiam geniti ſimilis in ſpecie. Idcircò ſemen acutè definitur à Galeno; *ſuperfluum neceſſarium*; eſt enim ſuperfluum indiuiduo, ſed neceſſarium ad ſpeciem. Hinc redditur ratio, cur pueri non producant ſemen. Prima enim ætate, quia non ſolùm nutriuntur, ſed maximè augmentantur, totum alimentum vtile conuertunt in ſubſtantiam ſui indiuidui, ac proinde nullum excrementum ſupereſt, quod conuertatur in ſemen ad propagandam ſpeciem. Iam reliquiæ vltimi, & puriſſimi alimenti, hoc eſt ſanguinis, cum magna etiam copia ſpirituum trahuntur ab organis formationi ſeminis deſtinatis, atque ipſorum virtute magis concoquuntur, & perficiuntur, donec formentur in ſemen. Definitur autem ſemen, corpus humidum, ſpumoſum, & album ex reliquijs alimenti vltimi, hoc eſt ſanguinis, & ſpirituum permiſtione elaboratum virtute potentiæ vitalis ad perfectam animalis generationem. Eſt corpus humidum, vt poſſit facilè recipere quamlibet terminationem, & formari in varia membra; eſt ſpumoſum,

sum, & album, quia plurimo calore, ac spiritu abundat, & veluti mare feruens spumat, & albescit; eius humidum est valdè tenax, vt ingentem copiam spirituum possit continere. Datur in semine magna partium heterogeneitas, nec tota seminis massa est vtilis generationi, sed si credimus auctori Tyrocinij Chymicij, sola pars octomillesima ducentesima seminis est vtilis: e.g. non totum granum frumenti est vtile ad generationem frumenti, sed eius pars octomillesima ducentesima, quam fortasse instinctu naturę rodunt formicę, vt granum reddant infæcundum, ne delatum in foueas terrę putrescat, ac germinet. Præcipuè possunt in semine distingui duæ partes, passiua, & actiua. Pars passiua est, quæ est proximè priuata, & apta ad hoc, vt formetur in corpus viuens. Hęc pars passiua est heterogenea; alia enim pars ipsius est apta, vt conuertatur in carnem, alia, vt conuertatur in ossa &c. Pars actiua est, quæ habet virtutem formatricem, per quam potest aliã partem conuertere in corpus viuens, in carnem, ossa &c. Hæc verò pars habens virtutem formatricem solet ab Aristotele vocari spiritus.

Ad 1. Dico, quod materia proximè priuata, ex qua fit semen, est excrementum non inutile, sed vtile vltimi alimen-

& augmentatiuam conuertit in ſubſtan-tiã ſui indiuidui; quod ſupereſt ex vltimo alimento, ità vt illo non indigeat ad ſe nutriendum, & augendum, ſecernit, vt per virtutem generatiuam conuertat primo in ſemen, deinde in ſubſtantiam geniti ſimilis in ſpecie. Idcircò ſemen acutè definitur à Galeno; *ſuperfluum neceſſarium*; eſt enim ſuperfluum indiuiduo, ſed neceſſarium ad ſpeciem. Hinc redditur ratio, cur pueri non producant ſemen. Prima enim ætate, quia non ſolùm nutriuntur, ſed maximè augmentantur, totum alimentum vtile conuertunt in ſubſtantiam ſui indiuidui, ac proinde nullum excrementum ſupereſt, quod conuertatur in ſemen ad propagandam ſpeciem. Iam reliquiæ vltimi, & puriſſimi alimenti, hoc eſt ſanguinis, cum magna etiam copia ſpirituum trahuntur ab organis formationi ſeminis deſtinatis, atque ipſorum virtute magis concoquuntur, & perficiuntur, donec formentur in ſemen. Definitur autem ſemen, corpus humidum, ſpumoſum, & album ex reliquijs alimenti vltimi, hoc eſt ſanguinis, & ſpirituum permiſtione elaboratum virtute potentiæ vitalis ad perfectam animalis generationem. Eſt corpus humidum, vt poſſit facilè recipere quamlibet terminationem, & formari in varia membra; eſt ſpumoſum,

sum, & album, quia plurimo calore, ac spiritu abundat, & veluti mare feruens spumat, & albescit; eius humidum est valdè tenax, vt ingentem copiam spirituum possit continere. Datur in semine magna partium heterogeneitas, nec tota seminis massa est vtilis generationi, sed si credimus auctori Tyrocinij Chymicij, sola pars octomillesima ducentesima seminis est vtilis: e.g. non totum granum frumenti est vtile ad generationem frumenti, sed eius pars octomillesima ducentesima, quam fortasse instinctu naturę rodunt formicę, vt granum reddant infæcundum, ne delatum in foueas terrę putrescat, ac germinet. Præcipuè possunt in semine distingui duæ partes, passiua, & actiua. Pars passiua est, quæ est proximè priuata, & apta ad hoc, vt formetur in corpus viuens. Hęc pars passiua est heterogenea; alia enim pars ipsius est apta, vt conuertatur in carnem, alia, vt conuertatur in ossa &c. Pars actiua est, quæ habet virtutem formatricem, per quam potest aliã partem conuertere in corpus viuens, in carnem, ossa &c. Hæc verò pars habens virtutem formatricem solet ab Aristotele vocari spiritus.

Ad 1. Dico, quod materia proximè priuata, ex qua fit semen, est excrementum non inutile, sed vtile vltimi alimenti;

ti; materia, ex qua septimo die formatur fętus cum tribus bullis respondentibus cordi, hepati, & cerebro est pars passiua seminis virilis, ac fęminei, supponendo cum Medicis, quod etiam fęminæ habeãt semen. Debet autem fętus fieri ex semine vtriusque parentis, quia debet oriri ex particula substantiæ vtriusque parentis: alioquin non procederet ex vtroque parente tanquam ex principio coniuncto. Ex primo embryone tanquam ex materia procedentibus diebus fit fętus formatus anima purè vegetatiua; tum ex hoc fit fætus formatus anima purè sensitiua imperfecta; ac demum ex embryone formato anima sensitiua imperfecta circà diem 40. fit animal perfectum, homo, vel equus, natura paulatim progrediente per formas non viuentes ad formas viuentes, & per formas viuentes imperfectiores ad formas viuentes perfectiores.

Ad 2. In quo quæritur causa efficiens generationis, dico, quod causa principalis sunt parentes, qui operantur ad assimilandum effectum sibi: causa instrumentalis est semen, quod operatur ad assimilandum effectũ non sibi, sed parentibus à quibus est decisum. Circà alias quæstiones videri possunt Medici. Dum vlterius quæritur causa formalis, seu forma seminis, & vtrum semen sit animatum, respon-

pondeo semen non esse animatum. Cum enim semen concurrat ad generationem purè instrumentaliter, non requiritur, vt sit animatum. Argumenta ex admirabilitate ostendunt, vt dicetur in quæstionibus Physicometaphysicis, q.41. quod opificium animalis præcipuè est opus Diuini intellectus adhibentis instrumenta corporea, eo pacto, quo Pictor adhibet penicillum, faber malleum. Hinc reijcitur sententia Arabum, qui vt refert Auerroes 7. met. comment.31. posuerunt in semine quamdam intelligentiam formatricem, & diuinam, & sententia aliorum, in quam inclinat Galenus lib. de formatione fætus, qui censuerunt, quod in semine operetur anima mundi. Neque enim recurrendum est ad Intelligentiam particularem creatam assistentem soli semini, sed sufficit Intelligentia, quæ mouet corpora cælestia, & est causa vniuersalis inferiorum; nec ponenda est anima mundi, sed dicendum, quod concurrit Deus, qui est intellectus separatus, & non animans vllum corpus.

Ad 3. In quo quęritur, vtrum potentia generatiua sit eadem cum potentia nutritiua, respondeo, quod est eadem proportionaliter, & differt ab illa, sicut potentia perfectior à minus perfecta. Sicut enim datur in ventriculo virtus transmu-

tans alimentum in chylum, datur in hepate virtus transmutans chylum in sanguinem, datur in corde virtus transmutans sanguinem in spiritus vitales, datur in cerebro virtus transmutans spiritus vitales in animales, sic datur in organo instituto ad formandum semen proportionalis virtus transmutatiua sanguinis purissimi, & perfectissimorum spirituum in semen ordinatum ad propagandam speciem. Rursus sicut datur in animali virtus trāsmutatiua vltimi alimenti in substantiam ipsius indiuidui, ità datur in parte determinata animalis virtus transmutatiua residui vltimi alimenti in semen, ex quo fiat aliud simile in specie. Potentia igitur nutritiua, & generatiua differunt subiecto, in quantum potentia generatiua est in parte specialiter instituta ad formationem seminis, potentia nutritiua videtur esse diffusa in toto corpore; differunt opere, inquantum opus potentię nutritiuæ sunt partes eiusdem indiuidui, opus generatiuæ est semen ordinatum ad aliud indiuiduum simile; differunt perfectione, inquantum potentia generatiua est multò perfectior; sed habent quandam identitatem, & conuenientiam proportionalem modo explicato. Posita verò hac proportione, & conuenientia inter istas potentias, an sint dicendæ specie differre,

ferre, necne, est quęstio parui momenti.

Potest quęri, quo pacto distinguantur quatuor potentiæ ministrantes, attractiua, retentiua, expulsiua, & concoctiua. Probabile mihi est, quod potentia concoctiua instrumentalis sit ipse calor vitalis. Videmus enim, quod alimentum concoquitur præcipuè per calorem; at potentia attractiua, retentiua, & expulsiuā est qualitas à calore vitali distincta. Sicut enim magnes trahit ferrum, non per temperamentum primarum qualitatum, sed per aliquam qualitatem distinctam à temperamento, ità animal trahit alimentum, non per calorem, aut temperamentum, sed per qualitatem distinctam à temperamento. Hinc verò potest consequenter inferri, quod eadem qualitas sit virtus instrumentalis trahendi alimentum proficuum, illud idem retinendi, & expellendi excrementa noxia: primo quia magnes per eandem virtutem, per quam trahit ferrum, retinet illud, & expellit partem ferri imbutam opposita virtute; ergo etiā animal per eandem qualitatem, & virtutem attrahit alimentum vtile, retinet illud, & expellit partes inutiles. Secundo, quia per eandem virtutem appetitiuam, qua prosequimur bonum absens, quiescimus in bono vt pręsente, & fugimus à malo opposito; ergo proportio-

naliter per eandem virtutem, per quam animal trahit alimentum absens, retinet illud iam attractum, & coniunctum, & expellit partes inutiles, & contrarias. Ratio à priori est, quia cum quædam operationes sunt inter se ordinatę ordine quodam, ità vt appareat, quod debent oriri ab eadem virtute, tribui debent eidem virtuti; sed operationes attrahendi, retinendi, & expellendi sunt ordinatæ tali ordine, vt explicatum est, præsertim exemplo operationum appetitiuarum; ergo &c. Sed omnes istæ quęstiones, in quibus quęritur numerus, & distinctio virtutum, sunt valdè ancipites, & obscuræ, nec in ijs multum immorandum. Organa tamen trahendi, retinendi, & expellendi solent esse diuersa, vt explicatum est, cum diximus dari diuersa genera filamentorum ad hos fines instituta.



QVAE-

QVAESTIONES

De Anima sensitiua.

Ordo disputandorum.

PRimo quærimus vtrum conuenienter assignentur quinque sensus exteriores. 2. vtrum omnes sensus debeant recipere species impressas 3. vtrum sensus percipiant transitiuè obiectum extrinsecum, & speciem. 4. vtrum conuenienter explicetur obiectum visus, hoc est lumen, & color, & medium, per quod videtur obiectum. 5. vtrum species præsertim visuales sint diuisibiles secundum diuisibilitatem obiecti, ac subiecti. 6. vtrũ conuenienter assignetur organum, in quo fit visio. 7. vtrum conuenienter explicetur obiectum, species, medium, & organum auditus. 8. vtrum conuenienter explicetur obiectum, species, medium, & organum odoratus. 9. vtrum conuenienter assignetur obiectum, species, medium, & organum gustus. 10. vtrum conuenienter assignetur obiectum, species, medium, & organum tactus. 11. vtrum præter sensus externos dentur etiam

hoc ipsum quęritur, vt explicetur, quę diuersitas obiectorum sit sufficiens ad potentias distinguendas.

3. Ideò sonus, & colores constituunt duas potentias diuersas, quia sonus & color habent maximam diuersitatem inter se; sed sensibilia communia, nimirum quantitas, numerus, figura, &c. & sunt per se sensibilia, ac non solùm per accidens, & sunt magis diuersa à colore, quam sonus sit diuersus à colore; ergo etiam sensibilia communia deberent constituere aliquam potentiam sensitiuam diuersam.

4. Omnes reliqui sensus sunt perceptiui vnius tantum contrarietatis, e.g. visus est perceptiuus albi, & nigri, & colorum mediorum; auditus est perceptiuus acuti, & grauis, & sonorum mediorum; gustus est perceptiuus dulcis, & amari, & saporum mediorum; sed tactus est sensus plurium contrarietatum, nimirum calidi, & frigidi, humidi, & sicci; ergo deberent dari plures sensus tactus.

5. Omnes sensus videntur esse quidam tactus magis, aut minus delicatus, saltem gustus videtur esse sensus tactus, cum solùm tangendo gustemus; ergo non sunt quinque sensus, cum gustus non sit sensus diuersus à tactu.

Resp. Quod anima sensitiua, vt dictum

modo magis, aut minus materiali. Sed explicandum, quid sit recipere formas obiectorum modo magis, aut minus materiali. Dico, quod recipere magis materialiter est recipere cum maiori transmutatione obiecti, vel organi; recipere minus materialiter est recipere cum minori transmutatione obiecti, vel organi, vt iam melius patebit. Hoc posito: tot sunt potentiæ sensitiuæ, quot sunt modi magis, aut minus materiales, quibus externa sensibilia possunt mouere sensus; sed quinque sunt tales modi; ergo quinque sunt potentiæ sensitiuæ. Probo min. enumerando tales modos. Primus, & minus materialis est, per quem obiectum ità mouet sensum, vt nec obiectum, nec organum moueri debeat localiter, aut alteratiuè alteratione stricta, & corruptiua, sed purè perfectiua. Hoc modo obiecta visibilia mouent sensum visus. Vt enim visibilia moueant ad videndum, sufficit, vt illuminentur; illuminatio verò est mutatio purè perfectiua, non autem requiritur, vt vel obiectum visibile, vel organum visus per se localiter moueatur, aut alteretur. Secundus modus magis materialis est, per quem vt obiectum moueat sensum prærequiritur motus localis ex parte solius obiecti, sed non prærequiritur alteratio. Hoc pacto obiecta audibilia mo-

mouent auditum. Corpora enim ſonora, vt per ſonum moueant ad audiendum, debent localiter moueri, cum ſonus formari nequeat ſine percuſſione corporis ſonori & ſine motu aeris, per quem ſonus defertur. Tertius modus adhuc materialior eſt, per quem vt obiectum moueat, debet alterari. Hoc pacto obiecta odorata mouent ſenſum odoratus. Corpora enim odorata, vt odorem emittant, debēt alterari, eo modo, quo videmus, quod cum thus caleſit, mittit odorem. Quartus modus eſt, per quem vt obiectum moueat ſenſum, debet alterari organū ſenſus, non quidem qualitate ſenſibili à tali ſenſu, ſed aliqua alia qualitate. Hoc pacto guſtabilia mouent ſenſum guſtum. Vt enim guſtemus ſapores, debet organum guſtus, hoc eſt palatus, aut lingua alterari, non quidem ſapore, ità vt ipſa lingua reddatur amara, vel dulcis, ſed qualitate comitante ſaporem, nimirum humiditate, cum lingua, vel palatus non poſſint guſtare, niſi humectentur à corpore ſapido. Quintus demum, & vltimus, ac maximè materialis modus eſt, quo obiectum mouet ſenſum, alterando organum qualitate ſenſibili per talem ſenſum. Hoc pacto tangibilia mouent ſenſum tactus, ità vt alterent illum qualitate tangibili. Neque enim poteſt tactus ſentire calida,

aut

aut frigida, nisi organum calefiat, aut frigefiat, & alteretur aliqua qualitate tangibili. Hinc patet tactum esse sensum imperfectissimum, & cæteris materialiorem, Secundum esse gustum, Tertium odoratum, Quartum auditum, Quintum ac perfectissimum, minusque materialem esse visum. Ideò oculi sunt nobis magis dilecti, quam cęteri sensus, vt Arist. docet in procem. met.

Ad 1. potentiæ specificantur, & distinguuntur per obiecta, inquantum obiecta conueniunt, aut differunt in hoc, quod est posse mouere sensus secundum varios modos magis, aut minus materiales, vt explicatum est.

Ad 2. Ad distinguendas potentias sensitiuas requiritur diuersitas qualitatum sensibilium in hoc, quod possint mouere modo magis, aut minus materiali, vt explicatum est. Confirmatur autem hæc tota doctrina, quia sicut diuersæ scientiæ constituuntur per diuersum modum abstractionis eleuatioris, & eleuatioris à materia, vt dictum est in logica, ità diuersæ potentiæ cognoscitiuæ constituuntur per hoc, vt sint mobiles modo magis, aut minus materiali; ergo doctrina de distinctione potentiarum, ac scientiarum proportionaliter cohæret.

Ad 3. Sonus, & colores non ideò prę-

cisè constituunt diuersas potentias sensitiuas, quia habent maximam diuersitatē inter se, sed quia differunt in hoc, quod possint per se primo mouere modo magis, aut minus materiali: at sensibilia communia, quæ sunt quinque, nimirum motus, quies, siue vbicatio permanens, numerus, figura, & magnitudo, licet habeant maximam diuersitatem à sensibilibus proprijs, tamen non differunt in hoc, vt per se primo possint mouere modo magis, aut minus materiali; ergo non constituunt diuersam potentiam sensitiuam. Sensibilia igitur propriá sunt qualitates, quę habent vim mouendi sensum primo, & per se: sensibilia verò communia nō mouent sensum primo, & per se, sed ratione sensibilis proprij; e. g. color, & lux primo, & per se mouent oculum ad videndum; at figura nō mouet oculum primo, & per se, sed ratione coloris, ideòque si detur figura non colorata, non mouet oculum. Idem dic de magnitudine, numero, motu, & quiete. Et quia sensibilia communia possunt esse coniuncta cum pluribus sensibilibus proprijs, ideò possunt esse obiecta plurium sensuum: e. g. magnitudo inquantum est colorata, mouet visum, inquantum est calida, aut frigida, mouet tactum, inqnantum est sapida mouet gustum.

Ad

Ad 4. Si plures contrarietates conueniant in hoc, vt possint mouere sensum secundum eundem modum materialitatis, conueniunt etiam in hoc, vt possint spectare ad sensum vnum, saltem genere. Addit S. Tho. 1. par. q. 78. art. 3. ad 3. quod Aristoteles 2. de anima tex. 120. videtur dicere, quod sensus tactus est vnus genere, sed multiplex specie, & propter hoc est perceptiuus diuersarum contrarietatam; non tamen apparet diuersitas specifica tactuum, quia diuersi tactus non separantur organo, sed sunt diffusi *in toto* corpore. Sed de hoc agetur quæst. 28.

Ad 5. Ostensum est in physica q. 4. quod non omnes sensus sunt quidam tactus magis, aut minus delicatus. De gustu dico, quod est sensus specialis, quia mouetur ab obiecto modo minus materiali, quam tactus, vt explicatum est.

QVAESTIO XX.

Vtrum omnes sensus ad sentiendum debeant recipere species impressas.

VIdetur, quod nullus sensus ad sentiendum debeat recipere species impressas

pressas obiecti, sed solùm species expressas. primo, quia ad causandam e. g. visionem sufficit potentia visiua, & ipsum obiectum visibile propositum in distantia proportionata; ergo non requiritur species impressa obiecti visibilis.

2. Si dicatur, quod saltem potentia visiua non potest moueri ad videndum obiectum distans, nisi per aliquid non distans, quod est species, contrà est, quia ad hunc finem mouendi sufficit lumen; ergo non requiritur species impressa distinctà à lumine. Neque dicas, quod lumen non potest determinare, & mouere ad diuersas visiones diuersorum colorum. Nam contrà est, quia lumen per hoc, quod reflectatur, & mittatur ad potentiam à diuersis coloribus, potest determinari ad hoc, vt causet diuersas visiones talium colorum: e g. per hoc, quod reflectatur ab albedine, potest determinari ad causandam visionem albedinis; per hoc, quod reflectatur à nigredine, potest determinari ad causandam visionem nigredinis.

3. Videtur, quod licet species sint necessariȩ in potentia visiua, non sint necessariȩ in potẽtia auditiua, & odoratiua, quȩ non possunt percipere obiectum distans, quod non propagetur per medium. Est enim impossibile, vt percipiamus sonũ, nisi sonus ipse perueniat ad aures; est impos-

impossibile, vt percipiamus odores, nisi exhalationes odoratę perueniant ad organum odoratus; ergo cum tales potentię percipiant sensibile præsens, non indigent speciebus.

Confirmatur primo, quia species sunt veluti vicarię obiecti institutę ad hoc, vt moueant potencias loco obiecti distantis; sed potentia auditiua, & odoratiua non moueentur nisi ab obiecto pręsente, ideòque non statim percipimus sonum editum, sed post aliquã temporis moram, quo tempore perueniat ad aurem; nec statim percipimus odorem, sed post aliquod tempus; ergo.

Confirmatur secundo, quia species cum dantur, propagantur in instanti; ergo si darentur species soni, & odoris, statim peruenirent ad potentiã, sicut statim peruenit lux, & species visibiles; ergo statim perciperemus sonos, & odores; non statim percipimus, vt patet experientia; ergo non dantur species soni, & odoris.

Quarto videtur, quod species non debeant admitti in sensibus gustus, & tactus, qui non possunt percipere, nisi obiecta tangentia, eo pacto, quo gustus non percipit nisi sapores tangentes palatum, tactus non percipit nisi calorem tangentem organum tactus.

Quinto videtur, quod etiamsi admittan-

rantur species in 4. reliquis sensibus, negandæ sint in tactu, tum quia tactus recipit ipsam qualitatem tangibilem, & ipsum calorem; ergo non indiget specie, quę sit vicaria caloris; tum quia species obiectorum contrariorum non sunt contrarię, sed possunt simul recipi in potentia, illamque determinare ad perceptionem obiectorum contrariorum, eo pacto, quo oculus potest simul recipere species albedinis, ac nigredinis, ac determinari simul ad visionem albi, & nigri; sed tactus non potest simul percipere obiecta contraria, e. g. calorem, & frigus intensum; ergo non dantur species tangibiles: demum, quia, si darentur species tangibiles, statim, ac approximamus manum igni calidissimo, sentiremus vehementissimum calorem; species siquidem illius caloris vehementissimi statim producerentur in manu; sed non statim percipimus vehementem calorem, sed post aliquod tempus; ergo percipimus calorem, non per species caloris, sed per ipsum calorem, ideoque sicut calor non producitur in instanti, sed successiuè in organo tactus, ità non mouet in instanti, sed successiuè ad sensationem sui vehementiorem, & vehementiorem.

Resp. Quod in pluribus potentijs cognoscitiuis est omninò manifestum, quod præ-

præter species expressas, hoc est actuales cognitiones obiectorum, dantur etiam species impressæ, hoc est formæ quædam repræsentatiuæ ipsorum obiectorum, & causatiuæ cognitionis. Experimur enim, quod recordamur obiectorum præteritorum; sed non possemus recordari talium obiectorum, nisi reliquissent in potentia memoratiua aliquas formas repræsentatiuas talium obiectorum; ergo. Conf: quia sæpè in somnijs videntur nobis presentia obiecta, que verè non sunt præsentia; sed non possemus formare imaginationes talium obiectorum, nisi darentur in anima nostra aliquæ imagines, & similitudines ipsorum; ergo dantur in anima species obiectorum repræsentatiue. Conf. 2. quia qui addidicit aliquam demonstrationem, potest cum voluerit rursus formare eandem demonstrationem; sed non posset nisi haberet aliquam speciem, & imaginem repræsentatiuam talis obiecti; ergo. Addo, quod est pariter manifestum, quod in sensu visus dantur species visibiles. Primo, quia percipimus obiecta distantissima; sed obiecta distantissima non possunt per se ipsa mouere ad visionem sui; ergo mittunt ad potentiam visiuam speciem, per quam moueant. Secundo, quia si opponatur aliquod impedimentum, hoc est aliquod corpus opacum inter obiectum visi-

isibile, & potentiam, eo ipso impeditur à visione talis obiecti; sed hæc impeditio non aliundè potest oriri, quam ex eo, quod corpus opacum oppositum impedit transmissionem speciei; ergo datur transmissio specierum visibilium. Tertio, quia in speculo videmus nos ipsos; sed hoc non aliundè potest oriri, nisi quia ex nobis egreditur aliqua imago nostri, quæ à speculo reflectitur, ac remittitur ad oculos nostros; ergo ex rebus egrediuntur tales imagines, ac species visibiles. Licet tamen sit vniuersaliter manifestum, quod dantur aliquę species, non est tamen ità manifestum, quod omnes sensus ad percipienda obiecta indigeant speciebus. Dicendum tamen, quod vniuersaliter in omnibus sensibus requiruntur species. Probatur, quia vt potentia cognoscitiua cognscat obiectum, debet cum obiecto coniungi modo proportionato ad efficiendam, & causandam cognitionem obiecti; sed modus coniunctionis, per quem potentia sensitiua coniungitur proportionatè cum obiecto, non est, vt recipiat obiectum secundum esse materiale, & crassum ipsius obiecti, sed vt recipiat obiectum secundum quoddam esse minus materiale, ac magis purum, & subtile, quod est esse speciei impressæ; ergo. Minor probatur: nam vt oculus videat, non de-

debet coniungi obiecto visibili secundum esse materiale, & crassum obiecti, imò si oculus coniungeretur coloribus visibilibus materialiter, ità vt dealbaretur e. g. eo ipso impediretur à videndo, & etiam obcęcaretur. Debet igitur oculus coniungi obiecto, ità vt recipiat formam ipsius secundum esse quoddam magis purum, ac spirituale, recipiens purissimam speciē obiecti visibilis; ergo etiam vt alij sensus percipiant sua obiecta, debent illis coniungi ità, vt non recipiant secundum esse materiale talium obiectorum, sed secundum esse magis purum speciei impressæ. Conf. quia in vnoquoque genere perfectissimum solet esse notissimum, & causa cognoscendi cætera minus perfecta, minusque nota, eo pacto, quo motus localis, qui est perfectissimus in genere motus, est notissimus, ac per eius naturā cognoscuntur cæteri motus; sed sensus visus est primus, & perfectissimus in genere sensus; ergo per ipsum possumus venire in cognitionem cæterorum sensuum, & præcipuè ex eo, quod sensus visus ad videndum debet recipere suum sensibile, hoc est colores non secundum esse materiale colorum, sed secundum aliud esse magis purum, ac minus materiale, debemus arguere, quod etiam cæteri sensus ad sentiendum debent recipere obiecta sen-

sensibilia non secundum suum esse mate riale, sed secundum aliud esse magis pu rum, ac minus materiale, quod est es speciei intentionalis. Hinc est princip S.Th. & aliorum Peripateticorum desum ptum ex Aristotele, quod omnes poten tiæ cognoscitiuę cōstituuntur in actu pri mo proximo ad cognoscendum per ele uationem à materia, hoc est per receptio nem alicuius formæ minus materialis, qu forma est species impressa. Hinc etiam est principium desumptum ex eodem Ari stotele, quod sensibile positum supra sen sorium non causat sensationem, e.g. quod color positus in potentia visiua non caus visionem, eo quod potentia ad sentiend debeat recipere sensibile non secundum esse materiale, sed secundum esse inten tionale speciei. Docet autem Caiet. quod hoc principium est fundamentum totiu scientiæ de anima cognoscitiua.

Ad 1. Ad causandā visionem nō suffici potentia visiua, & obiectum propositum in proportionata distantia, sed requiri tur, vt obiectum visibile coniungatur po tentiæ, eo pacto, quo ad causandum fi lium no[illegible]fficit Mater, & Pater, sed re quiritur, vt Mater recipiat semen, quod est virtus Patris; ità potentia recipit spe ciem quę est virtus obiecti ordinata ad hoc, vt faciat vnum cum potentia visiua

ad

ad causandum obiectum in potentia secundum esse intentionale.

Ad 2. Dum dicimus, quod ad videndum requiritur species impressa obiecti visibilis, prescindimus à quæstione inferius examinanda, vtrum species visibiles distinguantur à lumine, vel sint ipsum lumen reflexum.

Ad 3. Species requiruntur etiam in alijs sensibus ex illa vniuersali ratione, quod sensibilia debent coniungi sensibus secundum esse magis immateriale speciei. Species igitur non solum sunt vicarię obiecti; ad supplendam distantiam, sed etiã ad supplendam materialitatem, propter quam obiecta sensibilia non sunt apta ad mouendos sensus per se ipsa. Ad id, quod additur, quod non statim percipimus sonos, dico rationem esse, quia species soni non propagantur, nisi per medium localiter motum, eo pacto, quo species colorum non propagantur nisi per mediũ illuminatum; sed motus aëris fit successiuè, & in tempore; ergo etiam propagatio specierum audibilium, vt melius etiã explicabitur in respon. ad 5.

Ad 4. Patet ex dictis.

Ad 5. Licet tactus ipsam qualitatem tangibilem recipiat secundum esse reale; adhuc debet eandem recipere etiam secundum esse intentionale, ac purius, pe

quod eleuetur à materia, & moueatur a sentiendum. Dum opponitur, quia species contrariorum non sunt contrariæ distinguo; species secundum se præcis non sunt contrariæ, concedo; specie non sunt contrariæ ratione alicuius adiuncti, nego; & nego consequentiam. Species caloris,& frigoris non sunt contrariæ ratione sui, sed sunt contrariæ ratione alicuius adiuncti. Nec enim pos sunt in organo produci species caloris quin organum calefiat, nec species frigoris; quin organum frigefiat; sed non potest organum calefieri simul, & frigefieri propter contrarietatẽ caloris, & frigoris: ergo non potest simul recipere species mouentes ad sentiendum calorem & frigus. Hinc etiam respondetur ad vltimam instantiam,quod species producantur in instanti; distinguo enim antecedens; species debent produci in instanti nisi earum productio sit adiuncta alicu mutationi successiuæ, concedo; si sit adiuncta mutationi successiuæ, nego. Dico quod productio, vel saltem motio specie comitatur actionem caloris, aut frigoris Quia igitur organum tactus non calefit, nec frigefit in instanti, sed successiuè,ideò species tangibiles causantur, vel saltem mouent successiuè. Vt hæc melius intelligantur, & vt ponantur principia vni-
uer-

uerſalia in hac materia, ſciendum, quod in omnibus ſenſibus tria ſunt conſideranda; ſenſibile quod mouet, ſenſus qui mouetur, & medium interceptum inter ſenſum, & ſenſibile, per quod ſenſibile mouet ſenſum: e. g. in viſu datur obiectum viſibile mouens ad videndum, ſenſus viſus, qui mouetur ad videndum, & mediū, per quod viſibile mouet viſum, quod medium eſt corpus diaphanum, & tranſparens, vt aer, aut aqua, vel vitrum. Idem dic proportionaliter de cæteris ſenſibus. Differunt tamen duo ſenſus craſſiores, & magis materiales, nimirum tactus, & guſtus à tribus reliquis in hoc, quod mediū trium priorum ſenſuum non eſt pars ſentientis, ſed eſt corpus à ſentiente ſeparatum; at medium duorum poſteriorum eſt coniunctum, ac pars ſentientis. Ità medium, per quod viſibile mouet viſum, eſt corpus diaphanum, e. g. aqua, vel aer, vel vitrum, quæ non ſunt pars videntis; idem dic de auditu, & odoratu. At guſtabilia, & tangibilia mouent per mediū coniunctum, & quod ſit pars ſentientis, nimirum per carnem, vel aliud huiuſmodi, de quo inferius determinandum. Iam nullum ſenſibile poteſt mouere ſenſum, niſi medium moueatur, aut immutetur aliqua mutatione præuia requiſita ad hoc, vt conſtituatur in potentia proxima ad

recipiendam speciem sensibilem. Ità non possunt colores mouere visum, nisi medium, hoc est corpus diaphanum illuminetur, & per lucem constituatur proximè potens recipere species coloris. Similiter non dotest sonus mouere auditũ, nisi aer medius moueatur aliquo motu locali, & per motum constituatur potens recipere sonum, & speciem audibilem; non potest odor mouere odoratum, nisi medium alteretur aliqua alteratione; non potest gustabile mouere sensum gustus, nisi medium coniunctum humectetur; ac demum non potest tangibile mouere tactum, nisi medium coniunctum tangibiliter alteretur. Cum accidit, quod medium non in instanti, sed successiuè mouetur mutatione præuia, etiam sensus mouetur ad sentiendum non in instanti, sed successiuè. Ità cum aer successiuè illuminatur, potentia visiua successiuè format visionem colorum, prius videns illos imperfectè, cum medium est imperfectè illuminatum, deinde perfectius, & perfectius, cum medium magis, ac magis illuminatur. In casu nostro sicut vt colores moueant visum, medium debet illuminari, ità vt tangibilia, e.g. calor moueat tactum, medium coniunctum debet alterari, ac calefieri; sed medium coniunctum alteratur, & calefit successiuè, ac pau-

paulatim; ergo tactus successiuè, ac paulatim format tactionem. Hinc potest obiter colligi, quo pacto sit ordinanda tractatio de sensibus. Cum enim ad sentiendum requiratur obiectum sensibile; medium, per quod species transmittit; species, quibus mouet ad sentiendum; dispositio medij ad hoc, vt recipiat species sensibiles; organum sensus; & pars illa præcipua organi, in qua recipitur, ac formatur sensatio, & ipse actus sentiendi, qui est finis, ad quem ordinatur potentia, & organum, debent hæc ordinatim explicari in vnoquoque sensu, agendo primo de obiecto sensibili; secundo de medio, per quod mouet; tertio de dispositione medij; quarto de specie, per quam mouet; quinto de organo sensus; sexto de parte ogani, in qua recipitur, ac formatur sensatio; septimo demum de ipsamet sensatione.

QVAESTIO XXI.

Vtrum sensus percipiat transitiuè obiectum extrinsecum, & speciem.

PRimo videtur vera sententia aliquorum recentiorum, qui dixerunt sensus

ſus externos non percipere tranſitiuè vllum obiectum, ſed percipere obiectum ſolum intranſitiuè, inquantum recipiunt ab obiectis quaſdam paſſiones, ex quibus potentiæ interiores per diſcurſum veniũt in cognitionem obiectorum cauſantium talem paſſionem: e.g. potentia viſiua non percipit colorem, & lucem, ſed ſolum recipit à colore, & luce quandam paſſionem, quam vocamus viſionem, quam paſſionem experimur in oculo per potentias internas, & ex ea venimus in cognitionem obiecti cauſantis talem paſſionẽ, quod idcirco vocamus obiectum viſibile, hoc eſt cauſatiuum illius paſſionis, quam experimur in oculo; videtur inquam vera hęc ſententia, quia ſenſibilia communia percipimus ſolum intranſitiuè; ſed non habemus diuerſam experientiam de ſenſibilibus communibus, ac de proprijs; ergo etiam ſenſibilia propria percipimus merè intranſitiuè.

2. Videtur, quod ſenſus nihil aliud percipiant tranſitiuè, quam ſpeciem obiecti. Non poſſunt enim percipere, niſi id, quod eſt ſenſibus præſens; ſed ſola ſpecies impreſſa eſt præſens ſenſibus; ergo percipiunt ſolam ſpeciem impreſſam, ac non tam percipiunt obiectum, quam imaginem intentionalem obiecti.

3. Videtur vera ſententia aliorum recen-

centiorum quam etiam sequitur Arriaga; quod non sola obiecta extrinseca, sed etiam species intentionales obiectorum percipi possint transitiuè à sensibus. Cum enim aliquis se videt in speculo, non videt se ipsum, sed aliquam imaginem sui; sed hęc imago non potest aliud esse, quā species intentionales receptæ in speculo; ergo; &c. Confirmatur ex quadam experientia pulcherrima, quam primo aduertit Ioan. Baptista à Porta, quæ talis est. Si cubiculum ità occludatur, vt vel nulla, vel valde exigua lux possit ingredi, in fenestra autem lignea aperiatur exiguum foramen, cuius diameter non excedat crassitiem digiti minimi, per tale foramen ingredietur lux, & simul cum luce species, seu imagines rerum constitutarum ante foramen, pręsertim si à Sole illuminentur: e.g. si ante foramen sit constitutum palatium, ingredientur imagines talis palatij cum suis fenestris, &c. & si aliqui homines maneant in fenestris palatij, ingrediuntur imagines talium hominum. Patebit id manifestè, si foramini obijciatur cartha munda in distantia trium, vel quatuor palmorum. Videbuntur enim in charta descriptæ imagines rerum exteriorum; e.g. videbitur veluti penicillo delineatum palatium oppositum fenestræ. Apparent tamen omnia

descripta situ inuerso ; dextra enim apparant in parte sinistra chartæ, sinistra apparent in parte dextra, inferiora apparent in parte superiori, & superiora in parte inferiori. Posita hac experientia, videmus in charta imagines rerum exteriorum ; sed tales imagines non possunt esse aliud, quàm species à rebus emissæ ; ergo oculus videt species visibiles ; ergo etiam species sensibiles aliorum sensuum sunt sensibiles transitiuè, & non solum intransitiuè.

Resp. ac dico primo contra aliquos recentiores : sensus externi attingunt transitiuè aliquod obiectum. Probatur : experimur, quod per oculos videmus ; sed videre est recipere transitiuè aliquod obiectum visibile; ergo experimur, quod percipimus transitiuè aliquod obiectum visibile ; idem valet de cæteris sensibus ; ergo sensus externi percipiunt transitiuè aliquod obiectum. Confirmatur, quia experimur non solum quod in oculo habemus aliquam passionem, sed etiam quod talis passio est visio, & perceptio obiecti ; e.g. ego experior, quod habeo in oculo visionem, qua aliquid video, in aure auditionem, qua aliquid audio ; ergo experimur, quod habemus in sensibus perceptionem obiecti. Confirmatur quia alioquin sensus non essent potentiæ cogno-

gnoscitiuę; sensationes enim non essent cognitiones: omnis enim cognito est alicuius obiecti transitiuè cogniti cognitio; sed sensationes non essent alicuius obiecti transitiuè cogniti sensationes; ergo, &c.

2. Dico: sensus externi non percipiunt transitiuè speciem, quam recipiunt, sed obiectum extrinsecum. Prob. nam illud obiectum transitiuè percipiunt potentiæ sensitiuę, de quo certificamur immediatè per actus earum; sed per actum, quo video parietem album, & illuminatum, ego non certificor de hoc, quod habeo in oculo aliquam speciem, & imaginem distinctam à visione repręsentatiua parietis albi, & illuminati, sed certificor de hoc, quod paries est albus, & illuminatus; ergo. Min. prob. quia vulgus hominum potius putat se non habere in oculo tales imagines; ergo visio non certificat immediatè de talibus imaginibus, sed ad hoc vt de illis certificemur, indigemus multis discursibus. Conf. quia illud est obiectum transitiuè cognitum per aliquē actum, quod vnusquisque si interrogetur assignat vt obiectum talis actus; sed quicunque videns parietem illuminatum, & album, si interrogetur, quid videat, non respondet se videre imaginem quandam, quam habet in oculo, sed respondet se

videre albedinem, & lucem, quæ eſt in pariete; ergo, &c.

3. Dico: ſenſus viſus poteſt percipere tranſitiuè ſpeciem, non quidem receptam in ſenſu, ſed receptam in ſuperficie corporis opaci terminantis viſum: alij ſenſus probabilius eſt, quod non poſſint tranſitiuè percipere ſpeciem, ſed ſolum tranſitiuè percipiant obiectum ſenſibile. Prob. prima pars ex allata experientia chartæ In eo enim caſu non videmus palatium vel alia obiecta exiſtentia extrà feneſtram; ergo videmus imagines talium obiectorum deſcriptas in charta; ſed tales imagines non poſſunt eſſe aliud, quam ſpecies obiectorum exteriorum propagatæ per aerem, qui eſt corpus diaphanum, & terminatæ in ſuperficie chartæ, quæ charta eſt corpus opacum; ergo ſenſus viſus poteſt videre ſpecies terminatas in ſuperficie corporis opaci. Quod non videamus ſpeciem receptam in oculo, ſed in charta, patet experientia. Non enim videmus imaginem vt deſcriptam in oculo, ſed vt deſcriptam in charta. Demum quod alij ſenſus non poſſint videre ſpecies, probatur, tum quia nulla experientia oſtendit, quod percipimus ſpecies per alios ſenſus, tum à priori, quia viſus poteſt percipere lumen terminatum ſuperficie corporis opaci; ſed lumen vel eſt

ſpe-

species, vel est qualitas valde immateria lis, & valde affinis speciei, cum species nihil aliud tandem sit, quam radius quidam debilissimi luminis missus à corpore colorato; ergo non est mirum, si visus sicut potest percipere lumen terminatum, sic possit etiam percipere radium speciei terminatum. At alij sensus transitiuè percipiunt solum qualitates valdè materiales; ergo non possunt percipere radios specierum, quæ sunt multo minus materiales. Licet autem visus percipiat species terminatas, tamen vt formet de ipsis visionem distinctam, debent tales species non obtundi lumine vehementiore. Sicut enim tenue lumen lucernæ non videtur distinctè, si obtundatur clarissimo lumine Solis meridiani, sic radij tenuissimi specierum videri non possunt, si obtundantur claro lumine Solis, ideòque tales imagines non aduertuntur nisi in cubiculis subobscuris. Si verò quæratur ratio, propter quam imago in charta videtur situ inuerso, respondeo rationem esse, quia species propagantur secundum lineas, & radios rectos, qui proinde cum transeunt per exiguum foramen, necessario decussantur, ità vt radij procedentes à partibus dextris obiecti extrinseci fenestræ terminentur ad partem sinistram chartæ; radij procedentes à parte sinistra obiecti, terminen-

ır ad partem dexteram chartæ ; radi rocedentes à parte superiori, terminen ur ad partem inferiorem chartæ ; radı rocedentes à parte inferiori, terminen ur ad superiorem ; ergo necessariò debe mago describi situ inuerso.

Ad 1. Transeat antecedens, & neg consequentiam. Licet enim per actus co gnoscendi percipiamus aliqua obiecta solum intransitiuè, tamen necessario debe mus percipere aliquod obiectum transiti uè, cum omnis cognitio sit alicuius obie cti directè, & transitiuè cogniti cognitio

Ad 2. Distinguo maiorem; solum co gnoscimus obiectum sensibus presens in tentionaliter per ipsam cognitionem, vel speciem impressam, concedo ; solum cognoscimus obiectum presens realiter nego. Per potentias cognoscitiuas co gnoscimus obiectum præsens intentiona liter, imo damus ipsi præsentiam intentio nalem per ipsum actum cognoscendi, & cognoscimus obiectum etiam realiter di stans à potentia cognoscitiua.

Ad 3. Concedo, quod per potentiã visi uam possimus transitiuè percipere etiam species visibiles terminatas, vt dictum est. Puto tamen, quod in speculo non videamus transitiuè species, & imagine obiecti, sed videamus reflexè ipsummet obiectum. Ratio est, tum quia species obie

cti

cti videri non possunt, si obtundantur magno lumine; videmus vero res in speculo valdè illuminato; tum quia species descriptas in aliqua superficie corporis opaci videmus ex omnibus lateribus, vt patet in experientia chartæ; in speculo verò videmus obiecta solum in situ determinato, & sub angulo determinato iuxta regulas reflexionis; tum demum quia in charta videmus imagines rerum vt descriptas in superficie chartæ, at in speculo non videmus imagines vt descriptas in superficie speculi, sed videmus res repræsentatas tanquam existentes in alio situ distante à superficie speculi; ergo licet in charta videamus species, & imagines rerum, in speculo non videmus species, & imagines, sed videmus ipsas res, eo quod species à speculo reflexæ causent visionem rei.

QVAESTIO XXII.

Vtrum conuenienter explicetur obiectum, & medium visus, hoc est lumen, color, & diaphanum.

Videtur, quod non sint conuenientes definitiones, quibus ab Aristotele des-

definitur lumen, & color, dicendo, quod *lumen est actus perspicui, vt perspicuum est; color est motiuum perspicui in actu*, vel est *perspicui extremitas in corpore determinato*, quia tales definitiones sunt obscurissimę.

Secundo videtur vera sententia Arabum, quam sequuti sunt plures Auctores antiqui, & recentiores, quod color non sit qualitas distincta à luce. Videmus enim, quod in Iride ex eo, quod lux diuersimodè reflectatur à corpore opaco, formentur diuersi colores; ergo vniuersim omnes colores consistere possunt in luce diuersimodè reflexa à corporibus opacis.

3. Videtur, quod lumen non sit qualitas, realis, & eiusdem rationis, ac lux ingenita corpori luminoso, vt Soli, & igni, sed sit qualitas intentionalis. Lux enim ingenita corpori lucido habet vim se propagandi, ac diffundendi sphęricè, & in omnes partes; sed lumen receptum in subiecto extraneo, e. g. in aere non habet vim se propagandi sphæricè, & in omnes partes, sed solum in vnam partem secundum directionem, quam habet à lucido principali, vt patet pluribus experientijs; ergo lumen est diuersæ rationis à luce, & non est qualitas realis, sed purè intentionalis, cum solæ species intentionales habeant hanc specialem directionem in vnam partem. Confirmatur, quia eodem

eodem pacto, quo species reflectuntur, & refranguntur, reflectitur, & refrangitur etiam lumen; ergo lumen nihil est aliud quam species lucis ingenitæ corpori lucido. Confirmatur vlterius, quia lux ingenita Soli e. g. mittit ad oculum aliquam speciem, per quam possit videri; sed talis species est ipse radius luminis à Sole per aerem, vel aliud corpus diaphanum ad oculum pertingens, ac causans visionem lucis existentis in Sole; ergo lumen est species corporis naturaliter lucidi; sed species est qualitas intentionalis; ergo lumen est qualitas intentionalis.

Quarto videtur impossibile, quod corpus opacum recipiat lumen in sua superficie. Si enim reciperet in superficie, reciperet etiam in profunditate. Sicut enim superficies corporis terminat profunditatem corporis, sic superficies luminis terminat aliquam profunditatem luminis; sed lumen non potest recipi in profunditate corporis opaci; eo enim ipso tale corpus esset diaphanum; ergo lumen nec recipitur in superficie corporis opaci; ergo cum videmus parietem illuminatum, lumen illud non recipitur in superficie parietis, sed in superficie aeris diaphani, quæ superficies est simul cum superficie parietis, ideoque potest constituere parietem illuminatum, non per hoc, quod recipiat lumen

men in sua superficie, sed per hoc, quod superficies parietis sit simul, & penetratiuè cum superficie aeris, quę superficies est illuminata per luminis receptionem.

Quinto videtur, quod lumen non requiratur ex parte medij ad videndum quodlibet obiectum visibile. Nam in fundo etiam putei profundissimi, & obscurissimi videmus stellas; sed talis fundus non est illuminatus vlla luce; ergo ad videndũ non requiritur, vt medium sit illuminatũ.

Respondeo, quod expeditis ijs, quę spectant ad sensum in communi, de singulis est in particulari disputandum, & primo de visu, explicando in hac quęst: eius obiectum, medium, & dispositionem medij, duabus verò quęstionibus sequentibus, species, organum, partem organi, in qua formatur visio, & visionem ipsam. Obiectum visus est color, & lumen; medium est corpus diaphanum; dispositio medij est, vt sit illuminatum. Vt hæc declarentur, primo proponendæ sunt Aristotelicę definitiones coloris, luminis, ac diaphani, ac ex ijs quędam inferenda, per quę eorum natura intimè penetretur, ac pręsertim explicandus ordo visibilium: discrimen, tum inter colorem, & lumen, tum inter colores permanentes, ac transeuntes, tum inter varios colores permanentes. Secundo examinandum,

vtrum

vtrum lumen sit qualitas eiusdem rationis, ac lux ingenita, & vtrum sit qualitas realis, vel intentionalis. Tertio vtrum recipiatur solum in corpore diaphano, vel in opaco. Quarto vtrum requiratur ad videndum ex parte obiecti, vel ex parte medij.

Color, & lux conueniunt in genere visibilis. Vt definiatur visibile, debet prius explicari, quid sit diaphanum, quid opacum. Diaphanum, seu perspicuum, & transparẽs perfectè est, quod si interponatur inter potentiam visiuam, & obiectum visibile, non terminat visum, neque impedit visionem visibilis, sed per illud visibile videtur. Ità aer præsertim purus est diaphanus, quia cum aer interponitur inter potentiam visiuam, & visibile, aer non terminat visionem, neque videtur, sed per aerem videtur obiectum visibile. Opacum perfectè, seu terminatũ est, quod terminat visum, & si interponatur inter potentiam visiuam, & aliud obiectum visibile, impedit ne videatur tale obiectum; e. g. ferrum est corpus opacum, seu terminatum, quia terminat visionem, & si interponatur inter potentiam, & alia obiecta visibilia, impedit ne videantur. Præter corpora perfectè opaca, & perfectè diaphana, dantur etiam corpora opaca, & diaphana secundum quid, & imperfectè,

fectè, quę visionem aliqualiter terminant, & aliqualiter transmittunt, vt aqua, vitrum, & alia huiusmodi. Ex his, quæ constant experientia, infertur descriptio visibilis explicans eius subiectũ, & medium. Visibile est, quod si recipiatur, vel terminetur in corpore opaco, mediet autem corpus diaphanum, potest mouere potentiam visiuam ad visionem sui.

Diuiditur visibile in lucidum, sublucidum, & purè coloratum. Lucidum est, quod potest mouere ad visionem sui, reddendo medium perspicuum actu, hoc est tale, vt per ipsum videri possint etiam alia visibilia. Huiusmodi sunt Sol, Ignis, &c. Nam ità mouent ad visionem sui, vt reddant medium, e.g. aerem perspicuum actu; per aerem siquidem illnminatum videri possunt etiam colores, & cętera visibilia. Hinc patet diaphanum posse esse perspicuum vel actu, vel solum potentia. Est actu perspicuum, cum est illuminatum: cum verò est tenebrosum, est perspicuum solum potentia, quia colores non possunt videri per medium tenebrosum. Sublucidum est, quod potest mouere ad visionem sui per medium non perspicuum actu, saltem perfectè, nec potest reddere medium perfectè perspicuum actu. Huiusmodi sunt ligna putrida; oculi aliquorum animalium, ac præsertim felium, & alia,

alia, quæ videntur in tenebris. Mouent enim ad videndum per medium non perfectè perspicuum, & non possunt illud reddere perspicuum, hoc est tale, vt possint per illud videri, ac discerni colores. Demum purè coloratum est, quod potest mouere ad visionem solum per medium perfectè perspicuum, nec potest illud reddere perspicuum actu. Huiusmodi sunt quæ videri non possunt, nisi per medium illuminatum. Tota hæc doctrina desumpta est ex Aristotele 2. de Anima tex. 66. & sequentibus, & ex S. Thoma in Comm. & continetur in Aristotelicis definitionibus luminis, & coloris, quę definitiones sunt: *Lumen est actus perspicui, vt perspicuum est: Color est motiuum perspicui in actu.* Sensus est: lumen est illud visibile, per quod tanquam per proprium actum diaphanum redditur actu perspicuum, hoc est tale, vt per illud possint etiam videri alia visibilia. Color est illud visibile, quod non potest mouere sensum, nisi per medium iam actu perspicuum, nec potest illud reddere perspicuum actu. In idem recidit altera definitio, qua color definitur *extremitas perspicui in corpore terminato.* Sensus enim est, quod color est visibile existens in corpore terminato, & opaco non potens mouere visum, nisi sit in extremitate perspicui actu. Ex hac doctrina

potest

poteſt inferri 1. ordo viſibilium. Alia viſibilia comparantur ad lucem, ſicut viſibile imperfectum ad perfectum, & ſicut lux quædam imperfecta, & deficiens ad lucem perfectam. Lux eſt viſibile perfectum, quia non ſolum poteſt mouere ad viſionem ſui, ſed etiam poteſt reddere medium perſpicuum actu, hoc eſt aptum ad hoc, vt per ipſum videantur cętera. Sublucida deficiunt à perfectione lucis, quia non poſſunt reddere medium perſpicuum actu. Magis adhuc deficiunt purè colorata, quia non poſſunt mouere, niſi iuuentur à lumine reddente medium perſpicuum actu. Confirmatur, quia forma perfecta eſt, quæ habet perfectam virtutem diffundendi ſuam ſimilitudinem, ità vt poſſit etiam diſponere medium: forma imperfecta eſt, quæ poteſt diffundere ſuam ſimilitudinem per medium iam diſpoſitum; ſed lux & color comparantur hoc pacto; ergo &c. 2. infertur omnia viſibilia differre per hoc, quod ſint lux pura, vel aliqualiter obſcurata, & obumbrata ex admiſtione fuſcedinis, ſiue opacitatis. Probatur, quia conſtat innumeris experientijs in Iride, in collo columbæ, in vitro trigono &c. quod lumen dum à corpore opaco, per quod tranſit, diuerſimodè obſcuratur, diuerſimodè coloratur; ergo vniuerſim infertur colores, & omnia

viſi-

visibilia consistere in luce diuersimode obscurata ab opacitate corporis. 3. infertur colores ipsos inter se differre in hoc, vt magis, aut minus participent de luce, & sint lux quædam magis, aut minus obscurata. Proportionali enim modo differunt colores permanentes rerum, ac colores transeuntes Iridis &c. sed colores transeuntes Iridis differunt in hoc, quod sint lux diuersimode obscurata; ergo &c. Albedo e.g. pura est lux deficiens, in quã- tum non potest reddere mediũ perspicuum, sed parum obscurata, ideoque simillima puræ luci: nigredo est lux summè obscurata, idest simillima colori noctis. Colores medij sunt lux quędam medio modo obscurata. 4. infertur discrimen inter colores transeuntes, qui etiam vocantur apparentes, quales suut colores Iridis, & permanentes, qui vocantur etiam reales. Dico, quod differunt in duobus. 1. colores permanentes, & veri cõsistunt in luce ingenita ex principijs intrinsecis subiecto, sed obscurata ex eiusdem subiecti opacitate: colores apparentes consistunt non in luce ingenita, sed in lumine aduentitio subiecto, quod lumen aliqualiter obscuretur ab opacitate subiecti: e,g. colores permanentes, & veri, quos videmus in tabula picta, consistunt in luce ingenita subiecto colorato diuersi-

diuersimode obscurata ex varia eiusdem subiecti opacitate; at colores Iridis, & colli columbę consistunt in lumine aduẽtitio, quod nubes rorida, in qua depingitur Iris, & plumæ colli columbę, recipiunt à Sole, quod lumen aliqualiter obscuratur ex opacitate plumarum, ac nubis roridæ. Hinc oritur, vt colores apparentes non dentur nisi in subiecto actu illuminato, colores reales dentur etiam in subiecto non actu illuminato. Oritur rursus, vt colores apparentes varientur, variata luminis reflexione, colores reales non varientur, variata luminis reflexione. Cæterum ex proportionali admistione luminis aduentitij cum opacitate subiecti, oriuntur varij colores apparentes clariores, vel obscuriores, sicut ex admistione lucis ingenitę cum opacitate subiecti oriuntur varij colores reales, vt dictum est. Secunda differentia est, quod colores apparentes consistunt in lumine ità obscurato, vt adhuc retineat perfectionem luminis, per quam possit reddere medium perspicuum actu: colores reales consistunt in luce ità obscurata, vt non retineat perfectionem lucis, per quam possit reddere medium perspicuum actu sed solùm possit mouere per suos radios visuales medium iam perspicuum, & illuminatum. Ità colores Iridis illuminant aerem,

aerem, at colores tabulę pictæ non mouent aerem, nisi aliunde illuminatum. Hinc sequitur, quod coloribus apparentibus non conueniat definitio coloris, sed luminis. Definitio enim coloris est, vt possit mouere medium perspicuum actu, sed non possit medium reddere perspicuũ; definitio luminis est, vt possit reddere medium perspicuum actu; sed colores apparentes possunt reddere medium perspicuum actu; ergo habent definitionem luminis, non autem coloris; ergo sunt verum lumen, & color apparens, inquantum causant visionẽ similem visioni causatæ à coloribus realibus. Hinc patet visum non falli, dum videt colores in Iride, vel collo columbæ. Verè enim videt lumen obscuratum, quod lumen est color apparens. Si vero intellectus propter illam apparentiam iudicat illos colores esse eiusdem rationis, ac colores picturæ, sumit ex visu occasionem errandi, licet visus non erret 5. infertur obiectum visus reduci ad quandam vniuocationem. Est enim obiectum visus lux perfecta, vel imperfecta, cum ipsi colores sint lux quædam imperfecta. 6. patet, quo pacto, tum corpora simplicia, tum corpora mixta per quosdam gradus inter se ordinentur in hoc, quod est, esse lucidum, diaphanum, opacum, & varijs coloribus colora-

loratum. Sicut potentia visiua est perfe-ctissima inter potentia sensitiuas, ità lux quę est primum visibile, est perfectissima inter qualitates sensibiles. Sicut potenti visiua est immaterialior cæteris, ità lux est connaturalis illis corporibus, quæ magis sunt formalia, & actiua. Et quia corpora cœlestia sunt magis formalia, & actiua, quam inferiora, ideò corpora cœlestia sunt perfectissimè lucida. Ex corporibus simplicibus inferioribus, hoc est elementaribus formalius, & propinquius corporibus cœlestibus est ignis, qui idcircò naturaliter est lucidus per lucem debitam illi ex principijs intrinsecis.

Duo elementa media sunt aer, & aqua, quę licet non sint lucida actu, sunt lucida in potentia, cum sint diaphana & luminis receptiua in tota sua profunditate. Vltimum ex elementis, atque omnium materialissimum, & crassissimum est terra, quæ proinde nec est lucida potentia, hoc est diaphana, vt aer, & aqua, sed est penitus opaca, atque exclusiua luminis à sua profunditate. Corpora mixta eatenus sunt magis, aut minus lucida, vel opaca, quatenus magis, aut minus participant de igne, quod est elementum lucidum, de aere, vel aqua, quę sunt elementa diaphana, ac de terra, quod est elementum opacum. Idcircò oculi [illegible]

lium,

lium, quędam ligna putrida, & alia, quæ sunt sublucida, habent illam lucem, inquantum participant de igne; vitrum, & alia mista diaphana, habent illam perspicuitatem, inquantum participant de aqua, vel aere; ferrum, & alia corpora opaca habent illam opacitatem, inquantum participant de terra. Colores oriuntur ex corpore lucido obumbrato, & obscurato per admistionem corporis opaci. Sicut enim ignis aliqualiter obscuratus per admistionem aliorum elementorum constituit corpora sublucida imperfectè lucentia, sic si magis adhuc obscuretur per admistionem corporis opaci, constituit corpora non sublucida, sed merè colorata, in quibus vis mouendi corpus diaphanum ità est debilitata, vt non possint illud mouere per se, sed requirant, vt sit redditum perspicuum antecedenter ab aliquo corpore lucido. Quo verò ignis magis, & magis obscuratur à corpore opaco admisto, eò color est obscurior, & obscurior. Ità color niger est quędā lux maximè obscurata propter magnam opacitatem; color albus est quædam lux parum obscurata propter minorem opacitatem; colores medij sunt lux mediocriter obscurata propter mediam quandam opacitatem. Confirmatur, quia sicut ex mistione caloris, & frigoris, con-

stituuntur corpora diuersimodè temperata, alia calidiora, alia frigidiora secundum varios gradus; ità ex mistione lucis, & opacitatis, constituuntur corpora diuersimodè colorata, alia clariora, alia obscuriora.

Quo ad 2. dubium, in quo quęritur, vtrum lumen aduentitium sit qualitas eiusdem rationis, ac lux ingenita; respondeo, quod est qualitas diuersæ rationis, & aliqualiter degenerans à perfectione, & actiuitate lucis. Probatur, nam lux agit sphæricè, & in omnem partem, lumen verò non agit sphęricè, sed solum in vnam partem; ergo degenerat ab actiuitate lucis; ergo degenerat etiam à perfectione lucis. Dum vlterius quęritur, vtrum lumen sit qualitas realis, vel solum intentionalis, dico, quod participat aliquid de qualitate reali, & intentionali. Probatur, nam inquantum non propagat se sphæricè, sed per vnicam directionem, participat naturam specierum intentionalium; inquantum est qualitas actiua, alteratiua, & calefactiua, participat aliquid de qualitate reali. Ratio à priori potest esse, quia in vnoquoque genere supremum infimi attingit infimum supremi, eo pacto, quo homo, qui est supremus inter substantias corporeas participat aliquid de substantijs incorporeis

cum

cum sit spiritualis secundum Animam; ergo non est mirum, si inter qualitates reales, & intentionales detur lumen participans aliquid de vtrisque: de qualitatibus realibus quidem, inquantum est actiuum, & alteratiuum, sicut qualitates reales; & de qualitatibus intentionalibus, inquantum habet particularem directionem, sicut qualitates intentionales.

Quo ad 3. dubium, in quo quæritur vtrum lumen recipiatur solum in corpore diaphano, an etiam in opaco, probabilis est sentẽtia Caiet. & Tolet. in Comment. 2. de Anima, quod lumen recipiatur etiam in corpore opaco, nec in sola superficie, sed etiam peruadendo aliquid profunditatis. Ratio est, quia nullum corpus est ità opacum, vt non habeat aliquam perspicuitatem, vt patet experientia; nam si diuidatur in laminas tenuissimas, videtur lumen per illas transparens; ergo omne corpus habet aliquam perspicuitatem; sed lumen est actus perspicui; ergo lumẽ potest recipi in corpore opaco, permeando aliquid profunditatis. Corpora igitur opaca sunt, quæ non possunt recipere lumen perfectè, & transmittendo per totam profunditatem, sed terminando, & in ea ipsa particula profunditatis imperfectè recipiendo, & obscurando. Quę verò in minori parte pro-

funditatis lumen recipiunt, & magis imperfectè, sunt magis, ac magis opaca

Quo ad 4. probabilius est, vt docet S Th lumen requiri, non ex parte obiecti colorati sed ex parte medij. Color enim cum sit virtus imperfecta, potest quidem per se ipsum mouere medium dispositum ad recipiendam similitudinem coloris; sed non potest medium disponere; ergo vt medium disponatur, debet reddi perspicuum per lumen; ergo lumen requiritur ex parte medij, non ex parte coloris. Hinc est, vt color per se ipsum sit visibilis, hoc est potens diffundere similitudinem intentionalem sui, ac proinde lumen non requiratur ad constituendum colorem visibilem, & ad dandam illi virtutem diffundendi similitudinem intentionalem sui, sed requiratur in medio, vt reddat illud dispositum ad speciem coloris recipiendam.

Ad 1. Definitiones Aristotelicæ luminis, ac coloris sunt quidem obscuræ, hoc est difficiles intellectu, sed sunt clarissimæ hoc est tales, vt intellectę declarent naturam coloris, ac luminis, vt dictum est alibi de definitionibus motus, ac temporis.

Ad 2. Iam dictum est, quod color sit lux quædam quodammodo obscurata ex admistione corporis opaci, vt docet S Tho-

Thomas cum pluribus aliis Peripat. com muniter. Non tamen id est ità intelligendum, vt colores reales sint lumen aduentitium diuerso modo reflexum, vt docent aliqui, sed vt sit lux quędam ingenita obscurata propter admistionem opacitatis, vt explicatum est.

Ad 3. Iam dictum est, quod lumen est qualitas diuersæ rationis, atque aliqualiter degenerans à luce, & quod participat aliquid de qualitate reali, ac de intentionali. Dicendum igitur, quod lux ingenita corporibus lucidis, e.g. Soli, & igni per radios luminis, tanquam per speciem sui mouet ad videndum, & quod lumen aduentitium terminatum in aliquo corpore opaco per radios reflexos, quos ad oculum mittit, tanquam per speciem mouet ad videndum, ità vt lux, & lumen terminatum in corpore opaco habeant rationem obiecti visibilis; radii luminis recepti in corpore diaphano habeant rationem non solum qualitatis realis, sed etiam speciei mouentis ad visionem lucis vel luminis terminati.

Ad 4. Iam dictum est, quod etiam corpus opacum est aliqualiter diaphanū ideòque recipit lumen in aliqua parte profunditatis, sed ità, vt terminet, ac reflectat, cum corpus diaphanum non terminet, nec reflectat, sed transmittat lumē

Ad 5. Lumen ad videndum requir
ur ex parte medii. Dum opponitur quo
n fundo putei videntur stellæ, dico, quo
etiam ad fundum putei pertingit radiu
luminis emissus, aut reflexus à stellis, qu
radius reddit aerem manentem in fund
putei sufficienter perspicuum actu ad ste
las videndas.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum species sint diuisibiles secundum diuisibilitatem obiecti.

VIdetur quod non, 1. quia si specie, tum expressa, tum impressa esset diuisibilis secundum diuisibilitatem obiecti quot partes actuales essent in obiecto viso, tot essent in specie, ac visione; sed est incredibile, quod quando aliquis videt vnica visione magnam partem cœli, tot sint partes in specie visibili, & in visione, quot sunt in immensa illa cœli parte, quam videt; ergo.

2. Sequeretur, quod nullum esset obiectum ità paruum, quod non propagaret speciem suam in eadem distantia, in qua speciem propagat quodlibet obiectum maximum; consequens est absurdum; ergo

go & id vnde sequitur. Probatur sequela: cum videtur in quacunque distantia obiectum maximum, videntur etiam partes minimę talis obiecti; ergo in quacunque distantia propagantur species obiecti maximi, propagant etiam speciem partes minimę talis obiecti. Confirmatur, quia cum videtur sol, qui est obiectum maximum, videntur etiam minimę partes solis, e.g. digitales, semidigitales, &c. nam si non viderentur partes digitales solis, nec sol videretur, cum sol nihil aliud tandem sit, quam multitudo particularum digitalium.

Respondeo, quod explicanda est triplex diuisibilitas speciei, tum impressę, tum expressæ. Primo explicanda est diuisibilitas intensiua: circa quam dico, species impressas visibiles cum nihil aliud sint, quam radij quidam veluti luminis tenuissimi missi ab obiecto visibili, intendi per gradus, vt dictum est de radijs luminis, quæst. 27. de Gen.. Dico rursus visionem, seu speciem expressam non intendi per gradus, sed per mutationem imperfectioris in magis perfectam, vt dictum est de cæteris actibus vitalibus eadem quęst.

2. Explicanda est diuisibilitas subiectiua; circà quam dico, quod sicut visio, quæ recipitur in vno oculo, diuersa est

numero à visione, quę recipitur in alio oculo, sic pars visionis, quæ recipitur in vna parte eiusdem oculi, diuersa est subiectiuè à parte visionis, quæ recipitur in alia parte oculi, licet vtraque pars videat eadem obiectum. Rursus sicut est eadem anima, quæ videt idem obiectum per visionem receptam in vtroque oculo, sic est eadem anima, quæ videt idem obiectum per plures partes visionis receptas in pluribus partibus eiusdem oculi.

3. Præcipua difficultas est in explicanda diuisibilitate repræsentatiua speciei; circà quam dico, quod sicut singulæ particulæ luminosi etiam minimæ mittunt suos radios luminis, sic singulæ particulę obiecti visibilis etiam minimi mittunt suum radium speciei. Addo, quod nec quilibet radius luminis potest per se solum mouere ad videndum, nec quilibet radius speciei. Explicatur exemplo. Non quilibet minimus impulsus sufficit ad mouendum ingentem lapidem; si tamen impulsus minimi multiplicentur magis, & magis, mouent tandem; sic non quilibet radius luminis, aut speciei sufficit ad mouendum oculum ad visionem obiecti, sed tamen plures, & plures radij mouent tandẽ. Et sicut si mobile sit facile mobile, mouebitur ab impulsu minori, sic si potentia visiua sit valdè perfecta, & facile mobilis

ad

ad vidēdum, mouebitur à radio tenuior
Hinc redditur ratio, cur si à sole auferr
tur reliquæ partes,& relinqueretur sola
pars digitalis e. g. licet illa pars mitter
radium luminis vsque ad nos , non tam
moueret ad videndum , nunc autem il
eadem pars digitalis moueat ad vide
dum vna cum reliquis . Ratio est, quia
radius luminis emissus à tali parte est i
tenuis, vt solus mouere non possit pote
tiam visiuam nostram imperfectam , n
ità facilè mobilem; at si coniungatur cu
alijs, & alijs radijs cæterarum partium
mouet tandem ad visionem, qua viden
omnes, & singulę partes . Si tamen dar
tur potentia visiua perfectior , & facili
mobilis ad actum videndi, videret etia
minima visibilia seorsim in maxima d
stantia. Addo posse etiam explicari , q
pacto plures partes obiecti causent visi
nem , qua non solum videmus illas sec
sim, sed coniunctim, vt facientes vnum
totum, eo pacto , quo non solum videm
plures partes Solis , sed etiam videm
illas , vt facientes vnum Solem . Dic
quod radij missi à pluribus partibus ob
cti, inquantum concurrunt , ac termina
tur in eadem parte oculi,acquirunt vin
repræsentandi non solum singulas part
seorsim , sed etiam vt constituentes vn
totum.

Ad 1. Concedo ex dictis tot esse partes in specie impressa, quot in obiecto, cum vnaquæque particula obiecti mittat suum radium. De visione res est magis dubia, ac probabile mihi est plures radios specierum concurrentes in eadem parte organi posse excitare visionem repræsentantem indiuisibiliter, & per modum vnius plures partes obiecti, ità vt eadem pars visionis e. g. videat totam magnitudinem Solis, & partes talis magnitudinis: immo vt visio videat magnitudinem per modum vnius, videtur necessarium, vt illam attingat per aliquid indiuisibiliter attingens totam magnitudinem.

Ad 2. Transeat, quod in eadem distantia, in qua propagat suas species obiectum maximum, propagat etiam obiectum minimum, quod sit pars obiecti maximi, licet obiectum minimum separatim mouere non possit potentiam visiuam ad videndum. Quod verò multæ species propagentur per totum medium, & ad oculum pertingant, quæ tamen mouere nequeunt ad videndum seorsim, licet si vniantur alijs speciebns, possint mouere per modum vnius, patet experientia; Nam per telescopium videmus multas stellas, & multa obiecta distantissima, quæ sine telescopio videre non possumus;

sed

sed hoc non oritur aliunde, nisi quia in telescopio multæ species dispersæ congregantur, & vniuntur, ità vt coniuncta moueant ad visionem, ad quam dispersa propter suam debilitatem mouere non possent; ergo dantur in medio, & in oculo species plurium obiectorum, quæ propter suam debilitatem non possunt oculum mouere ad videndum.

QVAESTIO XXIV.

An conuenienter assignetur organum, in quo fit visio.

1 VIdetur vera sententia, quæ tribuitur Platoni in Timæo, & quam sequitur Aulus Gellius lib. 5. noctium Attic. Plotinns lib. de visione, & nonnulli ex perspectiuis apud Suar. lib. 3. de anima c. 17. quod visio non fiat intrà oculum per introsusceptionem specierum, ac radiorum visualium repræsentantium obiectum, sed extrà oculum per emissionem quorundam spirituum, & radiorum pertingentium vsque ad obiectum visibile, quibus quasi manibus potentia visiua apprehendat obiectum, & per talesm apprehensionem formet visionem ipsius. Est

enim impossibile, quod oculus videat obiectum distans, nisi ipsum aliqualiter contingat; sed non potest contingere, nisi per spiritus, & radios egredientes ab oculo, & pertingentes vsque ad obiectum; ergo &c. Confirmatur, quia experimur, quod oculi videndo defatigantur, & debilitantur; sed non debilitarentur, nisi ex oculis egrederentur spiritus; ergo visio fit per extramissionem spirituum.

2. Videtur vera sententia Vitellionis & Alberti apud eundem Suar., quod visio fiat in coniunctione quorundam neruorum, qui vocantur optici, ab oculis ad cerebrum pertingentium, qui tandem in vnum coeunt. Si enim visio non fieret in coniunctione taliũ neruorũ, eiusdem obiecti in duplici oculo fieret duplex visio; sed si eiusdem obiecti in duplici oculo fieret duplex visio, obiectum deberet apparere geminatum, eo pacto quo cum idem obiectum videtur in duplici speculo, videtur vt geminum; ergo visio fit in vnica parte communi vtrique oculo; non est alia pars communis, quam coniunctio neruorum opticorum; ergo.

3. Videtur vera sententia Arist & Galeni, quos sequuntur omnes pene philosophi, medici, & perspectiui antiquiores, pluresque recentiores cum Suar. 3. de Anima c. 18. quod visio formetur in pupilla,

pilla, vel humore chrystallino; tum quia in ea parte formatur visio, in qua formatur imago obiecti visibilis; sed imago obiecti formatur in pupilla, ideoque cum quis respicit oculum alterius, videt in eius pupilla paruam imaginem sui; ergo visio formatur in pupilla: tum quia humor chrystallinus propter suam perspicuitatem est aptissimu ad recipiendas species intentionales, & in eius centro concurrunt omnes radij visuales; ergo.

Resp. quod in hac quæst. 1. describendum est aliqualiter organum visus. 2 examinandum, in qua parte organi formetur visio. Quoad 1. Oculus est figuræ globosæ, non tamen perfectè sphæricæ Habuit oculus à natura figuram globosam, tum vt sit facile in hanc, & illam partem volubilis; tum vt plura possit vnico intuitu aspicere, nec solũ videat obiecta, quæ posita sunt è regione aspicientis sed etiam quæ sunt ad latus, cum de facto videamus vnico intuitu plusquam hæmisphærium. Constat oculus vniuersim tribus tunicis, quarum 1. vocatur cornea, 2 vocatur vuea, 3. vocatur tunica retina, seu retiformis; constat etiam tribus humoribus inter has tunicas interceptis quorum 1. vocatur vitreus, 2. aqueus, 3 chrystallinus. Oculus originem habet à cere-

cerebro hoc pacto. Substantia cerebri, quę valde est fluida, munitur, ac regitur duplici tunica. Prima, & immediatè tangens substantiam cerebri est valde mollis, ne cerebrum lædat, & vocatur Meninges, seu pia mater. 2. tunica exterior est durior adarcendas iniurias ambientis, & vocatur dura mater. A substantia igitur cerebri, ac duplici ipsius tunica progreditur ad singulos oculos neruus quidam, qui dicitur opticus, seu visorius, constans duplici veluti canali, quorum vnus est intrà alium. Primus, & exterior canalis prouenit à dura matre, & vbi peruenit ad oculum, dilatatur, in sphæricam figuram, & constituit primam tunicam exteriorem oculi, in qua dantur duæ partes, anterior, & posterior. Pars anterior vocatur tunica cornea, eo quod est dura, & transparens, sicut lamina cornea, quæ obducitur laternis, & præstat proportionalem vsum respectu oculi, quem lamina cornea respectu laternę. Sicut enim laternę obducitur lamina dura, & transparens, vt per duritiem arceat à flamma interiori iniurias ambientis, per transparentiam transmittat lumen; sic luci pupillę obducitur tunica dura, & transparens, vt per duritiem arceat iniurias ambientis à luce pupillæ, per transparentiam transmittat radios luminis, & specierum visualium.

Imme-

Immediatè ſub tunica cornea eſt pars primi humoris, qui vocatur vitreus.

Secundus canalis, & medius nerui optici progerminat à pia matre, hoc eſt ab interiore, & molliore tunica cerebri, ideoque etiam ipſe eſt mollior. Hic cum peruenit ad oculum, incipit ſimiliter dilatari ſphæricè, ac conſtituit ſecundam tunicam interiorem oculi, quæ progreditur ſimul cum tunica cornea, illique adhęret per aliquod ſpatium, & vbi peruenit ad Iridem oculi, hoc eſt ad circulum coloratum circà pupillam, incipit diuelli, ac ſeparari à tunica cornea, relinquens ſpatium, in quo intercipitur humor vitreus interceptus inter tunicam corneam exteriorem, & hanc ſecundam tunicam interiorem. Hęc ſecunda tunica, præſertim ſecundum illam partem, ſecundum quam intercipit humorem vitreum, vocatur vuea, eo quod aſſimiletur acino, ſeu cortici vuę Eſt colorata, & ab eius colore oculi dicuntur albi, nigri, cęſij &c. prout videlicet varius eſt color vueæ conſtituens circulum illum coloratum, qui vocatur Iris oculi. In medio vueę eſt foramen, quod vocatur pupilla, eo quod in eo apparet pupa, hoc eſt imago aſpicientis intrà oculum. Immediatè ſub foramine vueę, & ſub parte vueæ circà foramen, eſt ſecundus humor, qui vocatur aqueus.

Ter-

Tertius, & interior canalis nerui optici promanat ab ipsa substantia cerebri, & etiam ipse cum peruenit ad oculum, dilatatur in quandam tunicam sphæricam, seu potius paulo maiorem hęmisphęrica. Hæc tertia tunica adhęret vueę, sed non semper, sed post aliquod spatium finitur, ac terminatur. Vocatur tunica retina, seu retiformis, quia habet innumera filamenta spiritibus plena in modum retis contexta. Intercipitur inter vueam, & partem retinæ diuuulsam ab vuea humor aqueus. Vbi retina terminatur (dictum est enim, quod non complet sphæram, sed paulo plus quam semisphæram) vbi inquam terminatur hęc quasi semisphæra retinæ, incipiunt quidam veluti pili, qui vocantur processus ciliares, & sunt pellicula quædam multis rectis filamentis contexta, sicut tela araneę. Hæc pellicula non adhęret reliquę parti vueę, sed ab illa recedit versus centrum. In medio huius pelliculæ, ac in centro oculi, è regione pupillę, seu foraminis vueę stat pendulus humor chrystallinus, qui ex parte anteriori habet figuram ferè circularem, ex posteriori, vt ait Keblerus, habet superficiem hyperbolicam. Situs humoris chrystallini est proportionalis sit„i, in quo sæpè videntur araneæ. Sicut enim sæpè aranea ità texit telam in aliquo foramine, vt oppleat os fora-

foraminis, ac deinde quiescit in centro, ac medio suorum filamentorum; sic processus ciliares sunt quædam filamenta originem ducentia ab extremitatibus retinæ tanquam à margine foraminis, & in medio talium filamentorum suspensus pendet humor chrystallinus. Post humorem chrystallinum in toto illo spatio, quod est vsque ad retinam, est humor vitreus.

Explicato organo visus, statuendum est, in qua eius parte formetur visio. Dico cum sententia communi recentiorum contrà antiquos: visio non fit in humore chrystallino, sed in tunica retina. Probatur; nam in ea parte oculi fit visio, quę apparet aptissima ad hoc munus, seu consideretur eius substantia, seu origo, seu situs, seu tota conformatio oculi, seu omnes sensibiles experientiæ; sed considerando hæc omnia, retina apparet aptissima, humor chrystallinus apparet ineptus; ergo, &c. Prob. minor; nam primo retina est substantia solida, ac spiritibus plena; ergo per hoc ipsum est aptissima ad sentiendum. E conuerso humor chrystallinus quia est substantia humida, videtur parum aptus ad sentiendum, cum humores in animali non sentiant, imò fortasse nec viuant, sed sint vltimum alimentum partium solidarum, vt dictum est alibi, ideoque aliqui humores oculi videntur esse ali-

alimentum tunicarum solidarum. Confirmatur, quia humor chystallinus est diaphanus; ergo est institutus ad species transmittendas ad tunicam retinam, in qua terminantur; sed aptius est ad formandam visionem, quod recipit species visibiles, terminando, quam quod recipit transmittendo; ergo tunica retina est aptior ad eliciendam visionem, quam humor chrystallinus. 2. retina originem trahit immediatè à substantia cerebri; ergo propter hoc ipsum, quia originem trahit à substantia cerebri, in qua reside virtus animalis, & sensitiua, est aptissimum instrumentum ad sensationem visionis, & aptior humore chrystallino. 3. tunica retina est in tali situ, vt omnes radij luminis, ac specierum transeuntes per tunicam corneam diaphanam, ac deinde per partem humoris vitrei, tum intrantes per pupillam, seu foramen vueę, ac transmissi per humorem chystallinum, & posteriorem partem humoris vitrei interceptam inter humorem crystallinum, & retinam, tandem terminentur in ipsa retina; ergo retina est in situ aptissimo ad hoc, vt recipiens, ac terminans species impressas formet visionem, seu speciem expressã. 4. si organum formale visionis sit retina, redditur ratio de tota constructione, & conformatione oculi. Tunica cornea est trans-

transparens, vt species transmittat. S
quitur humor vitreus, vt species dec
set, refrangat, & vniat, propter quem
vsum etiam ad visum iuuandum adhib
tur specilli. Post humorem vitreum
tur pupilla, seu foramen vueæ ad hoc,
in ipso species decussentur; datur hum
chrystallinus, & post ipsum alia pars h
moris vitrei, vt per refractionem spec
magis vniantur;ac demum post hęc om
datur tunica retina, vt species per ref
ctionem vnitas recipiens, ac termin
formet visionem. 5. sensibiles experien
ostendunt visionem formari in retina,
præsertim experientia chartę indicat
quæst. 40. Circà quam debet etiam adu
ti, quod si foramini fenestrę opponat
vitrum aliquod conuexum, species intr
tes per foramen, & vitrum, exprimu
in charta imaginem externorum ob
ctorum multo viuidius, ac distinctius,
præsertim si vitrum sit clarum, & perf
ctè sphęricum. Quo verò vitrum est se
mentum sphęrę maioris, atque adeò
minus conuexum, eo exigit maiorem
remotionem chartæ à foramine, & mag
amplificat obiectum: vitra verò mag
conuexa, eo quod sint segmenta sphę
minoris, exigunt maiorem distantiam,
minus amplificant imaginem obiecti.

Hinc patet, quod proportionaliter fo
matur

tur in oculo visio, siue imago vitalis iecti, sicut in charta imago obiectorum teriorum. Foramen enim fenestrę se-bet vt foramen vueę, seu pupilla in-ulo; vitrum in foramine fenestrę, sicut mor chrystallinus in foramine vueæ; arta, in qua recipitur imago obiecti, si-t in oculo tunica retina; imago obiecti sponitur in charta, sicut species in reti-, & species in retina causant visionem agis, aut minus distinctam, prout sunt agis, aut minus distinctæ. Rursus sicut melius formandam imaginem obiecti charta valdè conducit, vt vitrum sit agis, aut minus sphæricum, sic natura-edit virtutem restringendo, vel relaxan-processus ciliares, à quibus pendet hu-or chrystallinus, reddendi illum magis, it minus globosum, magis, aut minus ongandi à tunica retina, prout expedit d species distinctius, vel viuidius in reti-a disponendas; ergo hęc sensibilis expe-ientia clarè ostendit, quod visio non-ormatur in humore chrystallino, sed in etina. Plura alia in confirmationem huius nteutię congerit P. Scheiner, quæ vide-i possunt apud ipsum tract. de oculo lib. . par. 1.

Ad 1. Sententia docens, quod visio fiat er extramissionem est absurda: primo, uia absurdum est, quod visio fiat extrà ocu-

oculum in ipso obiecto, vel in aere, aut alio corpore medio. 2. quia vel id, quod emittitur ad obiectum, est substantia, vel accidens; si substantia, est incredibile, quod ab oculo egrediatur substantia pertingens vsque ad Solem, & illum amplectens; si accidens, visio non recipitur in substantia viuente oculi, sed in aliquo accidente distante ab oculo. 3. apparet in allata experientia chartæ, quod in charta recipitur imago obiecti; ergo etiam in oculo recipitur imago obiecti; ergo visio formatur in oculo, non per extramissionem, sed per introsusceptionem specierum. Non tamen negandum, quod possint ab oculo egredi aliqui radij, & spiritus ignei, sed talis egressus radiorum per accidens se habet ad visionem. Ad argumentum; est impossibile, vt videatur obiectum distans, nisi aliqualiter attingatur: dico quod obiectum distans est præsens intentionaliter per imaginem intentionalem sui, hoc est per speciem pertingentem vsque ad oculum, ideoque potest videri per talem imaginem intentionalem. Dum opponitur, quod oculus videndo debilitatur, dico, quod talis debilitatio oritur ex eo, quod in videndo multi spiritus deperduntur, sicut in reliquis sensationibus.

Ad 2. Falsum est, quod visio fiat in

nervis

neruis opticis, qui deseruiunt ad oculos mouendos in hanc, vel illam partem, 1. quia nerui optici non semper inueniuntur coniuncti, vt docent Anatomistæ; sed etiam illi, qui non habent neruos opticos coniunctos vident obiecta vt non geminata; ergo ratio, cur obiecta appareant vt non geminata, non est, quia visio formatur in coniunctione neruorum opticorum. Secundo quia nerui optici procedunt semita flexuosa; ergo non possunt ad ipsos pertingere radij specierum, ac luminis, qui propagantur tantum per lineam rectam. Dum, opponitur, quod obiecta deberent apparere vt geminata, respondeo, quod licet obiectum videatur per duplicem visionem receptam in duplici oculo, adhuc videtur vt vnicum, quia apparet vt existens in vno, & eodem loco; cum verò comprimendo vnum oculum fit, vt obiectum ab vno oculo videatur tanquam existens in vno loco, ab alio videatur tanquam existens in altero loco, tum obiectum videtur vt geminatum. Proportionalis est ratio, propter quam licet species in retina describantur situ inuerso, sicut in charta, eo quod ingredientes in pupillam decussentur, adhuc obiectum non videatur situ inuerso. Ratio est, quia obiectum videtur vt existens in loco, ad quem recta terminantur

ra-

radij visuales causantes impressionem in retina; sed radij visuales decussati in pupilla, licet causent impressionem in parte opposita retinæ, tamen recta terminantur ad verum situm obiecti; e. g. radij causantes impressionem in parte dextera retinæ terminantur ad partem sinistram obiecti, idemque dic de alijs; ergo repręsentant obiectum situ non inuerso. Cum verò per refractiones radiorum fit, vt radij visuales terminentur ad partes oppositas obiecti, tunc obiectum videtur situ inuerso.

Ad 3. In ea parte formatur visio, in qua formatur imago obiecti; sed imago obiecti non formatur in pupilla, nec in humore chrystallino, sed in retina, eo pacto, quo in experientia chartæ imago obiecti exterioris non formatur in foramine, nec in vitro foramini opposito, sed in charta; ergo. Dum vrgetur, quod imago obiecti apparet in pupilla, respondeo, quod quia ab oculo tanquam à speculo reflectuntur species, vnusquisque videt se ipsum in oculo alterius tanquam in speculo, & in parte transparente oculi; at visio non debet formari in parte transparente oculi, qualis est humor chrystallinus, sed in parte terminante, qualis est tunica retina. Dum vrgetur, quia humor chrystallinus propter suam perspicuita-

cuitatem est maximè aptus ad species re-
cipiendas; dico, quod propter eandem
perspicuitatem visio non debet fieri in
humore chrystallino species transmitten-
te, sed in retina terminante. Similite
quia omnes species concurrunt in centr
humoris chrystallini, visio non debet for-
mari in tali centro, alioquin formaretu
visio confusissima, cum propter ipsum con-
cursum omnium specierum tales speci
sint confusissimæ; sed post decussationem
in centro humoris chrystallini dispergi
tur, ac distinguuntur in tunica retina
ergo imagines obiectorum sunt maxim
distinctæ, & inconfusæ in tunica retina
ergo visio formari debet in tunica ret
na. Confirmatur, quia sicut in exp
rientia chartæ species concurrentes,
decussatæ in foramine, vel in vitro a
posito foramini sunt confusissimæ, ac d
inde distinguuntur in superficie charta
& formant imaginem distinctam, sic sp
cies in pupilla, quæ correspondet for
mini, & in humore chrystallino, qui co
respondet vitro apposito foramini, su
confusissimæ, ac deindæ distinguuntur
retina: ergo visio vt sit distincta, form
ri debet in retina, in qua cum oculus
det integrum hæmisphærum, formant
imagines totius hæmispherij, & omni u
punctorum, ex quibus constat hæmisph
rium.

rium. Et hęc de visu dixisse sufficiat, cũ explicauerimus obiectum, medium, species visibiles, organum, & partem organi, in qua formatur visio. Circà visionem ipsam nihil est addendum, cum vnusquisque illam experiatur, & eius causę iam sint explicatæ.

QVAESTIO XXV.

Vtrum conuenienter explicetur obiectum, species, medium, dispositio, & organum auditus.

VIdetur, quod non conuenienter explicetur natura soni, qui est totale obiectum auditus. Sonus enim non fit sine aliquo motu corporum sonantium, ac medij, per quod auditur sonus; sed hoc posito, non potest explicari, vtrum sonus consistat iu ipso motu corporum sonantium ac medij, an in aliqua qualitate distincta à motu; ergo non conuenienter explicatur natura soni.

Resp. quod in hac quæstione primo explicandum, quid sit sonus, & quid corpus sonorum; quomodo, & à quibus causis sonus producatur; quo pacto, & per quod me-

medium propagetur directè, vel reflex & qui motus in corpore sonante, vel medio comitentur productionem, & pr pagationem soni. Secundo agendum speciebus intentionalibus soni, earum productioue, reflexione, & propagati ne. Tertio explicanda est formatio v cis, quę est species soni, & est sonus qu dam editus ab animali, ac describenda sunt obiter instrumenta concurrentia a formationem vocis. Quarto describen est aliqualiter auris, quę est organum a ditus. Quinto demum examinandum, qua parte auris formetur auditio.

Quoad 1 Ex doctrina Aristotelis 2. anima tex 77. & seq. *sonus est actus, q producitur ex percussione corporis sonori, per medium propagatus mouet potentiam a ditiuam ad auditionem*. Sed explicandu quæ sint corpora sonora. Dico, quod co pora sonora sunt corpora dura, & con stentia, quę si percutiantur, tota in se ip tremunt, & concutiuntur minutis quibu dam crispationibus, & per hunc trem rem causant sonum in medio. Patet e perientia. Campana enim percussa co cutitur, ac tremit quibusdam minutis cri pationibus etiam tactu perceptibilibus, per hunc tremorem causat solum in aere chordæ etiam citharæ dum sonum edun i manu tangantur, sentiuntur in seip

crif-

crispari, ac tremere, & si compescatur talis crispatio, eo ipso cessat sonus. Corpora ad hoc, vt possint hoc pacto ex percussione crispari, ac tremere, requirunt aliquas conditiones. Primo debent esse dura; nihil autem refert, vtrum dura sint per se, & permanenter, an merè per accidens. Ità etiã ex percussione aeris potest edi sonus, quia per motum velocem virgę, vel alterius percutientis aer condensatus duratur, & sic percussus recipit illum tremorem, atque edit sonum. Corpora tamen, quo per se magis sunt dura, eo sunt magis sonora, ideòque metalla sunt valdè sonora, ità vt ex parua etiam percussione edant magnum sonum, cum è conuerso spongiæ, lanæ, & alia corpora mollia, si leuiter percutiantur, nullum edant sonum, si per validam percussionem condensentur, ac durentur, edant aliquem sonum, sed multo minus validum, ac edant metalla. Non tamen ad hoc, vt corpora sint perfectè sonora, sufficit durities, sed requiritur aptitudo ad hoc, vt percussa recipiant motum vibrationis, quo concutiantur, & tremant in se ipsis secundum omnes suas partes. Hinc oritur, vt quædam metalla, licet fortasse minus dura, sint magis sonora, quam alia, quia nimirum sunt aptiora ad motum vibrationis recipiendum. Secundo vt Aristoteles ad-

O 2 uertit,

uertit, & constat experientia, ad hoc, vt corpora sint perfectè sonora, valdè conducit, vt habeant superficiem læuem, & æqualem. Ità campana, si sit leuigata, melius sonabit, quam si habeat superficiem asperam. Ratio est, quia superficies læuis, & æqualis recipiens motũ vibrationis validius aerem reflectit, ac pellit, imprimendo illi similem motum crispationis, ex quo sonus pendet, eo pacto, quo videmus, quod pauimentum læuę validius reflectit pilam allisam, quã si sit scabrum; & quod specula hebentia superficiem læuem validius reflectunt lumen, & species, quam corpora habentia superficiem scabram. Tertio vt idem Aristoteles notat; ad hoc, vt corpora sint perfectè sonora, iuuat etiam, quod sint concaua. Ratio est, quia aer clausus intrà concauam superficiem campanæ e.g. sępius reflectitur, ac resultat ad hanc, & illam partem, ac geminatis vicibus crispatus geminat, & auget sonum. Hinc est, vt cithara, & alia instrumenta sonandi fiant concaua.

Colligitur 1. quę sit causa efficiens soni. Est enim corpus, quod percutiens aliud corpus sonorum imprimit illi motũ vibrationis, à quo per medium cum simili motu vibrationis propagatur sonus. Colligitur 2. decisio quæstionis, verum causa soni sit corpus percutiens, an potius

tius corpus percussum. Respondet Aristoteles corpus percutiens dum directè imprimit percusso motum vibrationis, esse causam directam soni, ac simul corpus percussum, dum percutienti resistit, ac facit illud reflectere, ac resilire, imprimere percutienti proportionalem motum vibrationis, ac sic causare sonum quasi reflexè. Tertio colligitur tria requiri ad sonum causandum, percutiens, percussum, & medium. Ità ad causandum sonum campanę requiritur malleus percutiens, campana percussa, & aer medius, in quo sonus recipitur, & propagatur. Nihil autem refert, vtrum percussum, percutiens, & medium sint tria corpora per se diuersæ rationis, an sint duo, vel vnum corpus homogeneum subeuntia per accidens rationem trium. Ità cum virga percutiens aerem edit sonum, sunt duo tantum corpora, virga, & aer; sed vna pars aeris per accidens durata propter condensationem subit rationem corporis percussi, & sonantis, alia pars aeris remanens rara retinet rationem medij. Similiter cum aer pulsus ventis contrarijs edit sonum, subit rationem trium corporum.

Maior est difficultas in explicanda causa formali, ac materiali soni. Et circà causam formalem est dubium, vtrum sonus

nus sit ipsa vibratio corporis sonori, ac medij, an vero sit qualitas distincta à motu, ac vibratione. Aliqui ex eo, quod sonus non producatur, nec propagetur sine motu vibrationis, arguunt, quod non sit qualitas distincta à tali motu, sed dicunt sonum esse vibrationes minutissimas, ac sola aure perceptibiles. Dicendum tamen cum sententia communi Peripat. quod sonus est qualitas primo, & per se audibilis distincta à motu vibrationis. Probatur, quia omnes dicimus, quod proprium obiectum auditus sit sonus, non autem motus; ergo sonus distinguitur à motu. Confirmatur, quia propositiones istę, quod obiectum audibile sit motus, & quod nos audiamus motum, valdè sunt absonæ ergo per ipsam experientiam certificamur, quod sonus non est motus. Confirmatur, quia ęquè per experiētiam, quam formamus de sono audito, distinguimus sonum à motu, ac per experientiam, quam per visum formamus de luce, & coloribus visis, distinguamus lucem, & colorem à motu; ergo sonus non minus manifestè distinguitur à motu, quā lumen, & colores. Confirmatur tertio, quia motum crispationis etiam actu percipimus, vt patet, cum quis tangit citharam sonantem; sed certificamur, quod manu non tangimus sonum, eo pacto, quo non

non tangimus lumen; ergo ſonus diſtinguitur à motu criſpationis.

Quoad causã mterialem ſoni, ſeu ſubiectum, in quo ſonus recipitur, dicendum, quod ſicut corpus diaphanum eſt ſubiectum receptiuum luminis, ac ſpecierum viſualium, ità corpus mobile motu criſpationis eſt ſubiectum receptiuum ſoni, ac ſpecierum audibilium. Et quia corpora fluida, ac præſertim aer ſunt aptiſſima ad hoc, vt moueantur motu criſpationis, ideò aer eſt aptiſſimum medium receptiuũ ſoni, & ſpecierum audibiliun. Propagatur tamen ſonus etiam per aquam, & ignẽ, eo pacto, quo lumen, & ſpecies viſibiles propagantur etiam per aquam. Immo corpora dura, & conſiſtentia licet non ità facilè recipiant, ac tranſmittant ſonum, ſicut aer, & aqua, adhuc tamen etiam ipſa tranſmittunt licet imperfectè ſonum, ac ſpecies audibiles. Patet experientia. Si quis enim clauſus ſit in cubiculo, adhuc percipit ſonum editum extrà cubiculum. Nec dicas ſonum gyrare, ac intrare per rimas ianuæ intra cubiculum: nam etiam ſi cubiculum ſit vndique clauſum muris, ſiue ianua, ac feneſtris, ſi murus, aut fornix ex parte exteriori percutiatur malleo, ſonus penetrat, & auditur intrà cubiculum; ergo ſonus non ſolum permeat per rimulas, ſed etiam per ſolidam craſſi-


tiem murorum. Sicut igitur, vt dictum est, omnia corpora sunt aliqualiter transparentia, ità vt possint recipere aliquid luminis, etiam in sua profunditate, sic omnia corpora sunt aliqualiter vt ità dicam transonantia, ità vt possint transmittere aliquid soni, etiam secundum suam profunditatem.

Explicata causa materiali soni, explicandum est, quænam dispositio requiratur in causa materiali, hoc est in corpore quodammodo transonante, ad hoc, vt sonum recipiat, ac transmittat. Dico, quod sicut corpus transparens vt recipiat, ac transmittat species visibiles, debet actu illuminari, sic corpus transonans, vt recipiat, ac transmittat sonum, debet actu moueri motu locali concussionis, ac vibrationis, adeoque ad propagationem soni, ac specierum audibilium requiritur motus vibrationis, tanquam dispositio medij. Docet id communis sententia Philosophorum, qui cum Aristotele asserunt sonum non propagari sine aliquo motu medij, & constare videtur experientia. Nec opponas, quod videtur incredibile, quod cum sonus penetrat in cubiculum clausum, moueantur muri cubiculi. Primo enim si sonus sit vehemens, e.g. ex bombardæ explosione, sensibiliter tremunt, & concutiuntur muri cubiculi; ergo non solum

non

non est contrà experientia, sed valde conforme experientię, quod sonus penetret cum quodam motu. 2. cum sonus est tenuis, & cubiculum ita clausum, vt non possit sonus penetrare per rimas, non auditur; ergo signum est, quod cum sonus propter tenuitatem non potest concutere medium resistens, impeditur à propagatione. 3. etiam sonus tenuis editus ex percussione muri in parte exteriori penetrat, & auditur intrà cubiculum optimè clausum; sonus autem multo maior editus non ex percussione muri cubiculi, sed alterius corporis propinqui, ac magis sonori, e. g. campanę, non auditur, vel saltem nonità perfectè auditur. Ratio est, quia muri cubiculi à percussione recipiunt motum crispationis; ergo disponuntur ad sonum recipiendum, ac transmittendum. E conuerso cum non percutiuntur muri cubiculi, sed aliud corpus separatum à muris cubiculi, motus crispationis recipitur in aere, qui non potest ità facile mouere muros cubiculi, pro vt requiritur ad sonum propangandum, ideoque non transmittitur sonus intra cubiculum. Confirmatur, quia cum flat contrarius ventus, impeditur ex parte propagatio soni; sed non impediretur, nisi ad talem propagationem requireretur motus localis medij; ergo propagatio soni

O 5 requi-



:quirit motum localem medij. Confirma-
ır vlterius, nam ſonus non auditur ſtatim,
c eſt facta percuſſio, vt patet experientia.
Cum enim quis à longe videt aliquem
ecuri cædentem ligna, prius videt per-
uſſionem lignorum, deinde poſt aliquod
empus percipit ſonum editum ex percuſ-
one; ſed non eſt alia ratio, niſi quia ad
ropagationem ſoni requiritur motus.
Nec opponas incredibile videri, quod
um à vento validiſſimo mouetur aer in
nam partem, poſſit etiam moueri in alte-
am partem. Nam dicendum, quod ſicut
um fluuius rapidiſſimè fertur in vnam
artem, poteſt tamen recipere aliquos
notus vndationis, aut criſpationis in par-
em contrariam ex caſu lapillorum, aut
guttarum depluentium; ſic cum aer à ven-
to fertur in vnam partem, ex percuſſione
recipit quaſdam veluti vndationes, & cri-
ſpationes in partem contrariam, cum qui-
bus ſonus propagatur, ac fertur.

Circa cauſam finalem ſoni nihil eſt ad-
dendum. Patet enim ſonum, cum ſit qua-
litas audibilis, habere pro fine auditio-
nem. Confirmatur, quia ſicut impulſus, qui
eſt qualitas motiua, ordinatur tanquam
ad finem ad mouendum localiter corpora;
ſic ſonus, qui eſt qualitas motiua ad au-
diendum, ordinatur tanquam ad finem
ad mouendum intentionaliter auditum

motu

motu auditionis. Confirmatur vlterius quia vt animal perciperet corpora propinqua, & tangentia, natura instituit sensum tactus, & qualitates tangibiles; vt perciperet corpora distantia, etiam cum manent quieta, instituit colores visibiles, & potentiam visiuam; vt perciperet corpora etiam in tenebris per motum appropinquantia, instituit, vt dum mouentur, edant sonum, ac strepitum, ad quem percipiendum pręparauit potentiam auditiuam.

Explicatis causis soni, possumus cum Aristotele explicare differentias soni. Sicut duæ sunt precipuę species colorum, albedo, & nigredo, qui vtpotè maximè distantes in genere coloris sunt contrarij, colores verò reliqui constituuntur per hoc, quod magis, aut minus participent de albedine, ac nigredine; ità duæ sunt præcipuę species sonorum extremè contrarię, nimirum sonus acutus, & grauis, alię verò species sonorum constituuntur per hoc, quod magis, aut minus participent de graui, aut acuto. Sonus acutus est, qui mouet medium crispationibus subtilibus, & velocibus. Sonus grauis est, qui mouet medium crispationibus crassioribus, ac magis tardis. Hinc est, vt sonus acutus propter subtilitatem, & velocitatem veluti pungat, ac perforet; sonus grauis è conuerso veluti pellat. Hinc

etiam est, vt chordæ subtiliores, ac magis tensæ edant sonum acutiorem, quia propter subtilitatem edunt crispationes subtiliores, propter tentionem velociores, dum pulsæ maiori impetu se reducunt ad suum statum, eo pacto, quo arcus magis tensus resilit maiori impetu, ac motu velociore. Non tamen dico, quod sonus acutus sit ipsa crispatio subtilis, ac velox, sed solum quod producitur cum subtili, ac veloci crispatione. Soni medij sunt, qui magis, aut minus participant de acuto, & graui. In idem recidunt definitiones Aristotelicę soni grauis, & acuti. Dicit enim 2. de anima tex. 86. sonum acutum esse, *qui paruo tempore multum mouet*; grauem, *qui multo tempore parum*. Sonus enim acutus propter velocitatem, & subtilitatem paruo tempore, & spatio multum mouet; sonus grauis è conuerso propter crassitiem, & tarditatem maiori tempore, & spatio parum mouet. Explicat hæc Aristoteles proportione acuti, & obtusi tangibilis. *Acutum enim* ait *quasi pungit; obtusum quasi pellit, propterea, quod vnum in multo, alterum in paruo mouet tempore: itaque accidit vt alterum velox, alterum tardum sit.*

Quoad 2. de speciebus audibilibus. Probabile mihi ex dictis quæst. 39. vltrà sonum dari species intentionales, & aliqua-

ualiter spirituales soni. Et confirmatur quia non solum percipimus sonum perenientem ad aures, sed etiam sonum istantem, e. g. sonum campanæ; ergo eruenit ad aures aliquid habens vim epræsentatiuam soni distantis; sed quod abet vim repræsentatiuam obiecti distanis est species intentionalis; ergo perueiunt ad aures species intentionales. Cirà propagationem specierum soni, dico, quod sicut species visibiles non propagantur nisi per medium actu illuminatum, ità pecies audibiles non propagantur nisi er medium actu motum motu crispationis. Hinc est, vt sicut in oculo dantur plures humores diaphani, vt lumen recipiant, ac transmittant, ac cum lumine species visibiles; sic in aure datur aer inatus ad hoc, vt moueatur motu crispationis, & sic recipiat, ac transmittat species audibiles. Addo quod sicut species visibiles propagantur per lineam rectam & cum inueniunt impedimentum, reflectuntur ità, vt faciant angulum reflexionis æqualem angulo incidentiæ; sic species audibiles propagantur per lineam rectam, & cum inueniunt impedimentum, reflectuntur ità, vt faciant angulum reflexionis æqualem, vel penè æqualem angulo incidentiæ. Ex reflexione soni, ac specierum audibilium oritur echo. Ex

eadem

eadem reflexione ſequitur, vt ſicut po ſunt conſtrui ſpecula concaua, in quę in cidens lux ità reflectitur ad angulo æquales, vt plures radij concurrant in aliquo puncto, ibique cauſent maximam intenſionem luminis; ſic poſſint conſtru loca concaua, ad quę incidens ſonus, & ſpecies audibiles, reflectantur ad angulo æquales angulo incidentię, vt concurran in aliquo puncto, in quo ſonus valdè au geatur. Videri poteſt P. Blancanus in ſu echometria, vbi plura ad leges opticas, & mathematicas de Echo demoſtrat.

Quoad 3. pręcipua ſpecies ſoni eſt vox de qua diſputat Ariſtoteles à tex. 77. vſqu ad 92. Ex Ariſtotelis doctrina primo vox eſt ſonus conueniens ſoli animali. Lice enim aliqua inanimata, vt tibia, lyra, &c dicantur vocem emittere, tamen propri ſonus ille non eſt vox, ſed ſolum metapho ricè dicitur vox propter particularem ſimilitudinem cum voce animalis. Hę ſimilitudo conſiſtit in tribus. Primo vox animalis poteſt continuari multo tempore cum emittatur ex appetitu, qui poteſt mul to tempore vocem emittere; at ſonus re rum inanimatarum quia non editur ex appetitu, non continuatur multo tempo re, ſed paulo poſt percuſſionem ceſſat Quia igitur ſonus lyræ, tibię &c. conti nuari poteſt multo tempore ex repetita

per-

percussione sonantis dicitur vox. Secundo vox animalis, quia variari potest ex appetitu, potest habere consonantiam consistentem in proportione acuti cum graui, animali nunc edente sonum acutum, nunc grauem; sonus rerum inanimatarum est vniformis, ideoque caret consonantia. Quia ergo sonus lyræ, &c. vtpotè variatus secundum appetitum sonantis, habet consonantiam dicitur vox. 3. demum idem sonus lyræ dicitur vox, quia variari potest secundum similitudinem, ac proportionem locutionis humanę.

2. Vox non competit omnibus animalibus. Multa enim animalia, ac præsertim exanguia carent voce, & ex sanguineis etiam pisces solent carere voce, licet aliqui sonent branchijs. Rationabiliter verò pisces carent voce, quia vox est motus aeris; ergo non debet conuenire piscibus, qui viuunt in aqua.

3. Quia ad formandam vocem requiruntur tria, percutiens, percussum, & aer medius, illa tantum animalia, quę respirando, & expirando aerem trahunt, & emittunt, edunt vocem. Quare sicut natura vtitur lingua ad duplex munus, gustandi nimirum, ac vocem formandi, quorum primum necessarium est animali, vt discernat alimentum conueniens ab inconuenien-

ueniente, secundum requiritur ad bene esse; ità eadem natura vtitur aere per respirationem attracto ad duplex munus alterum necessarium, nimirum ad cor refrigerandum, alterum ad bene esse, nimirum ad formandam vocem. Et quia animalia terrestria sanguinea vtpotè calidiora indigent magis respiratione, ideò hæc solent esse vocalia. Vniuersim verò instrumenta respirandi deseruiunt etiam ad vocem. Sunt igitur instrimenta vocis formandę pulmones, thorax, aspera arteria, hoc est canalis chartilaginosus, & asper, qui incipit ad finem oris, & per collum protenditur ad pulmones; larinx, quæ est asperæ arteriæ caput; & epiglottis, quæ est laringis ostium, videlicet quædam mēbrana similis lingulę in extremo palato permanens, quæ quia sæpè ex humorum influxu concrescit ad similitudinem vuæ, dicitur vua, seu vuula. Hæc sunt instrumenta respirandi, & expirandi, & simul emittendi, ac formandi vocem. Pulmones enim, qui sunt veluti spongia, excipiunt aerem; exceptum thorax, & musculi pellunt per asperam arteriam; aer expulsus impingit in epiglottidem, seu vueam, & ostium laringis, & ex percussione, atque allisione ad vueam, quę est veluti plectrum varia vox formatur pro allisionis varietate. Ad vocem articulandam in varias syl-

ſyllabas deſeruit lingua, quæ variè vo
diſtinguit; dentes, qui ictum linguæ v
cem allidentis recipiunt; labra, quæ ſ
labas, & litteras varia compreſſione,
dilatatione conformant.

4. Hinc poteſt cum Ariſtotele infe
definitio vocis; eſt enim *vox ſonus edi
ab animali ex percuſſione, & alliſione aeris
ſpirati ad aſperam arteriam, & epiglottide
ſiue vueam, dependenter ab imaginatione,
appetitu, ſignificatiuus moleſti, ac iucun*
Hæc definitio explicat 4. cauſas voci
Cauſa formalis eſt ſonus editus ex p
cuſſione aeris ad aſperam arteriam; ca
materialis eſt aer, & organa, in quib
ſonus recipitur, & formatur, vt eſt exp
catum; cauſa efficiens inſtrumentalis ſu
inſtrumenta ad aerem allidendum, & pe
cutiendum; cauſa efficiens principalis
animal, per imaginationem, & appetitu
mouens organa ad vocem formandam
cauſa finalis eſt ſignificatio moleſti,
iucundi. Ideò enim vox data eſt animal
vt ſignificet moleſtum, aut iucundum
ex cuius proſecutione, vel fuga, qui ſu
actus appetitus, emittunt vocem. Locuti
quæ eſt nobiliſſima ſpecies vocis artic
latę ab homine, data eſt homini, vt ſign
ficet etiam verum, & falſum, honeſtum
ac turpe. Ex hac definitione explicatu
etiam differentia, per quam vox differt

ſono,

ſono, quem edimus tuſſiendo, allidendo aerem reſpiratum ad epiglottidem, qui ſonus propriè non eſt vox, quia non editur per ſe dependenter ab imaginatione, & appetitu, ſed poteſt etiam edi ſine actu imaginationis,& appetitus.

Quoad 4. Deſcribendum eſt organum auditus. In aure, quæ eſt organum auditus, conſiderari debet duplex pars, altera exterior, quæ dicitur auricula, compacta ex chartilagine; altera interior,quæ ducit ad interiora capitis per iter flexuoſum, tum ne ſonus vehemens magno impetu ingrediens lędat ſenſorium valde delicatum; tum ne peruadat,ac penetret aliquod corpus, vel animalculum cum magna moleſtia. In medio auris eſt foramen, cui ex parte interiore membrana quędam obtenditur, quę dicitur tympanum auditus. Hęc membrana paulatim deſinit in neruos ad cerebrum vſque protenſos, per quos ſpiritus neceſſarij ad auditionem formandam deferuntur. Hanc membranam alij tribus, alij duobus oſſiculis docent fulciri, quorum vnum habet figuram incudis paruę, alterum habet ſimilitudinem exigui mallei ex vna parte cuſpidati, ex altera cum duplici capitulo. Hęc oſſa putant aliqui cauſare ſonum ex mutua percuſſione. Intrà cauitatem membranę, ſeu tympani auditus continetur aer congenitus,

& im-

& immobilis, qui aer est humor subtili & aeri nostrati simillimus.

Quo ad 5. Probabilius est auditione fieri in quadam pellicula constituta po aerem innatum, quę communi vocabu potest etiam ipsa vocari aer innatus. Pr batur ex rationibus proportionalibus ij ex quibus est dictum visionem fieri in t nica retina. Sicut enim visio debet fie non in aliquo fluido, sed solido; sic a ditio debet formari non in aliquo fluid qualis est aer innatus, sed in aliquo so do, qualis est hæc pellicula delicatissim Confirmatur, quia hinc redditur ra totius constructionis auris. Auris en est concaua, vt sonus augeatur: datur ea foramen ex proportionali ratione, e qua in oculo datur pupilla, seu forame vueæ; datur aer innatus transmissiuus s ni, & specierum audibilium ex propo tionali ratione, ex qua in oculo datur h mor chrystallinus trāsmissiuus luminis, specierum visibilium. Demum post aere innatum datur pellicula, in qua term nantur sonus, & species audibiles, sic datur in oculo tunica retina, in qua te minantur lumen, ac species visibiles. Ha pellicula habet maximam connexione cum cerebro, vt à cerebro recipiat sp ritus animales necessarios ad auditione sicut tunica retina habet connexionem

cum

:um cerebro ad eundem finem.

Colligitur falsam est sententiam illorum, qui putant auditionem fieri in eo ossiculo ad modum incudis, dum percutitur à paruo malleo. Organum enim auditus debet esse delicatissimum ad discernendas minutissimas differentias sonorum, ac vocum; ergo sensorium auditus non debet esse pars ossea, sed aliqua pellicula affinis substantiæ cerebri. Sed ad quem vsum deseruit parua hęc incus? Probabile est, quod ex sono, & motu aeris innati causetur in hac parua incude aliqua percussio, ex qua magis concutiatur, ac vibretur aer innatus, vt per talem vibrationem reddatur aptior ad species audibiles transmittendas ad organum auditionis.

Ad argumentum in contrariũ adductũ patet ex dictis in resolutione quæstionis, ac proinde nihil est addendum.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum conuenienter assignetur obiectum, species, medium, & organum odoratus.

VIdetur vera sententia Atomistarum, quam sequitur etiam Cabæus in tex. 35.

35. lib.4. meteor. qu. vnica, quod odo
qui est obiectum odoratus, non sit qual
tas accidentalis sensibilis per medium
diffusa à corpore odoroso, sed sit quo
dam effluuium corpusculorum spiritos
rum, ac substantiæ cuiusdam tenuissima
Odores enim pręcipuè expirant à co
poribus aliquo modo viuis, ex quibu
actione caloris perpetuo exhalant spir
tus. Confirmatur primo, quia cum r
comburuntur, tum maximè expirant
dorem; sed tum præcipuè spiritus sep
rantur, ac dissoluuntur; ergo odores co
sistunt in talibus spiritibus. Confirmat
secundo, quia odores non exhalant, n
res aliquantulum incalescant, vt scilic
per calorem spiritus dissoluantur. 3. co
firmatur, quia odores deferuntur à ve
tis in maximam distantiam, & à vent
contrarijs impediuntur, ne deferant
etiam in distantiam valdè propinquam
4. confirmatur, quia corpora magis sp
ritosa sunt etiam magis odorosa, & bo
byx, & alia huiusmodi, quę sunt mag
apta ad continenda corpuscula, & spir
tus implicatos tricis suorum filorum, su
etiam magis apta ad continendos odore
ergo &c.

Respondeo, quod de odoribus, & od
ratu disputat Aristoteles 2. de anima
tex. 92. vsque ad 101. & fusius lib.
sen-

ensu, & sensili. Præmittit, quod difficilius est explicare naturam odoris, quam æterorum sensibilium. Probat, quia odoratus in nobis est imperfectior ceteris sensibus. Cum enim per ceteros sensus discernamus differentias etiam minutissimas sensibilium, eo pacto, quo per auditum discernimus vocem vnius hominis à voce alterius, per odoratum discernimus solum magnas differentias. Confirmat, quia non percipimus odores, nisi causantes aliquam voluptatem, aut molestiam in sensu; sed sola obiecta excellentia causant voluptatem, aut molestiam in sensu; ergo non percipimus nisi magnos, & excellentes odores. Confirmat vlterius, quia in virtute odoratiua vincimur ab omnibus animalibus etiam minimis, ac vilissimis. Nam formicæ, Apes,&c. etiam ex longinquo percipiunt odorem ciborum, quem odorem homines non percipiunt, etiamsi tales cibos naribus admoueant. Ratio, cur odoratus hominis sit imperfectus, est, quam Aristoteles indicat, & ex eo communiter auctores, quia homo præ ceteris animalibus habet cerebrum proportionaliter amplissimum quo ad molem, frigidissimum, & humidissimum, itaut in vnico homine dicatur esse maior quantitas cerebri, quã in 4. bobus; hæc autem frigiditas, & humidi-

miditas cerebri retundit, & hebetat vim odoratiuam, eo pacto, quo experimur, quod cum laboramus catharro, ab eius humiditate hebetatur in nobis vis odoratiua. Hinc etiam oritur, quod in pueris vis odoratiua soleat esse hebetior, quam in viris maturæ ætatis, quia nimirum pueri abundant humido. Addo, quod cum homo magnam partem spirituum animalium insumat in sensationibus aliorum sensuum, propter defectum talium spirituum odoratus redditur magis hebes: idque potest confirmari ex eo, quod ab auctoribus fide dignissimis narratur de quodam puero in syluis educato more ferino, muto, ac surdo, & habente solum inchoamentum linguę, qui pollebat odoratu acutissimo, ac simili odoratui canum. Hic cum deprehensus fuisset in agro Leodiensi, ac ductus ad miraculosam B. V. Imaginem obtinuisset perfectam linguam, loquelam, & auditum, amisit perfectionem illam odoratus. Cuius rei ratio naturalis potest esse, quia spiritus, qui ante deseruiebant soli odoratui, perfectis organis loquelæ, & auditus, deriuati sunt ad vsum etiam aliorum sensuum, & ex hac deriuatione imminuta est vis odoratiua. Ex fine ratio, cur homo habuerit odoratum hebetiorem brutis, ea potest esse, quia cum vtatur ratione, ad cibum

paran-

parandum non indiget odoratu ità perfecto, cum possit multo melius cibos discernere per rationem, quam bruta per acutissimum odoratum.

Præmissa difficultate quæstionis, quinque circà odoratum sunt explicanda. Primo explicandum, quid sit odor, quæ causæ, ac differentiæ odorum. 2. agendum de speciebus odoris. 3. de medio, per quod odor diffunditur, ac de medij dispositione. 4. describendum organum odoratus. 5. demum examinandum, in qua parte organi formetur odoratio.

Quo ad 1. Ex doctrina Aristotelis lib. de sensu, & sensili, cap. de odore, odor definiri potest, *qualitas à corpore sicco continente humidum perfectè imbibitum, & incorporatum per actionem caloris attenuato in halitum subtilē, & vapidum, diffusa per aerem, aut aquam, ac mouens potentiam odoratiuam ad odorandum*. Inferuntur ex hac definitione 4. causę odoris, modus diffusionis, & medium, per quod propagatur. Causa efficiens odoris est corpus odorosum. Est autem corpus odorosum, *corpus siccum continens humidum benè compactum, & incorporatum, per actionem caloris resolubile in halitum subtilem, ac tenuem*. Probat Aristoteles inductione eorum, quę sunt odorosa, & eorum, quæ carent odore. Elementa pura, seu sint humida, seu sic-

ca

ca non sunt odorosa, quia corpus odorosum debet esse corpus siccum habens admistum aliquid humidi. At si elementum habet admistum aliquod mistum siccum, habet odorem, ideòque mare emittit odorem propter admistionem salis; sal autem est corpus siccum habens admissum humidum bene compactum, ideòque, sal liquefit per dissolutionem talis humidi. Ligna sunt odorosa, & illa magis, quæ habent admistam humiditatem viscosam instar olei, quę humiditas solet esse melius incorporata: è conuerso ligna, quę continent humiditatem magis aqueã, minus sunt odorosa. Ità ex lignis sunt magis odorosa cedrus, & quę exudant balsamum. Ex metallis aurum caret odore, quia omnium est maximè terreum, ideòque grauissimum, & minus habens humiditatis. Aes, & ferrum habent odorem: argentum, & stannum sunt etiam magis odorata propter admistionem maioris humiditatis. Additum est in definitione, quod corpus odorosum debet esse per actionem caloris resolubile in halitum subtilem, ac tenuem. Patet: nam cedrus, & alia corpora odorosa calefacta, & incensa suauem odorem spirant, dum aliquæ partes eorum resoluuntur in halitus subtiles. Confirmatur, quia odores magis propagantur æstate, quam hieme, quia

requiritur resolutio corporis odorosi per actionem caloris. Potest etiam corpus odorosum à posteriori describi *corpus siccum saporosum*. Sola enim corpora, quæ habent saporem, emittunt odorem, corpora verò insipida carent pariter odore. Et ratio à priori potest esse, quia ex odore à longe percepto debet animal posse excitari ad experiendum corporis saporē, & ad sumendum alimentum.

Causa materialis, seu subiectum receptiuum odoris est aqua, vel aer. Sicut enim corpus sapidum, e. g. sal per hoc, quod resoluatur, ac diluat aquam, vel aliud corpus humidum humiditate aquea, diffundit in illo saporem, ac reddit saporosum; ità corpus odorosum per hoc, quod attenuatum in halitum, diluat quodammodo aquam, vel aerem, diffundit odorem, & reddit aquam, aut aerem odorosum. Quod verò odor propagetur, non solum per aerem, sed etiam per aquam, patet experientia. Causa formalis reddens aerem, vel aquam odorosam est ipsa qualitas odoris. Quod autem odor sit qualitas accidentalis distincta ab halitibus odorosis, probabitur in responsione ad primum.

Causa finalis odoris est ipsa sensatio odorationis proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt de coloribus, & sonis. Vlterior

rior finis odoris est, vt animal odorem percipiens dignoscat à longè corpus sapidum, vt dictum est suprà.

Medium, per quod diffunditur odor, est aer, & aqua. Modus diffusionis est, vt corpus odorosum resoluatur in halitum tenuem, eo pacto, quo proportionaliter sapor diffunditur, dum corpus saporosum dissoluitur ità, vt diluat humidum aqueum.

Diuiditur odor primo in odorem strictè sumptum, & in fætorem. Odor est qualitas diffusa à corpore magis sicco. Fætor est qualitas diffusa à corpore magis humido, prȩsertim humiditate non benè incorporata, sed causante putrefactionem. Qualitates diffusæ à corporibus magis siccis solent esse iucundæ; qualitates diffusȩ à corporibus magis humidis solente esse molestæ sensui, ideòque à posteriori odor definitur, qui iucundus est sensui, fætor qui molestus. Confirmatur hæc doctrina experientia, qua constat corpora putrescentia propter abundantiam humidi plerunque esse fȩtida; corpora verò non obnoxia putrefactioni, vt ligna cedrina, suauiter olere. Ex hoc autem oritur, vt fȩtores disponant ad putrefactionem, quæ solent causari à morbis pestilentibus: odores suaues prȩseruent à putrefactione.

2. Diuiditur odor in odorem per accidens suauem, aut molestum, inquantum excitat apprehensionem gustabilis suauis, aut molesti, & in odorem per se suauem aut molestum. Odores per accidens suaues sunt, qui exhalant ab escis suauibus Odores per accidens insuaues sunt, qui expirant à gustabilibus insuauibus, e. g. à medicina. Odor per se suauis, vel insuauis est, qui talis est, abstrahendo ab apprehensione gustabilis, vt odor florum, ambræ, & aliorum huiusmodi. Nota autem Aristoteles, quod ex animalibus solus homo delectatur odoribus per se suauibus, non autem bruta. Nunquam enim videmus canem, aut aliud animal odoratu præstantissimo præditum sistere in odoranda rosa, vel alia re non comestibili. Rationem affert Aristoteles, quia cum homo habeat cerebrum proportionaliter amplissimum, frigidissimum, & humidissimum, recreatur inspiratione odorum, qui sunt calidi, & sicci, adeòque apti ad temperandam cerebri frigiditatem, & humiditatem, & ad impediendum, ne sanguis, qui continetur in cerebri venulis, nimis algeat, & ne vapores cibi ad cerebrum delati, nimis frigefacti resoluantur in fluxiones, eo pacto quo animalia sanguinea quia habent cor calidissimum, recreantur respiratione aeris

aeris frigidi, vt potè apti ad temperandam cordis caliditatem.

Quoad 3. de ſpeciebus intentionalibus odoris, dico odores mouere ſenſum per ſpecies intentionales, tum ex rationibus vniuerſalibus ſuprà allatis, tum quia cum odoratus recipit ſimilitudinem odorum ſecundum eſſe reale, non amplius diſcernit odores. Qui enim diu manſit in loco fætido, vel odorato, non amplius percipit odorem, aut fętorem, quia iam organum redditur realiter odoratum; ergo ad percipiendos odores requiritur, vt odorabile vniatur potentiæ odoratiuæ, non ſecundum eſſe reale, ſed intentionale.

Quoad 3. Medium, per quod propagantur odores, & eorum ſpecies intentionales, eſt corpus humidum tranſparens, vt aer, & aqua, non tamen quatenus tranſparens, ſed quatenus tranſmiſſiuum odoris, quod ficto vocabulo poteſt vocari tranſodorabile. Quod odores propagentur etiam per aquam, tanquam per medium, patet experientia. Nam piſces in aqua percipientes odorem eſcę ad illam accurrunt. Homo tamen, & alia animalia, quæ odorantur reſpirando, vt odores percipiant, conſtitui debent in aere, vt inferius explicabitur. Poteſt dubitari, vtrum odores, vel ſpecies intentionales odorum propagentur etiam per

vitrum, vel alia corpora non fluida. Ex eo, quod nos non percipiamus vllum odorem exhalantem ex liquoribus clausis intrà vitrum hermeticè clausum, non potest sumi efficax argumentum pro parte negatiua, cùm habeamus odoratum imperfectissimum. Posset aduerti, an formicæ, & alia animalia accurrant ad escam clausam intrà vitrum hermeticè clausum. Dispositio medij est aliqualis calefactio. Experimur enim, quod cerebrum odorando alteratur, & calesit; ergo signum est, quod odores secundum esse reale, vel intentionale non propagantur per medium, nisi aliqualiter calefactum, vel saltem talis calefactio requiritur ad perfectam propagationem: ex quo oritur, vt odores magis propagentur æstate, quam hieme.

Quoad 4 Organum odoratus sunt nares. Discriminantur nares chartilagine quadam, quæ dicitur intersepta. Intrà nares est os bipartitum, quod vocatur cribrum, seu spongiosum, eo quod abundet pluribus foraminibus instar cribri, vel spongiæ, inter quæ foramina duo sunt potissima vsque ad medium superciliorum protensa, quibus insident duo tubercula, mammarum papillis simillima, quæ dicuntur carunculæ mamillares, & inspiratione narium dilatantur, respiratione con-

constringuntur. Ad has carunculas terminantur duo canales chartilaginosi, qui ex vna parte ad cerebrum, ex altera ad palatum, & cor protenduntur. Per primum canalem eijciuntur excrementa cerebri, quæ deinde effluunt per nares; per secundum canalem aer per nares inspiratus ad cor attrahitur.

Hinc infertur solutio quintæ quęstionis de parte organi, in qua formatur odoratio. Dicendum cum Aristotele, philosophis, ac medicis communiter, quod formatur in carunculis mamillaribus.

Probatur, tum quia experientia videtur constare nos olfacere in fine narium, vbi sunt istæ carunculæ; tum quia inspirando attrahimus aerem odorosum per foramina ossis spongiosi, illumque imbibunt carunculæ dilatatę, eo pacto, quo spongia imbibit aquam, aut aerem, & sic odorem percipimus; tum quia carunculæ respondent proportionaliter retinæ, in qua formatur visio, & pelliculæ, in qua formatur auditio, cum hæc omnia egrediantur à substantia cerebri, & constituantur in situ aptissimo ad recipiendū sensibile mouens ad sensationem; tum demum quia carunculæ mamillares cum sint frigidæ, & humidæ, sunt proportionatę, vt moueantur ab odore calido, & sicco, & vt percipiant differentias odo-

rum. In animalibus igitur habentibus pulmones, & respirantibus, natura vtitur respiratione ad duplex munus: primo vt aer respiratus permeet substantiam cerebri, & cordis; secundo vt attrahatur aer odorosus ad organum odoratus, & causetur odoratio. Hinc oritur, vt alia animalia non olfaciant, nisi respirando; animalia verò, quæ quia carent pulmonibus, non respirant, vt pisces, apes, & insecta, habeant odoratum apertum, nec clausum operculo, ideòque olfaciant sine vlla respiratione, vt docet Aristoteles cap. de odore, & Fernelius lib. 5. cap. 10. & alij. E conuerso animalia respirantia habent organum odoratus clausum quodam operculo, quod aperitur, dum respirando attrahitur aer.

Ad 1. Concedo, quod corpus odorosum sit corpus resolubile in tenues halitus, & quod quia corpora viuentia continent maiorem copiam talium halituum, magis sint odorosa, præsertim cum habeant calorem vitalem, cuius actione fit halituum resolutio; sed dico, quod halitus odorosi sunt quidem vehicula deferentia, ac diffundentia odorem, sed non sunt ipse formalis odor, eo pacto, quo spiritus vitales sunt quidem vehiculum deferens, ac diffundens calorem vitalem per totum corpus animalis, sed non sunt ipse,

ipse, formalis calor. Quod verò odor sit qualitas distincta à spiritibus, probatur, tum paritate caloris, & aliarum qualitatum; tum quia vt docet S. Tho. lect. 20. in secundum de Anima, odor cadaueris vsque ad quingenta milliaria, & amplius à vulturibus sentitur; impossibile autem est, quod aliqua fumalis euaporatio cadaueris vsque ad tantum spatium diffundatur, præcipuè cum sensibile immutet medium vndique secundum eandem distantiam, nisi impediatur; non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiamsi totum cadauer resolueretur in fumalem euaporationem, cum sit certus terminus rarefactionis, qui est raritas ignis, & præcipuè cum per huiusmodi odorem cadauer non appareat sensibiliter immutatum. *Dicendum* igitur, quod licet halitus odorosi valdè diffundantur, non tamen implent totum spatium, sed diffundunt sphæricè odorem, qui est qualitas implens totum spatium, eo pacto, quo spiritus vitales diffundunt calorem, qui est qualitas afficiens totum corpus, & singulas eius partes.

Hinc patet ad omnes confirmationes. Solum enim probant ad diffusionem odorum requiri resolutionem corporis in quosdam halitus, qui deinde diffundunt odorem, nullo verò pacto probant, quod

odores sint ipsimet halitus. Hinc oritur, vt venti deferentes halitus, vel impedientes motum halituum, iuuent ad diffusionem odorum, vel talem diffusionem impediant.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum conuenienter assignetur obiectum, species, medium, & organum gustus.

VIdetur, quod sapor non sit qualitas secunda orta ex certo temperamento primarum qualitatum: primo quia vt obijcit Cabæus, in tex. 19. lib 2. meteor. quęst. 4. si ex tali temperamento e. g. oritur sapor dulcis, ex alio temperamento sapor amarus, ex quocunque temperamento diuerso deberet oriri proportionaliter aliquis sapor, eo pacto, quo ex quacunque mistione lucidi cum opaco resultat aliquis color; sed non ex quolibet temperamento oritur aliquis sapor: multa enim mista licet habeant certum temperamentum, sunt omninò insipida, & sapore carentia; ergo sapor non est qualitas orta ex temperamento.

2. Idem sapor conuenit rebus habentibus temperamentum contrarium: e. g.

ple-

pleraque amara habent temperamentum calidum, & tamen cichoria, & aliæ quędam herbę sunt amaræ, & frigidæ; plures etiam fructus immaturi sunt amari, licet immaturitas oriatur ex frigiditate; aciditas aliquando coniungitur cum temperamento calido, aliquando cum frigido, &c; ergo sapores non sunt qualitates ortæ ex temperamento: alioquin omnia, quæ sunt prædita simili temperamento, essent prædita simili sapore.

3. Videtur vera sententia eiusdem Cabæi, quod diuersi sapores oriantur potius ex diuersis salibus. Patet enim experientia, quod vnaquaque res constat ex tribus, quæ à Chymicis vocantur sal, sulphur, & Mercurius: sal est pars consistens, & fixa; sulphur pars spiritosa, & volatica; Mercurius pars humida, quę ad modum glutinis sulphur spiritosum, & volaticum copulat sali fixo, & consistenti; sed constat etiam experientia, quod ex diuersis corporibus diuersi sales extrahuntur, ac diuersorum saporum, alij amari, vt cinis, alij dulces, vt saccarum, quod est quoddam sal, alij salsi, vt sal vsuale, &c. tales autem sales, quia in humido resoluuntur, dum linguam tangunt, ab eius humido resoluti causant illam passionem, quam vocamus gustum: ergo diuersi sapores consistunt in diuersis salibus, ex

quorum etiam permiſtione poſſunt oriri ſapores medij. Hinc verò videtur, quod ſapor non ſit qualitas accidentalis, ſed ſit ipſa ſubſtantia talium ſalium tangentium, ac vellicantium palatum: à fortiori videtur, quod non dentur ſpecies inteutionales guſtabiles.

4. Videtur, quod guſtus non ſit ſenſus diſtinctus à tactu, ſed ſit quidam tactus. Non enim guſtamus niſi tangendo; ergo guſtus eſt quidam tactus. Nec dicas, quod guſtus differt à tactu, inquantum tactus percipit qualitates primas, guſtus percipit ſapores, qui ſunt qualitates ſecundę; nam tactus non ſolum percipit primas qualitates, ſed etiam duritiem, mollitiem, & plures alias qualitates ſecundas: ergo ex eo, quod guſtus percipiat ſapores, qui ſunt qualitates ſecundę, non ſequitur, quod differat à tactu.

Quinto, ſi opponatur, quod tactus diffuſus eſt toto corpore, guſtus autem eſt in vna tantum parte, nimirum in palato, vel lingua, contrà eſt, quia guſtus eſt potentia paſſiua à ſapore; ſed talis potentia datur in toto corpore; ergo guſtus datur in toto corpore. Probatur minor: ſi enim vulneri exiſtenti in quacunque corporis parte infundantur corpora diuerſorum ſaporum, percipimus eorum diuerſitatem: e. g. ſi infundatur ſal, diuerſam ſenſationem

nem elicimus, ac si infundatur acetum, vinum, aut oleum, aut cinis; ergo in omnibus partibus corporis datur vis passiua à sapore, inquantum est sapor; ergo in omnibus partibus corporis datur gustus, licet gustus excellentior detur in lingua, & in eius acumine.

Resp. quod de saporibus, & gustu disputat Aristoteles secundo de anima, à tex. 101. ad 106. & lib. de sensu, & sensili, cap. de sapore. Præmittit sapores, & odores habere naturam valdè affinem, notiorem tamen nobis esse naturam saporum, quàm odorum, quia sicut habemus odoratum imperfectissimum, ità habemus tactum perfectissimum, & exquisitissimum; sed gustus est quidam tactus; ergo etiam sensus gustus est in nobis valdè perfectus, & exquisitus. Quod homo habeat tactum perfectissimum omnium animalium, probat, quia inter homines qui habent tactum perfectiorem sunt ingeniosiores, & prudentiores; *duri enim tactu, inepti mente; molles autem tactu, benè apti*; ergo inter animalia, quæ habent tactum perfectiorem sunt prudentiora; sed homo est prudentissimus animalium; ergo habet tactum perfectissimum, & exquisitissimum. Confirmatur, videmus enim, quod homo magis patitur à calore, & frigore, & ab intemperie ambientis, quam cætera animalia. Ratio

à prio-

à priori est, quia perfectissimum animal debuit habere perfectissimam vim sensitiuam simpliciter; sed vis sensitiua simpliciter est vis tactiua: est enim prima animali necessaria, ac sola diffusa est per totum corpus; ergo homo, qui est perfectissimum animal, debuit habere perfectissimam vim tactiuam. Confirmatur, quia perfectissimum animal debuit habere corpus optimè temperatum, & complexionatum; sed ex optima complexione, & temperamento corporis oritur perfectio virtutis tactiuę, vt dicetur cap. sequenti; ergo &c. Et quia perfectio virtutis interioris sequitur ex perfectione virtutis corporeę, & exterioris, in homine perfectio intelligendi, dum est in corpore, proportionatur perfectioni tangendi. Quod homo habeat gustum perfectiorem cæteris animalibus, probatur ratione speciali; alia enim animalia non tam appetunt alimentum sapidum, quam repletiuum, & communiter vtuntur escis valdè simplicibus: solus homo appetit escas valdè sapidas in omni genere fructuum, herbarum, carnium, piscium, &c.

Iam quia sapores, & odores sunt affines secundum naturam, circà sapores, & gustum proportionaliter explicanda sunt illa quinque, quæ sunt explicata circà odorem, & odoratum. Et primo explicandum

dum, quid sit sapor, quę saporis causæ, & differentiæ. Sapor ex doctrina Aristotelis lib. de sensu, & sensili, cap. de sapore, describi potest, *qualitas à corpore sicco terrestri, à calore concocto diffusa in humido aqueo per liquefactionem, reducens potentiam gustatiuam in actum gustandi.* Ex hac definitione inferuntur primo 4. causæ saporis. Causa efficiens est corpus sapidum. Est autem corpus sapidum, *corpus siccum siccitate præcipuè terrestri à calore concoctum, ab humido aqueo liquefactibile, ac per hoc diffusiuum saporis.* Probatur inductione; ac primo, quod corpora sapida sint sicca siccitate terrestri, ac liquefactibilia ab humido aqueo; nam sal, & saccarum, & alia huiusmodi sunt sicca siccitate terrestri, & dum liquefiunt in aqua, reddunt illam salsam, dulcem, &c. Confirmatur, quia aquæ fontanæ transeuntes per corpora terrestria sicca ex illorum liquefactione contrahunt varios sapores, ac fiunt salsæ, si transeant per sal, fiunt amaræ, si transeant per corpus amarum, fiunt acidę, si transeant per aliquid terreum acidum; ergo &c. Confirmatur vlterius, quia sensus gustus non percipit saporem corporis sicci, nisi corpus siccum liquefiat ab humido linguę; ideoque ęgroti cum habent linguam aridam, ac proinde non liquefacientem corpus sapidum, non percipiunt saporem;

ergo

ergo corpus ſiccum diffundit ſaporem in humido aqueo, dum in illo lipueſit. Hinc poteſt inferri, quod liquores ſapidi, vt vinum, acetum, &c. ſaporem contrahunt per hoc, quod in humido aqueo liquefa- ctum ſit aliquid ſiccum terreum.

Simili inductione probatur, quod cor- pora ſapida ſint corpora ſicca aliqualiter à calore concocta, & quod ex varia con- coctione varij ſapores reſultant. Primo enim cum artificiosè coquuntur poma, carnes, piſces, &c. ex varia coctione contrahunt varios ſapores; alius eſt enim ſapor pomi crudi, alius ſemicrudi, alius perfectè cocti, alius exuſti; idem propor- tionaliter dic de carnibus, piſcibus, &c. 2. etiam natura varia coctione varios rebus ſapores impertit; alius eſt enim ſapor po- mi immaturi, ac nondum concocti à ca- lore ſolari, vel vitali plantæ; alius pomi maturi; alius cum proter nimiam maturi- tatem aceſcit; alius cum computruerit. Ex varia ſimiliter concoctione diuerſæ partes eiuſdem arboris habent ſapores diuerſos, cum alius ſit ſapor radicis, cor- ticis, floris, frondis, medullæ, fructus, &c. Iam ſicut arbores, dum nutrimentum ter- reum concoquunt, & tranſmutant in ſuam ſubſtantiam, varios illi ſapores tribuunt, ſic animalia, dum nutriuntur ex pomis, vel alijs eſcis, pro varia concoctione di- uer-

uersos illis sapores impertiunt; ali
enim est sapor chyli, alius sanguinis, ali
carnis, & partium diuersarum, vt hepat
cordis, cerebri, &c. Confirmatur, quia
si diuersa animalia vtantur eodem nut
mento, adhuc generant sanguinem, ca
nes &c. diuersi saporis; ergo diuersit
saporum oritur ex diuersa concoctione
per actionem caloris ignei, cęlestis, a
vitalis. Idem proportionaliter euenit
plãtis. Nam licet diuersæ arbores traha
ex terra nutrimentum commune, & h
mogeneum, per diuersam concoctione
producunt fructus habentes sapores het
rogeneos.

Causa materialis saporis est humidu
aqueum; hoc enim redditur proximè s
porosum à sicco terreo liquefacto, n
possumus sentire saporem, nisi in humid
aqueo. Vt sapores discernamus, húmidu
aqueum linguę non debet esse imbutum
alio sapore, quam corporis, quod gust
mus. Hinc oritur, vt cum ægroti habe
humidum aqueum linguę imbutum sapor
amaro, vel alio, non discernant sapore
ciborum, sed omnia videantur illis ama
ra.

Causa formalis est ipsa qualitas saporis
Causa finalis est sensatio gustationis. V
terior causa finalis est, vt per sapores po
sit animal discernere nutrimentum conue
niens

niens ab inconueniente. Sapor enim est veluti condimentum nutrimenti. Vt enim nutrimentum, quod est animali necessarium, esset etiam delectabile, ac per delectationem alliceret animal ad nutrimentum sumendum, natura condiuit illud sapore.

Species saporum sunt dulce, amarum; pingue, salsum, acre, acutum, acidum, siue acetosum, austerum acerbum; ex quorum permistione possunt alij sapores oriri. Sicut species colorum oriuntur ex permistione lucidi cum opaco, sic species saporum oriuntur ex permistione humidi cum sicco per actionem caloris diuersimodè concoquentis, ac digerentis. Sicut albedo, & nigredo sunt colores extremè contrarij, per quorum mistionem, vel participationem constituuntur colores medij, sic dulcedo, & amarities sunt sapores extremè contrarij, per quorum mistionem, vel participationem resultant sapores medij. Sicut albedo, & nigredo opponuntur quodammodo sicut forma, & priuatio; nigredo enim consistit in luce pene totaliter obscurata ab opacitate, ideoque est opacitas luce priuata; sic dulcedo, & amarities opponuntur sicut forma, & priuatio, vt iam explicabitur. Sapor dulcis est, qui oritur ex sicco perfectè temperato cum humido per actionem caloris mode-

rati

rati perfectè concoquentis. Perfecta concoctio consistit in hoc, vt euaporet humidum subtile, crassum verò remaneat, ac conuenienter terminetur. Sapor amarus est, qui resultat ex sicco crasso, priuato pene totaliter humido, tum subtili, tum crasso per actionem caloris exurentis. Sicut igitur corpus cõstituitur nigrum, cum pene totaliter priuatur luce per obscurationem causatam à corporis opacitate; sic constituitur amarum, cum siccum terreum penè totaliter priuatur humiditate absumpta à calore comburente. Hinc oritur, vt corpora combusta contrahant quandam amaritiem. Affine dulci est pingue, & salsum est affine amaro. Pingue enim est siccum, in quo remanet multum humidi subtilioris ex debiliori calore minus concoquente, cuiusmodi est butyrum, oleum, &c. Salsum est, in quo humidum non est totaliter absumptum propter minorem excessum caloris minus exurentis. Acer, siue acutus, qualis est sapor piperis, allij, &c. est siccum magis subtile, ac igneum, separato penè toto humido. Sicut amarum, & salsum oritur ex calore quasi comburente, ac separante penè totaliter humidum à sicco crasso, & terrestri, sic sapor acer, seu acutus oritur ex combustione caloris separantis humidum à sicco magis spiritoso, & igneo: ideoque

rum. In animalibus igitur habentibus pulmones, & respirantibus, natura vtitur respiratione ad duplex munus: primo vt aer respiratus permeet substantiam cerebri, & cordis; secundo vt attrahatur aer odorosus ad organum odoratus, & causetur odoratio. Hinc oritur, vt alia animalia non olfaciant, nisi respirando; animalia verò, quæ quia carent pulmonibus, non respirant, vt pisces, apes, & insecta, habeant odoratum apertum, nec clausum operculo, ideòque olfaciant sine vlla respiratione, vt docet Aristoteles cap. de odore, & Fernelius lib. 5. cap. 10. & alij. E conuerso animalia respirantia habent organum odoratus clausum quodam operculo, quod aperitur, dum respirando attrahitur aer.

Ad 1. Concedo, quod corpus odorosum sit corpus resolubile in tenues halitus, & quod quia corpora viuentia continent maiorem copiam talium halituum, magis sint odorosa, præsertim cum habeant calorem vitalem, cuius actione fit halituum resolutio; sed dico, quod halitus odorosi sunt quidem vehicula deferentia, ac diffundentia odorem, sed non sunt ipse formalis odor, eo pacto, quo spiritus vitales sunt quidem vehiculum deferens, ac diffundens calorem vitalem per totum corpus animalis, sed non sunt

ipse,

ipse, formalis calor. Quod verò odor sit qualitas distincta à spiritibus, probatur tum paritate caloris, & aliarum qualitatum; tum quia vt docet S. Tho. lect. 20 in secundum de Anima, odor cadaueris vsque ad quingenta milliaria, & amplius à vulturibus sentitur; impossibile autem est, quod aliqua fumalis euaporatio cadaueris vsque ad tantum spatium diffundatur, præcipuè cum sensibile immutet medium vndique secundum eandem distantiam, nisi impediatur; non autem sufficeret ad occupandum tantum spatium, etiamsi totum cadauer resolueretur in fumalem euaporationem, cum sit certus terminus rarefactionis, qui est raritas ignis, & præcipuè cum per huiusmodi odorem cadauer non appareat sensibiliter immutatum. Dicendum igitur, quod licet halitus odorosi valdè diffundantur, non tamen implent totum spatium, sed diffundunt sphæricè odorem, qui est qualitas implens totum spatium, eo pacto, quo spiritus vitales diffundunt calorem, qui est qualitas afficiens totum corpus, & singulas eius partes.

Hinc patet ad omnes confirmationes. Solum enim probant ad diffusionem odorum requiri resolutionem corporis in quosdam halitus, qui deinde diffundunt odorem, nullo verò pacto probant, quod

odores sint ipsimet halitus. Hinc oritur, v[el] venti deferentes halitus, vel impedientes motum halituum, iuuent ad diffusionem odorum, vel talem diffusionem impediant.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum conuenienter assignetur obiectum, species, medium, & organum gustus.

VIdetur, quod sapor non sit qualitas secunda orta ex certo temperamento primarum qualitatum: primo quia vt obijcit Cabæus in tex. 19. lib 2. meteor. quęst. 4. si ex tali temperamento e. g. oritur sapor dulcis, ex alio temperamento sapor amarus, ex quocunque temperamento diuerso deberet oriri proportionaliter aliquis sapor, eo pacto, quo ex quacunque mistione lucidi cum opaco resultat aliquis color; sed non ex quolibet temperamento oritur aliquis sapor: multa enim mista licet habeant certum temperamentum, sunt omninò insipida, & sapore carentia; ergo sapor non est qualitas orta ex temperamento.

2. Idem sapor conuenit rebus habentibus temperamentum contrarium: e. g. ple-

pleraque amara habent temperamentum calidum, & tamen cichoria, & aliæ quędam herbę sunt amaræ, & frigidæ; plures etiam fructus immaturi sunt amari licet immaturitas oriatur ex frigiditate aciditas aliquando coniungitur cum temperamento calido, aliquando cum frigido, &c; ergo sapores non sunt qualitates ortæ ex temperamento: alioquin omnia, quæ sunt prædita simili temperamento; essent prædita simili sapore.

3. Videtur vera sententia eiusdem Cabæi, quod diuersi sapores oriantur potius ex diuersis salibus. Patet enim experientia, quod vnaquaque res constat ex tribus, quæ à Chymicis vocantur sal, sulphur, & Mercurius: sal est pars consistens, & fixa; sulphur pars spiritosa, & volatica; Mercurius pars humida, quę ad modum glutinis sulphur spiritosum, & volaticum copulat sali fixo, & consistenti; sed constat etiam experientia, quod ex diuersis corporibus diuersi sales extrahuntur, ac diuersorum saporum, alij amari, vt cinis, alij dulces, vt saccarum, quod est quoddam sal, alij salsi, vt sal vsuale, &c. tales autem sales, quia in humido resoluuntur, dum linguam tangunt, ab eius humido resoluti causant illam passionem, quam vocamus gustum: ergo diuersi sapores consistunt in diuersis salibus, ex

quorum etiam permistione possunt oriri sapores medij. Hinc verò videtur, quod sapor non sit qualitas accidentalis, sed sit ipsa substantia talium salium tangentium, ac vellicantium palatum: à fortiori videtur, quod non dentur species inteutionales gustabiles.

4. Videtur, quod gustus non sit sensus distinctus à tactu, sed sit quidam tactus. Non enim gustamus nisi tangendo; ergo gustus est quidam tactus. Nec dicas, quod gustus differt à tactu, inquantum tactus percipit qualitates primas, gustus percipit sapores, qui sunt qualitates secundę; nam tactus non solum percipit primas qualitates, sed etiam duritiem, mollitiem, & plures alias qualitates secundas; ergo ex eo, quod gustus percipiat sapores, qui sunt qualitates secundę, non sequitur, quod differat à tactu.

Quinto, si opponatur, quod tactus diffusus est toto corpore, gustus autem est in vna tantum parte, nimirum in palato, vel lingua, contrà est, quia gustus est potentia passiua à sapore; sed talis potentia datur in toto corpore; ergo gustus datur in toto corpore. Probatur minor: si enim vulneri existenti iu quacunque corporis parte infundantur corpora diuersorum saporum, percipimus eorum diuersitatem: e. g. si infundatur sal, diuersam sensationem

nem elicimus, ac si infundatur acetum, vinum, aut oleum, aut cinis; ergo in omnibus partibus corporis datur vis passiua à sapore, inquantum est sapor; ergo in omnibus partibus corporis datur gustus, licet gustus excellentior detur in lingua, & in eius acumine.

Resp. quod de saporibus, & gustu disputat Aristoteles secundo de anima, à tex. 101. ad 106. & lib. de sensu, & sensili, cap. de sapore. Præmittit sapores, & odores habere naturam valdè affinem, notiorem tamen nobis esse naturam saporum, quàm odorum, quia sicut habemus odoratum imperfectissimum, ità habemus tactum perfectissimum, & exquisitissimum; sed gustus est quidam tactus; ergo etiam sensus gustus est in nobis valdè perfectus, & exquisitus. Quod homo habeat tactum perfectissimum omnium animalium, probat, quia inter homines qui habent tactum perfectiorem sunt ingeniosiores, & prudentiores; *duri enim tactu, inepti mente; molles autem tactu, benè apti*; ergo inter animalia, quæ habent tactum perfectiorem sunt prudentiora; sed homo est prudentissimus animalium; ergo habet tactum perfectissimum, & exquisitissimum. Confirmatur, videmus enim, quod homo magis patitur à calore, & frigore, & ab intemperie ambientis, quam cætera animalia. Ratio

à prio-

à priori est, quia perfectissimum animal debuit habere perfectissimam vim sensitiuam simpliciter; sed vis sensitiua simpliciter est vis tactiua: est enim prima animali necessaria, ac sola diffusa est per totum corpus; ergo homo, qui est perfectissimum animal, debuit habere perfectissimam vim tactiuam. Confirmatur, quia perfectissimum animal debuit habere corpus optimè temperatum, & complexionatum; sed ex optima complexione, & temperamento corporis oritur perfectio virtutis tactiuę, vt dicetur cap. sequenti; ergo &c. Et quia perfectio virtutis interioris sequitur ex perfectione virtutis corporeę, & exterioris, in homine perfectio intelligendi, dum est in corpore, proportionatur perfectioni tangendi. Quod homo habeat gustum perfectiorem cæteris animalibus, probatur ratione speciali; alia enim animalia non tam appetunt alimentum sapidum, quam repletiuum, & communiter vtuntur escis valdè simplicibus: solus homo appetit escas valdè sapidas in omni genere fructuum, herbarum, carnium, piscium, &c.

Iam quia sapores, & odores sunt affines secundum naturam, circà sapores, & gustum proportionaliter explicanda sunt illa quinque, quæ sunt explicata circà odorem, & odoratum. Et primo explicandum

dum, quid sit sapor, quę saporis causæ, differentiæ. Sapor ex doctrina Aristotelis lib. de sensu, & sensili, cap. de sapore describi potest, *qualitas à corpore sicco terrestri, à calore concocto diffusa in humido aqueo per liquefactionem, reducens potentiam gustatiuam in actum gustandi.* Ex hac definitione inferuntur primo 4. causæ saporis. Causa efficiens est corpus sapidum. Est autem corpus sapidum, *corpus siccum siccitate præcipuè terrestri à calore concoctum, ab humido aqueo liquefactibile, ac per hoc diffusiuum saporis.* Probatur inductione; ac primo quod corpora sapida sint sicca siccitate terrestri, ac liquefactibilia ab humido aqueo; nam sal, & saccarum, & alia huiusmodi sunt sicca siccitate terrestri, & dum liquefiunt in aqua, reddunt illam salsam, dulcem, &c. Confirmatur, quia aquæ fontanæ transeuntes per corpora terrestria sicca ex illorum liquefactione contrahunt varios sapores, ac fiunt salsæ, si transeant per sal, fiunt amaræ, si transeant per corpus amarum, fiunt acidę, si transeant per aliquid terreum acidum; ergo &c. Confirmatur vlterius, quia sensus gustus non percipit saporem corporis sicci, nisi corpus siccum liquefiat ab humido linguę; ideoque ęgroti cum habent linguam aridam, ac proinde non liquefacientem corpus sapidum, non percipiunt saporem;

ergo corpus siccum diffundit saporem in humido aqueo, dum in illo lipuesit. Hinc potest inferri, quod liquores sapidi, vt vinum, acetum, &c. saporem contrahunt per hoc, quod in humido aqueo liquefactum sit aliquid siccum terreum.

Simili inductione probatur, quod corpora sapida sint corpora sicca aliqualiter à calore concocta, & quod ex varia concoctione varij sapores resultant. Primo enim cum artificiosè coquuntur poma, carnes, pisces, &c. ex varia coctione contrahunt varios sapores; alius est enim sapor pomi crudi, alius semicrudi, alius perfectè cocti, alius exusti; idem proportionaliter dic de carnibus, piscibus, &c. 2. etiam natura varia coctione varios rebus sapores impertit; alius est enim sapor pomi immaturi, ac nondum concocti à calore solari, vel vitali plantæ; alius pomi maturi; alius cum proter nimiam maturitatem acescit; alius cum computruerit. Ex varia similiter concoctione diuersæ partes eiusdem arboris habent sapores diuersos; cum alius sit sapor radicis, corticis, floris, frondis, medullæ, fructus, &c. Iam sicut arbores, dum nutrimentum terreum concoquunt, & transmutant in suam substantiam, varios illi sapores tribuunt, sic animalia, dum nutriuntur ex pomis, vel alijs escis, pro varia concoctione diuer-

uersos illis sapores impertiunt; alius enim est sapor chyli, alius sanguinis, alius carnis, & partium diuersarum, vt hepatis, cordis, cerebri, &c. Confirmatur, quia, si diuersa animalia vtantur eodem nutrimento, adhuc generant sanguinem, carnes &c. diuersi saporis; ergo diuersitas saporum oritur ex diuersa concoctione, per actionem caloris ignei, cęlestis, aut vitalis. Idem proportionaliter euenit in plãtis. Nam licet diuersæ arbores trahant ex terra nutrimentum commune, & homogeneum, per diuersam concoctionem producunt fructus habentes sapores heterogeneos.

Causa materialis saporis est humidum aqueum; hoc enim redditur proximè saporosum à sicco terreo liquefacto, nec possumus sentire saporem, nisi in humido aqueo. Vt sapores discernamus, humidum aqueum linguę non debet esse imbutum, alio sapore, quam corporis, quod gustamus. Hinc oritur, vt cum ægroti habent humidum aqueum linguę imbutum sapore amaro, vel alio, non discernant saporem ciborum, sed omnia videantur illis amara.

Causa formalis est ipsa qualitas saporis. Causa finalis est sensatio gustationis. Vlterior causa finalis est, vt per sapores possit animal discernere nutrimentum conueniens

ati perfectè concoquentis. Perfecta concoctio consistit in hoc, vt euaporet humidum subtile, crassum verò remaneat, ac conuenienter terminetur. Sapor amarus est, qui resultat ex sicco crasso, priuato pene totaliter humido, tum subtili, tum crasso per actionem caloris exurentis. Sicut igitur corpus cõstituitur nigrum, cum pene totaliter priuatur luce per obscurationem causatam à corporis opacitate; sic constituitur amarum, cum siccum terreum penè totaliter priuatur humiditate absumpta à calore comburente. Hinc oritur, vt corpora combusta contrahant quandam amaritiem. Affine dulci est pingue, & salsum est affine amaro. Pingue enim est siccum, in quo remanet multum humidi subtilioris ex debiliori calore minus concoquente, cuiusmodi est butyrum, oleum, &c. Salsum est, in quo humidum non est totaliter absumptum propter minorem excessum caloris minus exurentis. Acer, siue acutus, qualis est sapor piperis, allij, &c. est siccum magis subtile, ac igneum, separato penè toto humido. Sicut amarum, & salsum oritur ex calore quasi comburente, ac separante penè totaliter humidum à sicco crasso, & terrestri, sic sapor acer, seu acutus oritur ex combustione caloris separantis humidum à sicco magis spiritoso, & igneo: ideo-

que

ue incidit, ac rodit propter subtilitatem, c siccitatem igneam. Tres alij sapores, austerus, acerbus, & acetosus oriuntur ex ndigestione opposita combustioni causata propter debilitatem caloris, & abundantiam frigiditatis. Sapor austerus, qualis est n malis cydonijs, seu coroneis, qui ex asperat, est sapor ortus ex sicco imperfectè concocto propter defectum caloris. Acerbus, qualis est in pomis immaturis, est sapor ortus ex sicco admisto cum humido abundantiore imperfectè concocto ex defectu caloris. Demum sapor acetosus oritur ex plurimo humido propter frigiditatem indigesto, ac non conuenienter terminato cum sicco. Hinc habes, cur cibus in stomacho aliquando acescat. Ratio est, quia humidum abundans propter frigiditatem impeditur à debita concoctione. Ex proportionali ratione vinum, exhalantibus spiritibus calidis, debilitato calore concoquente, degenerat in acetum.

Notat Aristoteles, quod omnia aluntur dulci, vel simplici, ac puro, vel permisto cum aliquo alio sapore, tanquam cum condimento. Probat: nam ea parte pabuli nutriuntur viuentia, quam attrahunt, non autem illa, quam expellunt; sed viuentia attrahunt partem dulcem alimenti, amaram verò expellunt in excrementis; ergo

ergo .. Minorem probat, primo, quia quod facit calor solaris in partibus vniuersi, facit proportionaliter in viuentibus calor vitalis; sed calor solaris attrahit partem leuem, & dulcem, partem verò grauem, & salsam relinquit, ideòque vapores attracti ex aqua maris salsa resoluuntur in pluuias dulces, vel insipidas; ergo etiam calor vitalis in viuentibus attrahit partem leuem, puram, & dulcem alimenti; partem verò grauem, amaram, & salsam relinquit, & expellit. Probat 2. inductione. Nam sanguis, qui est alimentum proximum animalis, est dulcis, excrementa verò omnia, vt fæces, quę sunt excrementa chyli, vrina, quæ est excrementum sanguinis, & similiter flaua, & atra bilis, habent aliquam amaritiem: pituita verò est insipida, & hæc facile conuertitur in sanguinem dulcem, ac deinde nutrit; ergo animalia nutriuntur dulci, amarum verò, vel salsum expellunt. Ex chylo igitur hepar per venas lacteas trahit partem leuem, & dulcem, fæces amaras expellit per intestina; ex sanguine venę trahunt partem puram, & dulcem, flauam, & atram bilem amaram expellunt ad bursam fellis, & lyenem; ex venis maioribus venæ minores, & capillares, trahunt partem puriorem, & dulciorem, vrina amara per venas emulgentes

tes expulsa ad renes, vesicam, &c. Ex venis capillaribus partes animatæ trahunt rorem quendam, ac veluti florem sanguinis puriorem, ac dulciorem, partem amaram, ac salsam expellunt per sudores, qui etiam sunt amari, ac salsi, & per alias insensibiles expirationes; ergo verum est vniuersim, quod animal nutritur dulci, idemque proportionaliter contingit in plantis. Addit Aristoteles, quod alij sapores, vt salsus, acidus, & acer commiscentur dulci condimenti gratia. Dulce enim est nimis repletiuum, ac nimis nutrit, congeritur, & meatus obstruit; ergo vt nutriat moderatè, & non nimis repleat, & obstruat meatus necessarios ad transpirationem, & ad alios vsus, temperandum est salso, acido, vel etiam amaro; ideòque sanguis in venis temperatur admistione vtriusque bilis, & etiam vrinæ in parua copia.

Quoad alias quæstiones de speciebus intentionalibus, organo, ac medio gustus, dicendum, quod gustus percipit sapores per species intentionales, tum ex rationibus vniuersalibus suprà allatis, tum quia lingua vt melius discernat sapores carere debet saporibus secundum esse reale, ideoque cum contrà naturam alteratur ità, vt contrahat saporem proprium, amittit perfectam vim discretiuam saporum;

rum ; ergo debet sapores recipere secundum esse intentionale. Organum gustus est lingua, vt cum Aristotele docet communis omnium opinio. Patet experientia; nam applicato gustabili ad linguam, sequitur gustatio. Confirmatur; nam lingua est laxa, & fungosa, vt imbibat humorem aqueum, qui est vehiculum saporis, & sic moueatur ad actum gustandi, eo pacto, quo carunculę mamillares imbibentes aerem odorosum, qui est vehiculum odoris, moueantur ad odorandum. Constat etiam experientia, quod gustatus saltem perfectè fit in primori parte linguæ, ideoque vt cito sapores discernamus, debemus illos tangere per extremitatem linguę. Ratio à priori est, quia vt cibi noxij possent statim repelli, sensus iudex saporum debuit constitui in ipso oris introitu, hoc est in linguæ extremitate. Medium, per quod lingua mouetur à gustabili, potest assignari humor aqueus, seu linguę saliua. Vt enim sapor moueat gustum, debet saliua reddi sapida, ideoque dum lingua est arida, ac carens saliua, non sentimus saporem cibi. Addo, quod gustus inquantum est quidam tactus non elicit sensationem per medium separatum, sed per coniunctum, quod est caro, vt patebit qu. seq.

Ad 1. Ex eo, quod sapores oriantur ex temperamento, non sequitur, quod ex quolibet

libet

libet temperamento oriatur aliquis ſapor. Poteſt enim ex quibuſdam temperamentis oriri ſapor, ex alijs non, eo pacto, quo ex quibuſdam temperamentis oritur color, ex alijs non, ideoque non omnia miſta ſunt colorata. Addo, quod licet aliqua miſta videantur inſipida, fortaſſe non ſunt omninò inſipida, ſed non ſatis guſtum mouent propter exiguitatem ſaporis, & quia non ſunt ſatis liquefactibilia ab humido linguę, pro vt requireretur ad ſaporem diffundendum.

Ad 2. Sapores principaliter, & proximè reſultant ex miſtione humidi, & ſicci, terrei, & aquei ſecundum varios gradus concoctionis; ex calore vero, & frigore reſultant remotè, inquantum calor & frigus cauſant varios gradus concoctionis, & miſtionis: ergo cum poſſit contingere, vt ea, in quibus datur ſimilis permiſtio ſicci, & humidi, & ſimilis concoctio, modo ſint calida, modo frigida, poteſt etiam contingere, vt quæ ſunt ſimili ſapore prædita, aliquando ſint calida, aliquãndo frigida. Addo, quod fortaſſe cichoria eſt amara per hoc, quod in illa ſint aliquæ particulæ amarę, quę particulę ſunt calidæ, licet cichoria ſimpliciter ſit frigida, quia pleræque partes ſunt frigidę.

Ad 3. Licet admittamus cum chymicis

nnia mista componi ex sale, Mercurio, : sulphure, tamen hæc non sunt corpora nplicia, & elementaria, sed mista, & ompo sita ex quatuor primis elementis, rra, aqua, aere, & igne, licet in sale abunet terra maxima ex parte, in Mercurio qua, in sulphure ignis; ergo licet varij iles varios habeant, ac diffundant sapoes, adhuc est quærendum, quod sit temeramentum talium salium, ex quo ipsoum sapores resultent: e. g. quod sit temeramentnm saccari, ex quo resultat sapor lulcis; quod temperamentum salis comnunis, ex quo resultat sapor salsus, &c. Nisi verò hoc explicetur, sed solum dicatur, quod varij sapores oriuntur ex liquefactione varlorum salium, non explicatur natura, & causæ saporum, eo pacto, quo dicendo, quod aqua marina constituitur salsa per sal liquefactum, proculdubio non explicatur natura saporis salsi. Confirmatur, quia cum poma acerba iam ex arbore decerpta maturescunt per concoctionem vi caloris vitalis, sapores mutantur, & tamen non accipiunt nouum salem; ergo mutatio saporis fit per concoctionem sine nouo sale. Idem dic, cum poma coquuntur igne, & per coctionem mutant saporem.

Ad 4. Gustus dicitur tactus, non quod sit sensus non distinctus à tactu, sed quia

non percipit gustabile, nisi tangendo. Quia tamen aliud est tangere gustabile, aliud gustare, ideo sensus gustus est diuersus à sensu tactus. Quod gustus sit diuersus à tactu, probatur primo, quia tactus est in toto corpore, gustus est solum in vna parte, sicut visus, auditus, &c. ergo sensus gustus est diuersus à tactu, non minus quam visus, auditus, &c. 2. licet tactu possimus discernere, vtrum aliquid sit calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum, durum, vel molle, asperum, vel leue, non possumus tamen discernere, vtrum sit dulce, vel amarum, pingue, vel salsum, sicut non possumus discernere, vtrum sit album, vel nigrum; ergo sensus discretiuus saporum, distinguitur à tactu, non minus, quam sensus discretiuus colorum, & hęc diuersitas est per se nota ex ipsa experientia. Licet igitur tactus sit sensus perceptiuus etiam aliquarum qualitatum secundarum, non tamen est perceptiuus saporum, sicut nec colorum, odorum, &c.

Ad 5. Cum sal, oleum, vinum, acetum infunduntur vulneri, percipimus quidem tactu acrimoniam, & alias qualitates tangibiles talium corporum, sapores verò nullo pacto percipimus. Proculdubio enim est diuersa sensatio vini, vel olei, quam facimus in lingua, ac quam for-

ma-

mamus in vulnere; ergo ſenſus guſtus non eſt diffuſus toto corpore, ſicut tactus, ideoque eſt diuerſus à tactu.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrũ conuenienter aſſignetur obiectum, ſpecies, medium, & organum Tactus.

VIdetur, quod non conuenienter aſſignetur organum tactus. Organum enim debet eſſe denudatum à ſenſibili, eo pacto, quo organum viſus debet carere colore; ſed non eſt aſſignabile organum, quod careat omni tangibili; omne enim corporeum conſtat ex temperamento qualitatum tangibilium, caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis: ergo.

Reſpondeo, quod de tactu, & tangibili diſputat Ariſtoteles 2. de anima, à tex. 106. vſque ad 121. & lib. de ſenſu, & ſenſili, non multo poſt initium. Ex doctrina philoſophi virtus ſenſitiua, & virtus, ſeu qualitas ſenſibilis, ac mouens ad ſentiendum proportionantur. Sicut enim ſe habet qualitas, & virtus ſenſibilis ad corpus ſenſibile, ità ſe habet virtus ſenſitiua, hoc eſt ſenſus ad animal, ſeu corpus ſenſitiuum. Iam virtutes, & quali-

tates ſenſibiles diuiduntur in primas, & ſecundas, vt dictum eſt quæſt. de Elem.

Proportionaliter ſenſus, & virtutes ſenſitiuæ diuiduntur in primas, & ſecundas. Virtus ſenſitiua prima, & fundamentalis eſt, quæ percipit ſenſibilia primo, & per ſe ſpectantia ad conſtitutionem animalis, quatenus animal eſt, & corporis naturalis, quatenus naturale eſt; & quia talia ſenſibilia ſunt 4. primæ qualitates, ideò prima virtus ſenſitiua, & ſenſus fundamentalis eſt, qui percipit 4. primas qualitates; talis sensus eſt tactus; ergo sensus primus, & fundamentalis eſt tactus; & quia temperamentum primarum qualitatum eſt neceſſarius corpori omni, & semper, cum nullum corpus ne puncto quidem temporis conſeruari poſſit ſine temperamento, ideo sensus tactus eſt neceſſarius animali omni, & semper, ità vt ne puncto quidem temporis poſſit animal conſeruari ſine sensu tactus; & ex eadem ratione tactus diffuſus eſt in toto corpore animalis: Virtutes senſitiuæ secundæ, & fundatę in sensu priori sunt, quæ percipiunt qualitates, seu virtutes senſibiles ſecundas, & fundatas in quatuor primis qualitatibus: & quia sapores, odores, soni, & colores sunt qualitates senſibiles secundę fundatæ in quatuor primis, vt dictum eſt qu. 3. de elem: ideò visus, auditus, odo-

odoratus, & gustus sunt sensus secundi, & fundati in tactu, ac proinde non diffusi toto corpore, nec omnes necessarij cuilibet animali, nec semper.

Ex his quatuor sensibus gustus necessarius est omni animali. Animal enim omne est corpus sensitiuũ mistum nutribile. Inquantum est corpus mistum, conseruari nequit sine temperamento primarum qualitatum, ideoque indiget sensu tactus, quo dignoscat temperamentum conueniens, & conseruans, & inconueniens, ac corrumpens. Inquantum est nutribile, indiget gustu, quo discernat nutrimentum delectabile, & conueniens, vel molestum, & inconueniens, ideoque in omni animali sicut datur os, vel alia pars proportionalis, qua sumat alimentum, sic datur gustus, quo alimentum discernat: & hi duo sensus percipiunt sensibile præsens, ac tangens, & sentiunt per medium coniunctum. Tres alij sensus percipientes sensibile remotum, & per medium separatum dantur solum in animalibus progressiuis, tum ex fine necessitatis, tum ex fine boni melioris, ac vitæ perfectioris. Ex fine necessitatis, quia animalia progressiua non habent nutrimentum sufficiens in loco, in quo nascuntur, sicut plantę, ac zoophyta; ergo sicut indigent potentia progressiua, per quam possint

quærere nutrimentum in alijs locis, ità indigent sensibus, quibus possint pręcognoscere nutrimentum distans, atque illud persequi. Deseruiunt etiam tales sensus animali, vt pręsẽtiens corruptiua fugiat, eo pacto, quo canis præsentiens ictum lapidis, aut baculi, fugit. Ad finem persequendi alimentum distans, proximè deseruit odoratus, quia odor est affinis sapori, vt dictum est, & consequitur nutrimentum, ideoque sicut gustus est sensus nutrimẽti propinqui, & tangentis, sic odoratus est sensus nutrimenti remoti, ac distantis. Ad finem melioris boni, & perfectioris vitę, nimirum contemplatiuæ, & actiuæ, hoc est directiuę actionum per quandam prudentiam deseruiunt homini, & animalibus perfectioribus præsertim duo sensus, nimirum auditus, & visus. Homo enim per istos duos sensus fit simpliciter prudens in vita actiua & acquirit scientias contemplatiuas; animalia perfectiora, vt canis, formica, equus, &c. acquirunt aliqualem prudentiam directiuam ad quasdam actiones singulares, v. g. equus acquirit peritiam pugnandi, formica congregat alimenta æstate pro hieme; scientias verò nullo pacto acquirunt, cum in brutis nulla detur participatio vitę contemplatiuę. Ad prudentiam autem, & scientiam pręcipuè conducunt audi-

auditus,& visus, quia percipiunt plurimas differentias sensibilium, cum eorum obiecta inueniantur in omnibus corporibus, vtpotè consequentia ex motu locali, & luce, quæ sunt accidentia communia corporibus superioribus, & inferioribus, cum tres alij sensus percipiant sensibilia competentia solis corporibus inferioribus. Addit Aristoteles, quod ad necessitatem vitę visus est melior per se, ad intelligentiam, & prudentiam auditus est melior per accidens. Ratio est, quia visus cognoscit differentias visibiles, quæ sunt plurimę, & corporum communissimę, & pręterea vtpotè sensus pręstantissimus optimè discernit sensibilia communia, nimirum magnitudinem, motum, quietem, figuram, & numerum; at auditus solum percipit differentias sonorum, quæ sunt paucę. Per accidens tamen ad prudentiam, & scientiam magis conducit auditus, quia per voces significatiuas apprehendimus disciplinas ab alijs. Hinc oritur, vt cæci à natiuitate sint multo prudentiores, ac sapientiores surdis, ac mutis à natiuitate. Necesse est autem, vt omnes surdi à natiuitate sint muti, quia nō possunt addiscere vllam linguā: at non necesse est è conuerso, vt muti à natiuitate sint surdi, quia ex impedimento linguę non sequitur, quod potentia auditiua sit impedita.

Iam descendendo magis in particulari ad doctrinam de tactu, docet Aristoteles 2. de anima à tex. 106 ad 113. tactum esse sensum vnum genere, sed tot esse specie tactus, quot sunt contrarietates tangibiles. Probat inductione aliorum sensuum. Omnis enim sensus vnius contrarietatis esse videtur, vt visus albi, & nigri; auditus grauis, & acuti; gustus amari, & dulcis; in tangibili autem multæ sunt contrarietates, calidum, frigidum, humidum, siccum, durum molle. Confirmatur, quia vnus sensus debet esse de vno sensibili; optimè autem apparet, quo pacto sit de vnico sensibili, si est solum de ijs, quæ continentur in vnica contrarietate inter duo extrema, quorum alterum se habet, vt forma, & vt sensibile perfectum, alterum vt priuatio, & vt sensibile deficiens; e. g. visus est perceptiuus lucis, quæ est visibile perfectum; & quia omnes colores sunt quædam lux imperfecta, & deficiens, & aliqualiter obscurata ab opacitate corporis, ideo visus est perceptiuus omnium colorum. Virtus enim perceptiua perfecti à fortiori est perceptiua deficientis, quod continetur in perfecto: idem dic de auditu, & de cæteris sensibus; sed tactus est perceptiuus calidi perfecti; ergo & calidi deficientis propter admistionem frigoris; ergo & frigidi; ergo vnus sen-

sus

ſus eſt perceptiuus calidi, & frigidi, & omnium mediorum; ſed humidum, & ſiccum non ſpectant vllo pacto ad contrarietatem calidi, & frigidi, ſed conſtituunt diuerſam contrarietatem; ergo non ſpectant ad eundem ſenſum, ſed conſtituunt tactum diuerſum. Confirmatur vlterius, quia ſenſus tactus eſt omnium maximè materialis; ſed viſus, & auditus, qui ſunt minus materiales, quam tactus, non poſſunt per eandem virtutem ſenſitiuam extendi, niſi ad vnicam contrarietatem; ergo à fortiori ſenſus tactus per eandem ſpecie virtutem ſenſitiuam non poterit extendi, niſi ad vnicam contrarietatem. Abſurdum eſt enim, quod virtus magis materialis, & contracta, poſſit ſe extendere etiam ab ſenſibilia diſparata, cum virtus minus materialis poſſit ſolum ſe extendere ad ſenſibilia contenta in vnica contrarietate.

Quod facit æquiuocationem in hac materia eſt, quia ſenſus perceptiui diuerſarum qualitatum tangibilium ſemper ſunt vnum ſubiecto, & organo, cum ſemper inueniantur coniuncti in quacunque parte corporis; nulla enim eſt pars corporis perceptiua calidi, & frigidi, quę non ſit perceptiua humidi, & ſicci; ergo ſicut ſi guſtus eſſet in qualibet corporis parte, confunderetur cum tactu, ità varij tactus

onfunduntur inter se propter identita-
em subiecti, & organi, licet rationes
robantes diuersitatem virtutis tactiuæ
nt eędem, ac rationes probantes diuer-
tatem aliorum sensuum, desumptæ nimi-
um ex diuersitatem tangibilium non con-
entorum in eadem contrarietate. Sensus
gitur tactus potest sumi dupliciter. Pri-
no prout comprehendit gustum, & est
ensus, qui mutatur à sensibili per conta-
tum; & quia etiam gustus mutatur à gu-
tabili per contactum, ideò gustus com-
rehenditur sub tactu. Secundo prout
ontradistinguitur à gustu, & est sensus
liffusus toto corpore discretiuus qualita-
um, ex quibus animal constat, nimirum
alidi, & frigidi, humidi, & sicci, du-
i, & mollis, &c. Gustus est sensus resi-
lens in lingua discretiuus qualitatum de-
ignantium conuenientiam nutrimenti,
juo animal conseruatur. Tactus discreti-
ius qualitatum, quibus animal constat,
nultiplex est specie secundum diuersita-
em contrarietatum, vt dictum est, licet
sit vnus genere, subiecto, & organo.
Ex tactibus diuersis duo sunt primi, quia
sunt perceptiui primarum qualitatum, ni-
mirum caloris, & frigoris, humiditatis,
ac siccitatis; alij sunt tactus, secundi, quia
percipiunt qualitates secundas, nimirum
durum, & molle, &c. Nec verò maior
est

est difficultas intelligendi, quo pacto virtus perceptiua caloris, & frigoris sit diuersa à virtute perceptiua humidi, & sicci, licet sint in eodem organo, quam intelligendi, quo pacto virtus gustatiua, & tactiua sint diuersę, licet sint in eodem organo linguę.

Postquam Aristoteles determinauit de multiplicitate tactus, à tex. 113 determinat de medio tum coniuncto, tum separato tactus, ac demum de organo tactus. Quoad medium separatum docet, quod sicut non possumus videre, audire, vel odorari, nisi per aquam, vel aerem, vel aliud corpus extraneum medium, ità non possumus tangere, & gustare, nisi per aquam, aut aerem medium. Ratio est, quia animalia viuunt vel in aqua, vel in aere; si in aqua tangunt corpora vda, & madida; ergo mediat aqua inter tactum, & tangibile; si in aere, mediat aer saltem regulariter ex proportionali ratione, licet mediatio aeris non sit ità manifesta propter minorem sensibilitatem aeris intercepti. At hęc est differentia inter tactum, & gustum ex vna parte, & tres alios sensus ex alia, quod tres alij sensus requirunt corpus medium per se, ità vt sensibile non possit mouere sensum, nisi mediet corpus extraneum; e.g. visibile positum suprà oculum, & audibile suprà or-

ganum auris, non mediante corpore extraneo, non possunt mouere ad sentiendũ; at gustus, & tactus requirunt medium separatum solum per accidens, quia viuimus in aere, vel aqua, non quia sensibile positũ suprà carnem, vel linguam mouere non possit tales sensus.

Hinc tex. 116. infert carnem non esse organum formale tactus, aut gustus, sed esse medium coniunctum, & se habere ad organum formale horum sensuum, sicut aer, aut aqua se habent ad organa visus, auditus, & odoratus. Probat, nam in alijs sensibus sensibile positum supra organum sentiendi non causat sensationẽ, v. g. corpus coloratum positum suprà oculum non causat visionem; sed tangibile, & gustabile posita suprà carnem causant sensationem; ergo caro non est organum formale talium sensuum, sed est medium, quod motum mouet organum ad sentiendum. Sicut verò organum formale visus est retina, quæ est intrà oculum; organum formale auditus est extremitas nerui auditorij, quæ est intrà aurem; organum formale odoratus sunt caunculæ mamillares, quæ sunt intrà nares; sic organum formale tangendi, & gustandi est intrà carnem, & linguam. Obijcit sibi Aristoteles, quia eo ipso, quod carne tangimus, elicimus sensationem tangendi;

di; ergo caro est organum tangendi. Respondet argumentum non valere. Nam si quis circà carnem extenderit quippiam valdè tenue, & in speciem membranę per illud tangens eliciet statim sensationem tangendi, & tamen organum non est illa membrana, sed intrà membranam: ergo idem dicendum in casu nostro. Potest quæri, vtrum caro sit ità medium gustus, & tactus, vt ipsa non sentiat, an ità vt sentiat quidem, sed minus principaliter, & virtute deriuata ab aliquo sensorio principaliori latente intrà carnem. Hoc secundum videtur dicendum, vt potè conformius communi hominum sensu fundato in experientia.

Demum quoad organum formale gustus, & tactus Aristoteles docet libro de sensu, & sensili, quod sicut organa trium priorum sensuum sunt circà cerebrum, sic organa gustus,& tactus sunt circà cor. Verba eius sunt, *& idcircò iuxta cor sensitiuum est ipsorum, scilicet gustus, & tactus. Cor enim oppositum est cerebro, & est calidissimum partium.* Docet præterea Aristoteles primum principium sentiendi esse in corde, & à corde vim sensitiuam deriuari ad ipsum cerebrum, à cerebro ad tres primos sensus.

Verum Aristoteles in hac materia errauit ex defectu anatomiæ, & corrigendus

dus est ex sententia Medicorum. Non enim virtus sensitiua principaliter residet in corde, sed in cerebro, ex proportionalibus rationibus, ex quibus quęst. 22. de anima vegetatiua dictum est, quod virtus nutritiua primo resideat non in corde, sed in hepate. Probatur primo, quia videmus sensus visus, auditus, odoratus originem trahere à cerebro, neruos etiam sensorios, qui sunt organum tactus, & gustus, velut quosdam ramos à cerebro tanquam à trunco in omnes partes corporis diffundi, ac carne vestiri, ergo vis sensitiua deriuatur à cerebro. Secundo cum dormimus, cor non cessat à sua operatione, sed perpetuo agitatur; solum cerebrum somno comprehenditur, & clausis meatibus, per quos spiritus animales à cerebro deriuantur ad neruos sensorios, impediuntur omnes operationes sentiendi. Confirmatur, quia cerebro conquassato, ac læso, vigente motu cordis, amittitur sensus: ex cerebri etiam, non ex cordis læsione fiunt obliuio, stultitia, deliratio, &c. ergo tota virtus sensitiua deriuatur à cerebro, non à corde. Dicendum igitur, quod virtus gustatiua, & tactiua principaliter est in cerebro, instrumentaliter in neruis sensorijs à cerebro deriuatis in quascunque partes corporis. Nerui igitur sensorij ità se habent ad opera-

perationes tangendi, & gustandi, sicut retina ad operationem videndi, caruncu-læ mamillares ad operationem odorandi. Hinc oritur, vt in neruis sit sensus exquisitissimus, ideòque ex læsione neruorum sequitur maximus, & intolerabilis dolor, qui vocatur dolor spasmi, causatus ex neruorum contractione, seu conuulsione. Debet tamen aduerti, quod nerui sensorij diuersi sunt à neruis deseruientibus ad motum, licet omnes deriuentur à cerebro, in quo proinde est principium sensus, appetitus, & motus spontanei. Sed potest opponi, quodnam igitur est munus cordis, si tota vis nutritiua principaliter residet in hepate, vis sensitiua, & motiua in cerebro? Respondeo, quod cor perpetua irradiatione, qua spiritus vitales per arterias in totum corpus diffundit, confortat, & roborat omnes facultates nutritiuas, sensitiuas, & motiuas ad omnes operationes, quæ deficiente subministratione spirituum vitalium, languent, ac deficiunt, ità vt etiam animal moriatur. Sed circà hęc videri potest Fernelius lib.5. physiologiæ cap.10 12. & sequentibus, & lib 6. cap.10. 16 & sequentibus. Pro conclusione quæstionis, cum iam determinatum sit de obiecto, medio, & organo tactus, determinandum est de speciebus tangibilibus. Dicendum, quod sen-

sensus tactus sentit per species intentionales ex rationibus vniuersalibus, & ex ratione particulari afferenda in responsione.

Ad argumentum contrarium. Ex doctrina Aristotelis in tex. 117. secundi de anima, & S. Tho. in commentario hęc est differentia inter tactum, & alios 4. sensus, quod organa aliorum sensuum vt perfectè sentiant, debent esse denudata toto genere obiecti sensibilis, e. g. organum visus carere debet omni colore: at organum tactus non debet denudari toto genere qualitatum tangibilium. Corpus enim ex elementis constans non potest denudari qualitatibus elementaribus, calore, & frigore, humiditate, ac siccitate, duritie, & mollitie, &c. sed organum tactus est corpus ex elementis constans; ergo, &c. Solum igitur potest denudari qualitatibus tangibilibus secundũ excessus, ità vt illas participet secundum quandam mediocritatem, per quam sensorium tactus neque sit simpliciter calidum, neque frigidum, neque humidum, neque siccum, sed temperatum. Et quia medium respectu extremorum habet rationem contrarij, e. g. tepidum respectu intensè calidi habet rationem frigidi, respectu intensè frigidi habet rationem calidi; vnumquodque verò potest pati à

suo

ſuo contrario, ideò tactus propter mediocritatem temperamenti pati poteſt à calidis, & frigidis, humidis, & ſiccis; ſed ſentire eſt quoddam pati; ergo tactus poteſt ſentire, ac diſcernere calida, & frigida. E conuerſo vt ait Ariſtoteles, *id, quod æquè calidum eſt, ac frigidum, durum, ac molle, non ſentimus*. Ex hoc, quod tactus cum patitur realiter à tangibili, & illi aſſimilatur, redditur ineptus ad ſentiendum, colligitur, quod vt perfectè ſentiat, debet pati intentionaliter per receptionem ſpecierum, adeòque requiruntur ſpecies tangibiles.

Ex eo, quod virtus tactiua fundetur in mediocritate temperamenti, oritur, vt quanto animal habet complexionem magis reductam ad medium, tanto habeat perfectiorem tactum Melius enim diſcernit quoſcunque exceſſus etiam minimos tangibilium. Et quia homo habet complexionem magis reductam ad medium, quam cætera animalia, ideò habet perfectiorem tactum, & eſt medius inter omnia corpora, vt poſſit diſcernere omnia corpora, quorum complexio conſiſtit in aliquo exceſſu. Ex hominibus verò, qui complexionem habent magis temperatam habent tactum perfectiorem, & conſequenter aptiores ſunt ad operationes mentis. Hinc etiam oritur, vt tactus corrum-

rumpatur excessibus caloris, aut frigoris, sicut alij sensus corrumpuntur ab excessibus suorum sensibilium. Excessus enim corrumpunt mediocritatem, in qua fundantur sensus. Confirmat Aristoteles tex. 124 exemplo. Sicut enim vehementius pulsatis fidibus, dissoluitur earum harmonia, & redduntur ineptæ ad sonandum, sic vehementius motis sensibus à sensibili; dissoluitur harmonia sensuum, & redduntur inepti ad sentiendum. Hinc etiã reddit rationem Aristoteles tex. 144. cur sensus delectentur sensibilibus proportionatis, ac mistis secundum quandam proportionem, eo pacto, quo auditus delectatur symphonia, quæ consistit in quadam proportione grauis, & acuti; visus delectatur colore viridi, qui consistit in quadam mediocri participatione albi, & nigri. Ratio est, quia sensus est mediocritas quædam proportionata, e g. auditus est quasi quædam symphonia grauis, & acuti temperatorum secundum quandam proportionem; ergo conseruatur à proportionata mediocritate sensibilis; sed motio conseruatiua est delectabilis, corruptiua est molesta; ergo ex perceptione sensibilis proportionati sequitur in sensu delectatio; ex perceptione sensibilis excedentis, & improportionati sequitur molestia. Debet aduerti, quod mediocritas
sen-

nsuum non consistit in indiuisibili, sed
scipit magis, & minus intrà certam la-
tudinem; cum verò aufertur tota lati-
do mediocritatis, corrumpitur sensus,
tum tactu corrupto, non amplius senti-
r dolor ex actione sensibilis excessiui.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum præter sensus externos den tur aliæ poeentiæ sensitiuæ interiores.

VIdetur, quod præter sensus externos non requiratur vllus sensus internus . quia omnis sensus datur propter per-ceptionem alicuius sensibilis; sed quinque ensus exteriores sufficiunt ad perceptio-em omnium sensibilium; ergo non re-uiritur vllus alius sensus internus.

2. Si dicatur, quod sensus internus re-uiritur ad pecipiendos actus sensuum ex-ernorum, nimirum visionem, auditionem, &c. contrà est, quia actus sensus est pro-ortionatissimus potentiæ sensitiuę, à qua licitur, e. g. actus visionis est proportio-atissimus potentię visiuæ; sed potentia otest moueri ad sentiendum ab obiecto roportionato; ergo potentia visiua po-

test moueri à sua visione ad videndam suam visionem, ideòque potentiæ sensitiuæ possunt reflectere suprà suos actus; ergo ad reflectendum suprà actus sensuum externorum non requiritur sensus internus. Confirmatur, quia non est contrà rationem potentiæ materialis, vt reflectat suprà suos actus: alioquin in brutis, vel procederetur in infinitum in potentijs reflexiuis, vel sisteretur in aliqua potentia vltima, cuius actus non posset percipi à brutis.

3. Videtur, quod sensus internus, imaginatio, æstimatiua, & memoria non sint quatuor potentiæ distinctę, sed sint vnica potentia, quæ à diuersis actibus habeat diuersa nomina. Sufficit enim vnica potentia; ergo.

4. Videtur, quod saltem in homine non requirantur potentiæ sensitiuę interiores. Sufficit enim intellectus continens eminẽter potentias sensitiuas.

5. Videtur, quod in brutis perfectioribus, vt in cane, elephanto, simia, detur etiam aliqua potentia discursiua. Nam exercent aliquas operationes mirabiles, quæ non possunt exerceri sine discursu.

Respondeo 1. ostendendum esse, quod præter sensus externos requiruntur in animalibus aliquæ potentiæ sensitiuę interiores. 2. examinandum, quot in animalibus

us perfectis dentur interiores potentiæ sitiuæ.

Quoad primum; multipliciter potest obari, quod præter sensus externos den- interiores potentiæ sensitiuæ. Primo malia non solum discernunt sensibilia ctantia ad eundem sensum, sed etiam sibilia spectantia ad sensus diuersos; ·. non solum discernunt album à nigro, e spectant ad eundem sensum visus, sed am album à dulci, quæ spectant ad sen- diuersos, visus nimirum, & gustus; non possunt per actum vllius sensus erni discernere sensibilia diuersorum suum: quomodo enim per actum visio-, qui non percipit dulce, discernant al- m à dulci? vel quomodo per actum gu- s, qui non percipit album, discernant lce ab albo? ergo preter sensus exter- s dari debet aliquis sensus internus, & mmunis percipiens sensibilia omnium nsuum, eaque inter se discernens, ac judicans.

2. Animalia non solum sentiunt, sed am percipiunt se sentire: ità canis au- a voce, arrigit aures, vt melius discer- t, an sit vox domini, vel alterius; er appetit auditionem perfectam, & di- retiuam vocis; non appetit auditionem cognitam; ergo percipit reflexè ipsum um auditionis; admouet etiam nares,

vt

vt discernat odorem; porrigit linguam, vt discernat saporem, &c. sed per nullum sensum externum possumus percipere nostras sensationes: per oculum enim videmus quidem obiectum coloratum, at non videmus ipsam visionem obiecti, imo nec ipsum oculum, nisi reflexè in speculo: idemque valet de cęteris sensibus; ergo præter sensus exteriores datur in animalibus sensus internus, & communis, discernens sensibilia omnium sensuum, & etiam eorum sensationes.

3. Nullus sensus externus mouętur à sensibili absente: e.g. visus non potest videre visibile non existens, similiter auditus; sed animalia etiam bruta mouentur à sensibilibus absensibus, e. g. bruta repetunt sua latibula, quę non vident, nec vllo sensu exteriori percipiunt, cognoscunt suos filios, & recordantur se eos genuisse, recordantur etiam beneficiorum, & iniuriarum; ergo in animalibus pręter sensus externos dantur etiam sensus interiores.

4. Bruta prosequuntur, aut auersantur quędam obiecta, non solum vt sensibus conuenientia, vel disconuenientia, sed etiam vt afferentia aliquas alias vtilitates, aut nocumenta non percepta à sensibus: e. g. ouis videns lupum fugit non solum, quia figura visibilis lupi inconueniens, est

ſt viſui ouis, ſed etiam quia lupus eſt aturaliter inimicus oui; auis colligit aleas ad nidificandum, quia percipit ali- uam conuenientiam in tali actione, idem c, cum filios alunt, pro illis pugnant, & xercent quaſdam alias operationes; ſed onuenientiam iſtarum operationum non ercipiunt per vllum ſenſum exteriorem; rgo datur in brutis aliqua alia potentia nſitiua interior.

Quoad 2. Non conueniunt auctores in ſignando numero potentiarum interio- um ſenſitiuarum. S. Th. 1. p q 78. ar. 4. onit quatuor: ſenſum communem, qui ouetur à ſenſibilibus omnium ſenſuum, ab eorum ſenſationibus ſolum ad præ- ntiam talium ſenſibilium, imaginatio- em, quæ mouetur à ſenſibilibus per phan- ſmata conſeruata etiam in abſentia ſen- bilium, eo pacto, quo animalia mouentur d quærendum cibum abſentem non ſen- atum vt præſentem, ſed imaginatum vt bſentem; æſtimatiuam, per quam perci- iant etiam aliquas intentiones, ſeu obie- a inſenſata, e. g. conuenientiam nidifi- andi, filios alendi, &c. ac demum me- oratiuam, per quam conſeruent ſpecies biectorum inſenſatorum, ex quorum xcitatione cauſatur memoria ipſorum. uicennas addit quintam potentiam me- iam inter imaginationem, & æſtimatiuam,

quam

us est ex sententia Medicorum. Non
nim virtus sensitiua principaliter residet
corde, sed in cerebro, ex proportio-
alibus rationibus, ex quibus quęst. 22.
anima vegetatiua dictum est, quod vir-
s nutritiua primo resideat non in cor-
, sed in hepate. Probatur primo, quia
demus sensus visus, auditus, odoratus
iginem trahere à cerebro, neruos etiam
nsorios, qui sunt organum tactus, &
ustus, velut quosdam ramos à cerebro
nquam à trunco in omnes partes corpo-
s diffundi, ac carne vestiri, ergo vis sen-
iua deriuatur à cerebro. Secundo cum
rmimus, cor non cessat à sua operatio-
, sed perpetuo agitatur; solum cere-
um somno comprehenditur, & clausis
eatibus, per quos spiritus animales à
rebro deriuantur ad neruos sensorios,
pediuntur omnes operationes sentien-
. Confirmatur, quia cerebro conquas-
o, ac læso, vigente motu cordis, amit-
ur sensus; ex cerebri etiam, non ex
rdis læsione fiunt obliuio, stultitia, de-
atio; &c. ergo tota virtus sensitiua de-
atur à cerebro, non à corde. Dicen-
m igitur, quod virtus gustatiua, & ta
ua principaliter est in cerebro, instru-
ntaliter in neruis sensorijs à cerebro
riuatis in quascunque partes corporis.
rui igitur sensorij ità se habent ad o-
pera-

perationes tangendi, & gustandi, sic retina ad operationem videndi, carunc-læ mamillares ad operationem odorandi. Hinc oritur, vt in neruis sit sensus exqu-sitissimus, ideòque ex læsione neruoru sequitur maximus, & intolerabilis do-lor, qui vocatur dolor spasmi, causati ex neruorum contractione, seu conuu-sione. Debet tamen aduerti, quod neru sensorij diuersi sunt à neruis deseruienti-bus ad motum, licet omnes deriuentur cerebro, in quo proinde est principiu sensus, appetitus, & motus spontanei Sed potest opponi, quodnam igitur e munus cordis, si tota vis nutritiua prin-cipaliter residet in hepate, vis sensitiua & motiua in cerebro? Respondeo, quo cor perpetua irradiatione, qua spiritu vitales per arterias in totum corpus di-fundit, confortat, & roborat omnes fa-cultates nutritiuas, sensitiuas, & motiua ad omnes operationes, quæ deficiente subministratione spirituum vitalium, lan-guent, ac deficiunt, ità vt etiam anima moriatur. Sed circà hęc videri potest Fer-nelius lib. 5. physiologiæ cap. 10. 12. & se-quentibus, & lib 6. cap. 10. 16 & sequen-tibus. Pro conclusione quæstionis, cum iam determinatum sit de obiecto, medio & organo tactus, determinandum est d speciebus tangibilibus. Dicendum, quo sen-

sensus tactus sentit per species intentionales ex rationibus vniuersalibus, & ex ratione particulari afferenda in responsione.

Ad argumentum contrarium. Ex doctrina Aristotelis in tex. 117. secundi de anima, & S. Tho. in commentario hęc est differentia inter tactum, & alios 4. sensus, quod organa aliorum sensuum vt perfectè sentiant, debent esse denudata toto genere obiecti sensibilis, e. g. organum visus carere debet omni colore: at organum tactus non debet denudari toto genere qualitatum tangibilium. Corpus enim ex elementis constans non potest denudari qualitatibus elementaribus, calore, & frigore, humiditate, ac siccitate, duritie, & mollitie, &c. sed organum tactus est corpus ex elementis constans; ergo, &c. Solum igitur potest denudari qualitatibus tangibilibus secundũ excessus, ità vt illas participet secundum quandam mediocritatem, per quam sensorium tactus neque sit simpliciter calidum, neque frigidum, neque humidum, neque siccum, sed temperatum. Et quia medium respectu extremorum habet rationem contrarij, e. g. tepidum respectu intensè calidi habet rationem frigidi, respectu intensè frigidi habet rationem calidi; vnumquodque verò potest pati à

suo

ſuo contrario, ideò tactus propter mediocritatem temperamenti pati poteſt à calidis, & frigidis, humidis, & ſiccis; ſed ſentire eſt quoddam pati; ergo tactus poteſt ſentire, ac diſcernere calida, & frigida. E conuerſo vt ait Ariſtoteles, *id, quod æquè calidum eſt, ac frigidum, durum, ac molle, non ſentimus*. Ex hoc, quod tactus cum patitur realiter à tangibili, & illi aſſimilatur, redditur ineptus ad ſentiendum, colligitur, quod vt perfectè ſentiat, debet pati intentionaliter per receptionem ſpecierum, adeòque requiruntur ſpecies tangibiles.

Ex eo, quod virtus tactiua fundetur in mediocritate temperamenti, oritur, vt quanto animal habet complexionem magis reductam ad medium, tanto habeat perfectiorem tactum Melius enim diſcernit quoſcunque exceſſus etiam minimos tangibilium. Et quia homo habet complexionem magis reductam ad medium, quam cætera animalia, ideò habet perfectiorem tactum, & eſt medius inter omnia corpora, vt poſſit diſcernere omnia corpora, quorum complexio conſiſtit in aliquo exceſſu. Ex hominibus verò, qui complexionem habent magis temperatam habent tactum perfectiorem, & conſequenter aptiores ſunt ad operationes mentis. Hinc etiam oritur, vt tactus corrum-

umpatur excessibus caloris, aut frigoris, icut alij sensus corrumpuntur ab excessi ous suorum sensibilium. Excessus enim corrumpunt mediocritatem, in qua fundantur sensus. Confirmat Aristoteles tex. 124 exemplo. Sicut enim vehementius ulsatis fidibus, dissoluitur earum harmonia, & redduntur ineptæ ad sonandum, ic vehementius motis sensibus à sensibi i; dissoluitur harmonia sensuum, & red luntur inepti ad sentiendum. Hinc etiã eddit rationem Aristoteles tex. 144. cur ensus delectentur sensibilibus proportio atis, ac mistis secundum quandam proportionem, eo pacto, quo auditus delecta ur synphonia, quæ consistit in quadam proportione grauis, & acuti; visus delectatur colore viridi, qui consistit in quadam mediocri participatione albi, & nigri. Ratio est, quia sensus est mediocritas quædam proportionata, e g. auditus est quasi quædam synphonia grauis, & acuti temperatorum secundum quandam proportionem; ergo conseruatur à proportionata mediocritate sensibilis; sed motio conseruatiua est delectabilis, corruptiua est molesta; ergo ex perceptione sensibilis proportionati sequitur in sensu delectatio; ex perceptione sensibilis excedentis, & improportionati sequitur molestia. Debet aduerti, quod mediocritas

sen-

ensuum non consistit in indiuisibili, sed uscipit magis, & minus intrà certam latitudinem; cum verò aufertur tota latiudo mediocritatis, corrumpitur sensus, & tum tactu corrupto, non amplius sentiur dolor ex actione sensibilis excessiui.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum præter sensus externos dentur aliæ poeentiæ sensitiuæ interiores.

VIdetur, quod præter sensus externos non requiratur vllus sensus internus quia omnis sensus datur propter perceptionem alicuius sensibilis; sed quinque ensus exteriores sufficiunt ad perceptioem omnium sensibilium; ergo non requiritur vllus alius sensus internus.

2. Si dicatur, quod sensus internus requiritur ad pecipiendos actus sensuum exrnorum, nimirum visionem, auditionem, &c. contrà est, quia actus sensus est proportionatissimus potentiæ sensitiuę, à qua icitur, e. g. actus visionis est proportioatissimus potentię visiuæ; sed potentia otest moueri ad sentiendum ab obiecto roportionato; ergo potentia visiua potest

test moueri à sua visione ad videndam suam visionem, ideòque potentiæ sensitiuæ possunt reflectere suprà suos actus; ergo ad reflectendum suprà actus sensuum externorum non requiritur sensus internus. Confirmatur, quia non est contrà rationem potentiæ materialis, vt reflectat suprà suos actus: alioquin in brutis vel procederetur in infinitum in potentijs reflexiuis, vel sisteretur in aliqua potentia vltima, cuius actus non posset percipi à brutis.

3. Videtur, quod sensus internus, imaginatio, æstimatiua, & memoria non sint quatuor potentiæ distinctæ, sed sint vnica potentia, quæ à diuersis actibus habeat diuersa nomina. Sufficit enim vnica potentia; ergo.

4. Videtur, quod saltem in homine non requirantur potentiæ sensitiuæ interiores. Sufficit enim intellectus continens eminenter potentias sensitiuas.

5. Videtur, quod in brutis perfectioribus, vt in cane, elephanto, simia, detur etiam aliqua potentia discursiua. Nam exercent aliquas operationes mirabiles, quæ non possunt exerceri sine discursu.

Respondeo 1. ostendendum esse, quod preter sensus externos requiruntur in animalibus aliquæ potentiæ sensitiuæ interiores. 2. examinandum, quot in animalibus

bus perfectis dentur interiores potentiæ
nsitiuæ.

Quoad primum; multipliciter potest
obari, quod præter sensus externos den-
r interiores potentiæ sensitiuæ. Primo
imalia non solum discernunt sensibilia
ectantia ad eundem sensum, sed etiam
nsibilia spectantia ad sensus diuersos;
g. non solum discernunt album à nigro,
æ spectant ad eundem sensum visus, sed
am album à dulci, quæ spectant ad sen-
diuersos, visus nimirum, & gustus;
non possunt per actum vllius sensus
terni discernere sensibilia diuersorum
nsuum: quomodo enim per actum visio-
s, qui non percipit dulce, discernant al-
m à dulci? vel quomodo per actum gu-
s, qui non percipit album, discernant
lce ab albo? ergo preter sensus exter-
s dari debet aliquis sensus internus, &
mmunis percipiens sensibilia omnium
nsuum, eaque inter se discernens, ac
judicans.

2. Animalia non solum sentiunt, sed
am percipiunt se sentire: ità canis au-
ta voce, arrigit aures, vt melius discer-
t, an sit vox domini, vel alterius; er
appetit auditionem perfectam, & di-
etiuam vocis: non appetit auditionem
cognitam; ergo percipit reflexè ipsum
um auditionis; admouet etiam nares,
vt

vt discernat odorem; porrigit linguam, vt discernat saporem, &c. sed per nullum sensum externum possumus percipere nostras sensationes : per oculum enim videmus quidem obiectum coloratum , at non videmus ipsam visionem obiecti , imo nec ipsum oculum , nisi reflexè in speculo : idemque valet de cęteris sensibus ; ergo præter sensus exteriores datur in animalibus sensus internus, & communis, discernens sensibilia omnium sensuum, & etiam eorum sensationes .

3. Nullus sensus externus mouętur à sensibili absente: e.g. visus non potest videre visibile non existens , similiter auditus ; sed animalia etiam bruta mouentur à sensibilibus absensibus , e. g. bruta repetunt sua latibula , quę non vident , nec vllo sensu exteriori percipiunt , cognoscunt suos filios , & recordantur se eos genuisse, recordantur etiam beneficiorum, & iniuriarum; ergo in animalibus pręter sensus externos dantur etiam sensus interiores.

4. Bruta prosequuntur , aut auersantur quędam obiecta , non solum vt sensibus conuenientia , vel disconuenientia , sed etiam vt afferentia aliquas alias vtilitates, aut nocumenta non percepta à sensibus : e. g. ouis videns lupum fugit non solum , quia figura visibilis lupi inconueniens, el

t visui ouis, sed etiam quia lupus est
aturaliter inimicus oui; auis colligit
aleas ad nidificandum, quia percipit ali-
iam conuenientiam in tali actione, idem
c, cum filios alunt, pro illis pugnant, &
xercent quasdam alias operationes; sed
nuenientiam istarum operationum non
rcipiunt per vllum sensum exteriorem;
go datur in brutis aliqua alia potentia
nsitiua interior.

Quoad 2. Non conueniunt auctores in
signando numero potentiarum interio-
m sensitiuarum. S. Th. 1. p. q. 78. ar. 4.
nit quatuor: sensum communem, qui
ouetur à sensibilibus omnium sensuum,
ab eorum sensationibus solum ad præ-
ntiam talium sensibilium, imaginatio-
em, quæ mouetur à sensibilibus per phan-
smata conseruata etiam in absentia sen-
bilium, eo pacto, quo animalia mouentur
d quærendum cibum absentem non sen-
rum vt præsentem, sed imaginatum vt
bsentem; æstimatiuam, per quam perci-
iant etiam aliquas intentiones, seu obie-
a insensata, e. g. conuenientiam nidifi-
andi, filios alendi, &c. ac demum me-
oratiuam, per quam conseruent species
biectorum insensatorum, ex quorum
xcitatione causatur memoria ipsorum.
uicennas addit quintam potentiam me-
iam inter imaginationem, & æstimatiuam,
quam

quam vocat phantasiam, per quam phantasmata componuntur, & diuiduntur, eo pacto, quo homines componentes phantasma montis, & auri, imaginantur montem aureum. Alij putant tres solum dari potentias sensitiuas; sensum communem, imaginationem, & memoriam; potentiam verò æstimatiuam putant non distingui ab imaginatione. Alij ponunt vnicam potentiam sensitiuam internam, quę ex varijs operationibus sortiatur varias appellationes, & inquantum discernit sensibilia sensuum externorum, & eorum actus in pręsentia; vocatur sensus communis: inquantum percipit sensibilia in eorũ absentia, vocatur imaginatio; inquantum phantasmata vario modo connectit, aut diuidit, vocatur phantasia; inquantum apprehendit obiecta insẽsata, vocatur ęstimatiua; inquantum conseruat phantasmata, & ex eorum excitatione recordatur præteritorum, vocatur memoratiua. Hæc autem sententia probari potest ex Aristotele, qui lib. de memoria, & reminiscentia docet, quod phantasticum, & memoratiuum sunt passiones primi sensitiui, hoc est sensus communis: ergo non ponit memoriam, & imaginatiuam, seu phantasiam tanquam potentias diuersas à sensu communi.

Res est incerta. Consequenter tamen ad principia posita, primo probabile est, quod

quod imaginatiua distinguatur à sensu interno. Probatur, quia est contrà rationem sensus, quod moueatur ab obiecto in ipsius absentia; sed sensus communis nihil aliud tandem est, quam primus, & vniuersalis sensus, à quo per neruos sensorios, tanquam per varios canales virtus sensitiua cum spiritibus animalibus deriuatur ad quinque sensus externos, & ad quem vicissim tanquam ad principium residens in medio, & in centro, per eosdem neruos deferuntur motiones sensitiuę sensuum externorum; ergo est contrà rationem sensus communis, quod moueri possit ab obiectis in eorum absentia; ergo imaginatiua, quæ mouetur ab obiectis sensibilibus in eorum absentia, est potentia distincta à sensu communi. Confirmatur, quia potentiæ cognoscitiuę diuersificantur per quosdam gradus immaterialitatis, & abstractionis, vt sępè est explicatum, & vt patet ex diuersitate quinque sensuum externorum; sed sicut est diuersus gradus abstractionis in sensu communi, ac in sensibus externis; (sensus enim externi coarctati sunt ad sensibilia cōtenta in vnica contrarietate, at sensus communis non restringitur ad vnicam contrarietatem, sed vagatur per omnia sensibilia); sic est diuersus gradus abstractionis, & immaterialitatis in imaginatione, ac in sensu

communi; nam imaginatio percipit sensibilia etiam in eorum absentia, sensus communis restringitur ad sensibilia, dum sunt præsentia; ergo sicut sensus communis est potentia diuersa, ac superior, & immaterialior, ac vniuersalior sensibus externis, sic imaginatio est potentia diuersa, superior, immaterialior, & vniuersalior sensu communi.

Secundo probabile, est, quod æstimatiua sit potentia diuersa, & superior imaginatione. Probatur ex proportionalibus rationibus; nam est immaterialior, vniuersalior, & eleuatior imaginatione; imaginatio enim restricta est ad sensibilia, ęstimatiua apprehendit etiam quædam obiecta, seu quasdam intentiones insensatas, vt explicatum est.

Tertio probabile est memoriam, si sumatur pro potentia eliciente actum memoratiuum, non distingui ab æstimatiua, si verò sumatur pro potentia conseruatiua imaginum, & phantasmatum esse quartã potentiam passiuam potius, quam actiuam. Prima pars probatur, quia ęstimatiua est, quę percipit obiecta siue intentiones insensatas; sed per actum memoratiuum percipimus rem vt præteritam, & ante cognitam, adeoque cum intentione insensata temporis pręteriti; ergo memoria inquantum est principium elicitiuum actus memo-

memoratiui non distinguitur ab æstimatiua, sed includitur in æstimatiua. Secunda pars, quod nimirum memoria sumpta pro potentia conseruatiua imaginum, & phantasmatum sit potentia distincta à reliquis, probatur, quia potentiæ corporeæ receptiuę, & conseruatiuę imaginum, sunt diuersę, & debent habere contrarias dispositiones; e. g. corpora humida, vt aqua,& alia huiusmodi,facillime recipiunt imagines quarumcunque rerum, e. g. cuiuscunque sigilli: at cessante actuali impressione corporis imaginem imprimentis, illam delent, & reducuntur ad statum puræ potentię. E conuerso corpora dura, & sicca non ità facile recipiunt imagines rerum, sed semel impressas conseruant etiam,cessante actuali impressione corporis imprimentis; sed omnes potentię sensitiuæ tum externę, tum internæ sunt corporeæ, & organicæ;ergo tres potētię cognoscitiuæ internæ, nimirum sensus communis, imaginatio, & ęstimatiua propter hoc ipsum, quia sunt facillimè receptiuæ imaginum vitalium impressarum ab obiectis sensibilibus, non sunt retentiuę, & conseruatiuę talium imaginum intentionalium, sed cessante actuali impressione obiectorum, deletis imaginibus, reducuntur ad puram potentiam; ergo præter tres dictas potentias dari debet quarta contrario mo-

do dispoſita, quæ non itá facilè recipiat imagines, ſed ſemel receptas conſeruet; hæc eſt memoria,& vt patet,eſt potius paſſiua, quam actiua; ergo memoria eſt quarta potentia paſſiua potius,quam actiua.Cum verò perfectio trium aliarum potentiarũ conſiſtat in hoc, quod facillimè recipiant quamcumque minimam impreſſionem ab obiecto ſenſibili, perfectio memoriæ conſiſtit in hoc, quod non itá facilè recipiat, ſed retineat deinde imagines ſemel receptas. Confirmari poteſt diſtinctio quatuor poteutiarum ex argumentis medicorum, quibus oſtendunt, quod earum etiam organa ſunt diuerſa,vt inferius explicabitur. Ariſtoteles,dum dicit,quod imaginatio,& memoria ſunt paſſiones primi ſenſitiui, intelligendus eſt,quod ſicut reliqui ſenſus externi, quia fundantur in tactu, poſſunt dici paſſiones conſequentes ad tactum,tanquam ad ſenſnm primum, & fundamentalem;ſic quia tres reliquę potentiæ interiores fundantur in primo ſenſitiuo, hoc eſt in ſenſu communi, poſſunt dici paſſiones primi ſenſitiui.

Quarto probabile eſt phantaſiam non eſſe quintam potentiam mediam inter ęſtimatiuam, & imaginatiuam, vt ponit Auicennas. Probatur, tum quia non apparet,quod bruta habeant hanc vim phantaſmata componendi, aut diuidendi, itá vt ima-

imaginentur montes aureos, Hippocentauros, &c. tum quia in brutis dantur solum potentiæ necessariæ ad regulandam vitam brutalem: sed ista potentia componendi, ac diuidendi phantasmata non conducit ad vitam brutalem, sed ad vitam contemplatiuam propriam hominis; ergo non datur in brutis, sed solum in homine. Dicendum igitur, quod in homine virtus phantastica non est diuersa ab imaginatione, & æstimatiua, in quantum ex coniunctione cum intellectu participant aliqualiter de virtute intellectiua, & fiunt virtuosiores, quam in brutis. In vnoquoque enim genere supremum infimi, dum attingit infimum supremi, ex coniunctione cum illo tanquam cum proprio perfectiuo, trahit quandam participationem superioris virtutis, ex qua fit virtuosius; e.g. ignis, qui est supremus inter corpora elementaria, ex coniunctione cum orbe lunari, qui est infimus inter corpora cælestia, acquirit quandam inclinationem ad motum circularem proprium corporis celestium, vt dictum est alibi; sed inter potentias materiales supremę sunt interiores; ergo ex coniunctione cum humano intellectu, qui est infimus potentiarum spiritualium, trahunt aliquam participationem humani intellectus, ex qua fiunt virtuosiores; sed intellectus est compositiuus;

tiuus, & diuisiuus; ergo imaginatio, & æstimatiua humana ex coniunctione cum intellectu habet vim componendi, ac diuidendi phantasmata, & species obiectorum insensatorum, & per compositionem imaginandi montes aureos, & alia huiusmodi, per diuisionem vero imaginandi sensibilia communia, nimirum magnitudines, figuras, motum, quietem, ac numeros, abstrahendo à sensibilibus proprijs, in quo consistit abstractio mathematica, vt dictum est in procemialibus philosophiæ. Hęc autem vis componendi, ac diuidendi phantasmata est homini summopere vtilis, ac necessaria ad contemplationem, vt patet. Ex eadem coniunctione cum intellectu critur, vt hominis imaginatiua, & ęstimatiua habeant vim cogitatiuam, per quam possunt sibi proponere obiecta tum sensata, tũ insensata, quodã ordine, & per quandam regulatam combinationem, cum bruta non possint. Memoria etiam in homine ex coniunctione cum intellectu habet vim reminiscitiuam. Porrò actus reminiscentiæ differt ab actu simplicis memoriæ, proportionaliter sicut actus conclusionis collectę per syllogismum ab actu iudicij immediati de propositione per se nota. Sicut enim immediatè, & ex ipsis terminis assentimur propositioni per se notæ, e. g. huic *omne totum est maius sua parte*;

parte; propositioni verò demonstrabili assentimur per medium, & aliquando per plura media; sic actus simplicis memorię est, per quem sine vllo motu, & medio recordamur obiecti vt antea cogniti; actus reminiscentiæ est, per quem peruenimus ad memoriam obiecti per medium, & aliquando per plura media, quorum prius ordinatim recordamur; e. g. recordatur aliquis se vidisse quendam hominẽ in platea, sed non recordatur, quis sit; procedit ad memoriam ipsius per reminiscentiam ex aliquo, cuius sine vlla reminiscentia recordatur; & quia recordatur loci, in quo illum vidit, à loco, in quo vidit, excitat memoriam sociorum, cum quibus tum versabatur, sermonum, quos miscebant; occurrit, quod aliquis dixit, *en adest filius Francisci*, & sic reminiscitur, quod homo, quem vidit, sit filius Francisci. Sicut autem est impossibile per discursum peruenire ad notitiam veritatis per se non notæ, nisi incipiendo ab aliqua prima veritate per se nota, sic impossibile est per reminiscentiam peruenire ad memoriam obiecti, cuius promptè non recordamur, nisi per memoriam alicuius, cuius promptè recordamur, & est principium connexum cum eo, cuius memoriam quęrimus. Potest igitur definiri simplex memoria *cognitio rei vt ante cognit. e causata ex prompta*

excitatione speciei illam repræsentantis sine me-dio. Reminiscentia è conuerso *est cognitio rei vt antea cognitæ acquisita per quendam discursum, per quem ex aliquo primo, cuius promptè recordamur, per media connexa procedimus ad id, cuius non omninò recordamur.* Dixi *cuius non omninò recordamur*, quia cum ego recordor me in foro vidisse hominem, sed non recordor, *quis sit*, adhuc recordor aliqualiter quis sit; alioquin occurrente quod sit Petrus e. g. non dicerem statim, quod verè est Petrus, occurrente verò, quod sit Paulus, non statim negarem. Ex eo, quod reminiscentia sit cum quodam discursu, secus verò simplex memoria, oritur, vt docet Aristoteles initio libri de memoria, & reminiscentia, quod memores magis sunt ingenio tardi, reminiscentia verò valent ij, qui mente celeres, & dociles existunt.

Ad primum. Quinque sensus exteriores sufficiunt ad percipienda omnia sensibilia seorsim, sed non sufficiunt ad discernenda sensibilia plurium sensuum, ideòque requiritur sensus communis, & internus.

Ad secundum. Actus sensuum exteriorum sunt proportionati sensibus exterioribus in ratione actus, non autem in ratione obiecti, ideòque æquè repugnat quod oculus videat suam visionem, ac

quod

quod videat sonum ; ergo ad percipiendos actus sensuum exteriorum, requiritur sensus internus. Addo, quod vniuersim est contrà rationem potentiæ materialis, vt reflectat suprà suos actus, & talis reflexio est propria potentiarum vniuersalium, adeòque immaterialium, vt dicetur quæst.2. de Anima rationali. Concedo proinde, quod bruta non reflectunt suprà actus suæ supremæ potentiæ, nec illos cognoscunt, aut eorum recordantur propria memoria. Homines recordantur quidem actuum supremæ potentiæ materialis, sed per memoriam intellectiuam, quæ est thesaurus specierum spiritualium, sicut memoria sẽsitiua est thesaurus phantasmatum materialium.

Ad tertium. Patet ex dictis in resolutione quæst. in qua allata sunt fundamenta distinguendi 4. potentias internas.

Ad quartum. Sicut in homine dantur omnes sensus externi, qui in brutis, & vlterius intellectus, sic dantur omnes potentiæ sensitiuæ internę mobiles ad suos actus materiales à proportionatis obiectis, & vlterius datur intellectus. Vis enim intellectiua, & inorganica supponit omnes vires sensitiuas, & organicas. Confirmatur, quia omnia organa potentiarum internarum, quæ dantur in brutis, dantur etiam in homine ; sed organa

non dantur sine potentijs correspondentibus, e. g. organum videndi non datur sine potentia visiua; ergo in homine dantur omnes potentię interiores, quæ dantur in brutis.

Ad quintum. Sicut bruta non operantur propter finem formaliter, sed solum materialiter, vt dictum est quæst. 16. phys. ità non discurrunt formaliter, sed solum materialiter. Discursus porrò formalis consistit in hoc, vt vnum obiectum inferatur ex alio propter connexionem cognitam; at bruta non cognoscunt connexionem obiectorum, sed solum per quendam instinctum à cognitione vnius obiecti mouentur ad cognitionem alterius absque illatione, & syllogismo; e. g. lupus audiens balatum cognoscit ouem, sed non mouetur ad cognoscendam ouem ex eo, quod cognoscat balatum esse connexum cum oue; talis enim cognitio est actus rationis; sed merè per quemdam instinctum ex auditione balatus mouetur ad cognoscendam ouem vt nutrimentum congruum lupi, & ex cognitione ouis, vt nutrimenti mouetur ad congnoscendum, & appetendum motum, quo persequitur ouem. Tales verò discursus merè materiales experimur etiam in nobis; cum ex vehementi imaginatione aliquorum obiectorum exercemus quosdam mo-

motus irrationabiliter ex impetu naturę, & nescientes, curiales motus exerceamus.

QVAESTIO XXX.

Vtrum conuenienter explicentur organa, speces, medium, actus, & pasiones potentiarum interiorum.

VIdetur vera sententia Fernelij lib. 5. cap. 10. & lib. 6. cap. 15. quod plures potentiæ sensitiuæ internę resideant in eodem organo. Tactus enim est multiplex sensus, in eodem tamen residens organo; ergo, &c.

Respondeo, quod vt absoluatur tractatus de potentijs internis, quatuor remanent explicanda; primo in quibus organis resideant; secundo per quas species, per quod medium, quomodo, & ad quos actus moueantur; tertio quo pacto appetitus sensitiuus sequatur vt passio ad potentias sensitiuas, in quo organo resideat, & quo pacto motus spontanei sequantur ad appetitum; quarto demum agendum de alijs passionibus sensus interni, quę sunt somnus, & vigilia, & somnia, examinan-

do etiam, quo pacto possint ex somnijs tamquam ex causis, vel signis, aut alia ratione quædam futura diuinari.

Quoad primum: consequenter ad nostra principia, dicendum primo cum medicis contrà Aristotelem: organum cõmune potentiarum sensitiuarum interiorum non est cor, sed cerebrum, cum suis meningibus, seu membranis, dura nimirum, & pia matre, quas descripsimus agentes de visu. Probatur ex dictis quęst. 28. de tactu, & confirmatur experientia; vnusquisque enim experitur actus sensus interni, imaginationis, & æstimatiuæ in capite, non in corde.

2. Dico; probabilius est quatuor potentias internas residere in organis diuersis constitutis in diuersa parte cerebri. Probatur, quia ideò sensus exteriores constituti sunt à natura in organis diuersis; quia organa debent esse diuersimodè disposita ad hoc, vt sint apta videre; ad hoc, vt sint apta audire, odorari, &c. sed etiam diuersimodè organa debent esse disposita, vt sint apta exercere munera quatuor potentiarum interiorum; ergo, &c. Minor probatur, & primo organum memoriæ debet esse retentiuum imaginum, organa aliarum potentiarum non debent esse retentiua, sed debent esse disposita ad facillimè recipiendas, ac statim abijcien-

abijciendas, & delendas imagines rerum, & genus stultitiæ est, cum aliqua imaginatio ità imprimitur phantasię, vt deleri non possit; ergo organum memorię debet habere naturam magis terream, & siccam imaginum retentiuam, organa aliarum potentiarum debent esse magis aquea, & humida, facillimè receptiua, ac deinde deletiua imaginum. Præterea in aliquibus sensus communis est valdè perfectus, & optimè discernit sensibilia præsentia, imaginatio est debilis, cum non possit formare imagines viuas rerum absentium. E conuerso alij pollent optima imaginatione formante viuas imagines rerum absentium, sed sensibilia pręsentia non facilè discernunt, etiamsi sensus exteriores sint valdè perfecti, & adhibeant attentionem; ergo diuersa est dispositio requisita ad perfectionem imaginationis, ac sensus communis. Idem dic proportionaliter de ęstimatiua, quę pręstantissima est in hominibus iudicio pollentibus, etiam cum defectu imaginationis, in alijs imaginatione, & sensu communi præstantibus sæpè est imbecilla. Confirmatur primo, quia cum somniamus, sensus communis est ligatus, imaginatio soluta, & libera; ergo signum est, quod halitus soporiferi licet occupent organum sensus communis, non tamen occupant, & impediunt organum imagina-

nario-

nationis;cum verò ſomnus eſt profundus, occupant organa omnium potentiarum. Similiter aliquando in ſomno imaginatio eſt ſatis ſoluta, æſtimatiua eſt valdè impedita, & tunc de rebus imaginatis formamus iudicia quædam ineptiſſima, & valdè inconnexa; aliquando è conuerſo æſtimatiua ità eſt ſoluta, vt de obiectis imaginatis rectè iudicemus, ac illa diſcernamus,non ſecus atque in vigilia.

Confirmatur ſecundo, quia in amentia aliquando læditur imaginatio, non læditur ſenſus communis: aliquando læditur ęſtimatiua, imaginatione illæſa, & è conuerſo. E. g. in eo, qui imaginabatur in cubiculo verſari tibicines noctu, dieque perſtrepentes, lęſa erat ſola imaginatio, ità impreſſo phantaſmate tibicinum perſtrepentium in organo, vt abijci non poſſet; at æſtimatiua erat integra, cum optimè diſcerneret conuenientia ab inconuenientibus. E conuerſo in eo, de quo narrat Galenus,quod ex feneſtra ſciſcitabatur tranſeuntes, num deberet proijcere puerum, & vaſa omnia, quæ erant in domo, & reſponſo accepto per deriſum à quodam, vt proijceret, ſtatim puerum, & omnia proiecit, læſa erat æſtimatiua diſcernens conuenientia ab inconuenientibus, imaginatio non erat lęſa. Cum verò phrenetici nec diſcernunt ſenſibilia prę-

præsentia, tum læsus est etiam sensus communis; ergo organa talium potentiarum sunt diuersa.

Tertio dico; organum formale sensus communis est anterior pars cerebri, seu meninges, à qua tanquam à principio, & centro deriuantur nerui sensorij per totum corpus diffusi: organum formale imaginationis est sub vertice capitis propè tertium, & medium cerebri sinum, vel in substantia cerebri, vel in meninge: organum formale æstimatiuæ est in aliqua parte interiore; organum formale memoriȩ est in extrema parte cerebri decies minore, quam cerebrum, quæ vocatur cerebellum.

Probatur, quia organum sensus communis consistere debet in ea parte, à qua per neruos sensorios deriuatur in totum corpus cum spiritibus vis sensitiua, & ad quam rursus tanquam ad iudicem per eosdem neruos deferuntur imagines sensationum, & obiectorum sensatorum dijudicandorum à sensu communi; sed pars assignata est huiusmodi; ergo, &c. Confirmatur, quia in ceribri meningibus est exquisitissimus sensus tactus, in cerebri substantia nullus, vel exiguus est sensus tactus, vt cum alijs docet Fernelius lib. 5. c. 10. & probat, quia cum in delirio lęditur substantia cerebri, vix vllus sentitur do-

dolor, cum lęduntur meninges, fit acerrimus sensus doloris; sed organum sensus communis debet habere acerrimam vim sensitiuam; ergo organum sensus communis debent esse meninges, ex quarum substantia pręcipuè deriuantur nerui sensorij; imaginatio verò debet esse in aliqua alia parte interiori proportionali minus sensitiua, ac similiter æstimatiua in parte adhuc vlteriori, quas difficilè est exactè assignare. Quod autem istæ potentię sint in parte minus sensitiua, probatur, qui a ipsarum actus fiunt cum minori sensu voluptatis, ac doloris sensibilis. Demum organum memorię residere in postrema parte capitis, seu cerebello, suadetur, quia cum conamur recordari, instinctu naturæ perfricamus postremam partem capitis; ergo signum est, quod in ea parte conseruentur imagines, quas calore, & perfricatione commotas conamur excitare.

Quo ad secundum de speciebus intentionalibus potentiarum internarum, &c. dico, quod species intentionales, medium, & modus, quo mouentur potentię interiores, maximè debent intelligi cum proportione ad species, medium, & modum, quo mouetur visus, qui est immaterialissimus sensuum externorum, ideòque propinquissimus potentijs interioribus. Sicut igitur obiectum visibile mouet aerem,

aut

aut aquam mediam per ſpecies viſibiles; aer motus mouet humorem chryſtallinum, vitreum, &c. humores moti mouent retinam, in qua formatur viſio; ſic à viſione, & ab alijs ſenſationibus, tanquam à directis obiectis potentiarum interiorum incipit alia ſeries motionũ. Viſio enim per ſpeciẽ ſui mouet neruos terminatos in organo ſensus interni; nerui moti mouent ſensũ internum ad perceptionem experimentalem viſionis, & obiecti vt viſi, quod dicitur obiectum ſensatum; ſensus internus motus mouet intentionaliter partem cerebri, per quam continuatur cum organo imaginationis; hęc pars mota mouet imaginationem ad actum percipientem obiectum vt diiudicatum à ſensu interno; imaginatio mota mouet intentionaliter partem cerebri, per quam continuatur cum organo æſtimatiuę; hęc pars mota mouet æſtimatiuam ad actum, quo apprehendit conuenientiam, vel disconuenientiam obiecti; ęſtimatiua mota mouet appetitum ad proſecutionem, vel fugam obiecti ęſtimati; appetitus motus mouet neruos, à quibus incipit motus spontaneus animalis; nerui moti mouent certam partem corporis; hæc illam, vsque dum perueniatur ad aliquid motum non mouens, in quo tandem terminatur motus.

Sed licet ſatis ſit explicatum, quo pacto,

cto, & per quas species potentię interiores moueantur ab obiectis vt pręsentibus, adhuc remanet explicandum, quo pacto moueantur ab obiectis vt pręteritis ad actus memoratiuos. Dico, quod ſicut in corde formantur spiritus vitales, qui sunt corpuscula subtiliſſima celerrimi motus, & sunt vehicula deferentia per arterias calorem vitalem ad totum corpus; ſicut in cerebro formantur spiritus animales, qui sunt vehicula deferentia per neruos sensorios virtutem senſitiuam ad organa sensuum; ſic in cerebello, quod eſt sedes memoriæ, formantur alij spiritus proportionales, qui poſſunt vocari spiritus phantaſtici, & sunt vehicula deferentia imagines rerum vt ante cognitarum ad organa imaginationis, vel ęſtimatiuę. Iſti ſpiritus ſecundum ſe præcisè, inquantum præparantur à cerebello, ſunt phantaſmata ſolum potentia, quia ſecundum ſe pręcisè habent meram potentiam ad recipiendas, ac retinendas imagines obiectorum, ſed actu non ſunt adhuc ſignati vlla imagine: cum verò obiectum imaginatum imprimit in aliquo ex iſtis ſpiritibus imaginem fixam ſui, conſtituit illam actu phantaſma. Tales ſpiritus aliquando ſunt talis naturæ, vt facilè recipiant impreſſionem imaginis, ſed facilè deleant propter abundantiam

humi-

humiditatis; aliquando ſunt talis naturę, vt difficillimè recipiant, ſed diutiſſimè retineant propter abundantiam ſiccitatis; aliquando ſunt talis naturæ, vt & benè recipiant, & benè retineant propter humiditatem benè attemperatam ſiccitati, & ex hoc oriuntur proportionales gradus memoriæ. Prętereà videtur, quod ſpiritus iam formatus vno phantaſmate ſit incapax alterius, eo pacto, quo cera eſt incapax ſimul plurium figurarum. Modus, quo formantur phantaſmata, videtur hic. Cum imaginatio mouetur ab obiecto pręſenti ad actum imaginationis, mouet, & attrahit à cerebello ad ſe ſpiritus phãtaſticos, qui ab obiecto vt imaginato formantur, & recipiunt imaginem expreſſiuam eiusdem obiecti: deindè verò per quendam motum veluti circularem remittuntur ad cerebellum, quod eſt ſedes memorię, ibique conſeruantur. Porrò tales ſpiritus ſignati imaginibus obiectorum cum ad organum imaginationis accurrunt, habent vim imaginationem mouendi ad ſimilem actum, eo pacto, quo ſigillum habet vim imprimendi cerę ſimilem figuram; per hanc verò impreſſionem cauſat memoriam obiecti, vt ante cogniti. Actus imaginationis, quo eſt profundior, & vehementior, eo profundiorem, & viuidiorem imaginem ſui relinquit in ſpi-

spiritu phantastico, ideòque obiecta vehementia relinquunt memoriam sui valdè viuidam. Quod si accidat aliquando, quod tales spiritus phantasmate signati remaneant nimis altè infixi in imaginatione, ità vt non possint amoueri, tum causant illam speciem stultitię, quę consistit in phantasmate obstinatè radicato alicuius obiecti, qua semper illi obuersatur vt pręsens; e. g. aliquis ex profunda, & repetita cognitione alicuius morbi, periculum est, ne ità infigat imaginationi phantasma talis morbi, vt sibi videatur tali morbo ęgrotare, licet verè non ægrotet. Addo, quod spiritus phantastici sunt heterogenei secundum materiam. In aliquibus enim abundat atra bilis, in alijs flaua bilis, in alijs pituita, in alijs sanguis, alij sunt temperati. Imaginationes melancholicę mouent spiritus melancholicos, in quibus abundat atra bilis, illisque imprimunt suas imagines; similiter imaginationes cholericæ mouent spiritus cholericos, idemque dic de alijs. Est enim quædam proportio, & affinitas inter humores corporis, & imaginationes animę, propter quam inuicem comparantur, sicut mouentes, & moti.

Quoad excitationem phantasmatum dico, quod sæpè excitantur à Deo, ac bonis, vel malis angelis, ideoque prima bo-

na

na cogitatio dicitur esse à bona fortuna, quia immitti solet à Deo; aliquando excitantur à fortuna, vel casu; aliquando à ratione, & appetitu, vt cum cogitamus aliquod obiectum, quia volumus; aliquando excitantur propter connexionem formalem, quam habent inter se in ratione imaginis; aliquando propter cõnexionem materialem, quam habent inter se, & cum alijs humoribus in ratione spiritus melancholici, & cholerici. Excitantur propter connexonem materialem, cum phantasma residens in spiritu cholerico excitat, & mouet alia phantasmata residentia in spiritibus cholericis; ideoque iratis proponuntur obiecta repræsentantia vindictas, & strages, ac similiter męstis proponuntur obiecta rerum męstarum. Excitantur propter connexionem formalem, cum excitantur propter connexionem obiectorum. Sicut enim obiecta sunt connexa inter se, sic phantasmata, seu imagines obiectorum. Hinc oritur, vt phantasma reprę sentans vnum obiectum excitet phantasmata reprę sentãtia alia obiecta connexa. Porrò tum phantasmata sunt optimè constituta ad contemplationem, cum sunt apta excitari magis propter connexionem formalem obiectorum, quam propter connexionem materialem humorum. Ad contemplandum enim sicut sum-

nè confert, vt vnum phantaſma excitet aliud connexum in ratione obiecti, ità valdè obeſt, vt vnum excitet aliud ratione materię, & humoris, inquantum ſcilicet reſident in ſpiritu cholerico, vel melancholico.

Quoad tertium de appetitu; dicendum primo, quod appetitus eſt diuerſa potentia à cognoſcitiuis, vt probatum eſt, agendo vniuerſim de diſtinctione potentiarum. Dicendum ſecundo, quod reſidet in eodem organo cum æſtimatiua, non in corde, ſed in cerebro. Quod reſideat in cerebro, probatur, quia ſicut actus imaginationis, & ęſtimatiuæ experimur in cerebro, ſic actus appetitus. Quod reſideat in eodem organo, probatur, quia organum appetitus eſt illa pars, quę eſt maximè diſpoſita ad obiectum proſequendum, vel fugiendum; ſed nulla pars eſt aptius organum ad obiectum proſequendum, & fugiendum, quam in qua eſt cognitio proponens obiectum vt conueniens, vel diſconueniens: ergo, &c. Hinc poteſt magis in particulari determinari organum potentiæ æſtimatiuę, & appetitus. Dicendum, quod eſt in ea parte cerebri, in qua originem habent nerui deſeruientes ad motum ſpontaneum animalis. Principium enim motus ſpontanei reſidere debet in ea parte, à qua incipit motus ſpontaneus;

ſed

ſed ęſtimatiua, & appetitus ſunt principia motus ſpontanei; æſtimatiua enim mouet appetitum, proponendo conuenientiam, aut diſcouenientiam motus, quem appetitus imperat; ergo ęſtimatiua, & appetitus reſident in parte corporis, in qua originem habent nerui, à quibus cauſantur omnes motus ſpotanei. Hinc oritur, vt abſciſſis in collo neruis ſenſorijs, & motorijs, ceſſet ſtatim omnis motus ſpontaneus, & omnis ſenſatio, licet arteriæ aliquandiu palpitent propter motum cordis, vt obſeruant anatomiſtę. Quomodo verò animalia exerceant motus ſpontaneos, explicat Ariſtoteles in lib. de animalium motu.

Quoad quartum: *Somnus eſt ligamen, & quies ſenſus communis ex fine reparandi ſpiritus, cauſatus propter obſtructionem meatuũ, & interclusionem ſpirituum deriuatorum à cerebro ad organa ſenſuum ex vaporibus ad cerebrum aſcendentibus, & à cerebro frigefactis, & condenſatis.* Ex hac definitione colliguntur quatuor cauſæ ſomni. Cauſa materialis, ſeu ſubiectum eſt ſenſus communis, & eius organum, ideoque dicitur ab Ariſt. paſſio primi ſenſitiui; & quia ſenſus communis datur in omnibus, & ſolis animalibus, ideò omnia, & ſola animalia capacia ſunt ſomni. Cauſa formalis ſomni eſt ligatio ſenſus communis, & conſequenter om-

omnium sensuum exteriorum, qui operari nequeunt, ligato sensu communi, ità vt non transmittat ad eorum organa cum spiritibus vim sensitiuam. Porrò aliquando somnus est perfectus, & tum sensus communis, & omnes sensus exteriores ligati sunt totaliter: aliquando est imperfectus, & tum ligati sunt partialiter, ita vt non cessent omninò à sentiendo, sed sentiant imperfectè, vt patet, cum dormientes audimus loquentes, & etiam respondemus; & vt constat etiam in ijs, qui dormientes surgunt, ambulant, oculis apertis vident, & alia plura exercent, sed cum quadam stupiditate. Causa efficiens somni est obstructio meatuum propter vapores condensatos à cerebri frigiditate; ligamen verò sensus causatum non à vaporibus, sed ab alia causa, vt in deficientibus non est somnus. Hinc oritur, vt post cibum sequatur somnus; tum enim eleuantur vapores cibi. Causatur etiam somnus ex sumptione rerum fumosarum, vt vini papaueris, opij, &c. Si vapores sint viscosi, & ità adhærentes, vt vix possint dissolui à calore naturali, oritur lethargus. Sequitur etiam somnus post laborem, & defatigationem, quia liquefactæ sunt aliquæ partes, ex quibus ascendunt vapores soporiferi. Ex vaporibus grauibus oritur in capite, & in palpebris grauitas quędam

ideoque

ideoque palpebræ concidunt, & oculi spontè clauduntur. Causa finalis somni est requies animalis, & refectio spirituum. Spiritus enim vitales in vigilia ex operationibus sensus, & motus valdè dissipantur, & ex dissipatione sequitur defatigatio. Euigilat animal naturaliter, cum calor spirituum, resolutis vaporibus, aperit meatus sensus communis; euigilat violenter, cum sensibile vehemens discutit, & abijcit vapores ligantes sensum communem.

Somnium est *passio tempore somni causata in imaginatione à phantasmatibus excitatis*. Non tamen semper somniamus, quia vapores aliquando ità possunt occupare omnes potentias interiores, vt non moueantur à phantasmatibus. Somnia frequentiora sunt sub finem somni, quam sub initium; quia sub finem, dissipatis ex parte vaporibus, soluitur phantasia. Etiam bruta somniant, vt patet, nam canes dormientes sæpè latrant. Homines in somnijs operantur etiam per intellectum, & voluntatem, cum discurrant de Deo, Intelligentijs, & obiectis honestis, quæ non percipiuntur ab vlla potentia materiali. Non tamen possumus mereri, vel demereri, quia potentiæ non sunt expeditæ prout requiritur ad operandum honestè, vel inhonestè. Phantasmata excitantur primo

vel à Deo, vel à bonis, aut malis Angelis. Secundo à causis naturalibus. Prima causa naturalis est motus diurnus phantasmatum. Sicut enim aqua agitata diu fluctuat, ita spiritus phantastici in vigilia agitati retinent aliquem motum, per quem causant somnia. Hinc oritur, vt sæpè somnia nocturna sint de obiectis; quæ vigilantes cogitauimus, vel de alijs connexis. Secunda causa est motus humorum Cum enim atra bilis agitatur, mouet phantasmata melancholica; cum agitatur flaua bilis, mouet phantasmata cholerica, &c. Tertia causa est aliqua passio sensibilis, quã dormientes patimur actu in sensibus exterioribus. Ità aliquando videmur gustare mel, & alios sapores dulces, & vigilantes aduertimus, quod aliquis humor dulcis vellicabat palatum, quia minimæ passiones sensibiles in somnijs videntur maximæ ex eo, quod tunc potentæ sensitiuæ vacent à passionibus aliorum sensibilium, sicut noctu percipiuntur minimi quique strepitus.

Circà ea, quæ ex somnijs diuinantur, dico, quod hæc vel spectant ad somniantem, vel ad alios. Si ad somniantem, vel sunt passiones, quas somnians patitur à causis naturalibus; vel sunt euentus fortuiti; vel sunt actiones ipsius somniantis. Si sunt passiones naturales, vt morbi, vel effectus morborum, ex somnijs possunt aduerti prin-

principia, & causæ talium morborum, & ex principijs diuinari morborum euentus. Licet enim talia initia sint valdè tenuia, adhuc dormientibus videntur magna, vt dictum est; ergo sæpè in somnis aduertuntur exigua morborum initia, ex quibus possunt diuinari morbi, vel eorum euentus. Ità ex somniis melancholicis potest aduerti motus atræ bilis, & sic diuinari febris quartana, vel alius morbus ortus ex atra bile, ex somnijs cholericis colligi potest motus flauę bilis, ac diuinari febris tertiana, vel alius morbus causatus à flaua bile; ex somnijs perturbatis potest conijci perturbatio humorum, & diuinari morbus causatus à tali perturbatione; ex somnio, quo aliquis imaginetur aliquam passionem in certa corporis parte, conijci potest motus humorum in ea parte, adeoque morbus; & ex proportionalibus rationibus possunt diuinari euentus morborum. Audiatur Aristoteles. *Illæ etenim quæ in die fiunt motiones nisi grandes fuerint & prævalidæ, latere plane solent, si maioribus vigilantium motibus comparentur; somni autem tempore contrario se habent modo. Parui namque motus magni esse videntur. Palam autem id est ex ijs, quæ in somnijs plerunque contingunt. Arbitrantur enim fulgura cadere ac tonitrua fieri, paruis sonis in auribus factis, minimaque distillante pituita, mel, & dulce*

se degustare sapores, atque etiam per ignem incedere, vehementerque calefieri, leui calore quasdam partes corporis incessente; quæ tamen experrecti hoc se habere modo manifestè deprehendunt. Quare cum debilia omnium sint initia, manifestum sanè est, quod morborum etiam, aliarumque passionum, quæ in corporibus fieri debent. Palam igitur est, quod isthæc ipsa in somnijs necessario illustriora sunt, quam vigiliæ tempore.

Si quæ somnianti accidunt, sunt euentus merè fortuiti, dicendum, quod non possunt ex somnijs diuinari. Sicut enim accidit aliquando, vt ambulante Socrate coruscet, sic accidit, vt somniante contingat fortuito aliquid simile; ergo sicut ex ambulatione Socratis non potest inferri coruscatio, sic nec euentus fortuitus ex somnio.

Si quæ diuinãtur ex somnijs, sint actiones somniantis, dico, quod aliquando possunt conijci ex somnijs, quia somnium causatur ex eo, quod somnians iam tales actiones sit aggressus, vel aggredi meditetur: e. g. ex eo, quod aliquis cogitet hostem interficere, sequitur, vt somniet, quod interficit; ergo ex somnio, tanquam ex effectu, potest conijci voluntas interficiendi, vt causa, atque adeò quod interficiet. Aliquando è conuerso somnium potest esse causa, cur aliquas actiones aggrediamur,

mur: e. g. somnium, quo aliquis sibi videtur hostem interficere, potest esse causa, vt euigilans statuat exequi somnium; ergo tum ex somnio tanquam ex causa diuinari potest euentus somniatus.

Difficilius est explicare, quo pacto per somniũ prospiciantur aliquando, quę eueniunt absentibus, pręsertim amicis, & propinquis: & tamen aliquando matres somniant filiũ absentẽ interfici, vel ægrotare, cum verè interficitur, & ęgrotat. Dicendũ primo, quod aliquando talia somnia causãtur merè fortuito. Secundo dicendũ, quod immittuntur à Deo, vel à bonis, & malis Angelis, licet Aristoteli videatur incõueniens, quia si à Deo immitterentur, deberent immitti sapiẽtioribus, melioribus, & vigilantibus; sed hęc somnia plerunq; immittuntur hominibus ex fęce; ergo, &c. Tertio docet Aristoteles probabile esse, quod ea, quæ accidunt longè, habeant vim mouendi aerem, & mediũ pręsertim quietum motu aliquo tenuissimo, & per mediũ mouendi sensum facilè patibilem, & per sensum mouẽdi phantasmata facilè mobilia, & sic causandi somnium absentium. Accidit ergo aliquando noctu, vt quæ siũt procul, per aerem, & per medium ab alijs motibus vacuũ, moueant corpus sentiẽtis; à tali motu moueantur phãtasmata, & hæc causẽt somniũ de eo, quod procul euenit.


Hinc reddit rationem primo, cur sentiantur noctu, non interdiu: *quia interdiu si deferuntur, euanescunt; noctu namque tranquillior est aer, quia minus perflatæ sũt noctes.* Secũdo cur sentiantur à dormientibus, nõ à vigilantibus; *quia tenues dormientibus magis, quam vigilantibus sentiuntur motus.* Tertio, cur hæc passio accidat magis hominibus ex fæce, quam sapientibus, *quia mens illorũ nõ est cogitabunda, sed tanquam deserta, & vacua ab omni motu secundũ mouens agitur.* Quarto, cur hęc magis præuideantur ab ijs, qui patiuntur extasim, seu alienationẽ à sensibus, *quia proprij motus nõ impediũt; externos igitur maximè sentiunt.* Quinto cur prospiciantur magis quę spectant ad amicos, & notos: *notorũ enim notiores sunt motus.* Sexto demũ, cur hæc accidant precipuè melãcholicis, & furiosis. Ratio est, quia in melancholicis exigui motus causant impressiones vehementes, ideoque melancholici sunt exageratiui, & hyperbolici; in furiosis verò phantasmata sunt facillime mobilia. Demũ concludit Aristoteles, quod ij sunt optimi somniorũ interpretes, qui sunt combinatiui proportionum, & similitudinum.

Ad argumentum in contrarium patet ex dictis.

QVAE-

QVAESTIONES
Physico-Metaphysicæ.

De Ente immateriali, hoc est de Anima rationali, Intelligentijs, & Deo



NTIA sunt ità ordinata, vt supremum generis inferioris attingat infimum generis superioris, vt ex S. Dyonys: cap. 7. de Diuin. nomin. docent Scholastici communiter. Quia igitur genus entis corporei, & materialis est inferius, genus entis incorporei, atque immaterialis est superius, ideo in genere corporum datur homo, qui attingit infimum inter entia incorporea, in quantum constituitur per Animam rationalem, quæ tenet infimum gradum inter substantias incorporeas, & immateriales. Hinc est, vt anima rationalis sit quasi quidã horizon corporeorũ, & incorporeorum, in quantum est incorporea, corporis tamen forma, vt docet S. Thomas 2. contrà Gent. cap. 68. Proportionaliter ac ordinãtur genera entium, ordinantur scientię, quę agunt de talibus generi-

bus. Sed physica est scientia inferior, agens de ente corporeo, ac materiali; Metaphysica est scientia superior, agens de ente incorporeo, ac immateriali; ergo suprema pars physicę, quæ agit de Anima rationali, inquantum est forma hominis, attingit infimam partem metaphysicę, quæ agit de eadem Anima rationali, inquantum est infima inter substantias incorporeas, ideoque Anima rationalis est horizon physicæ, ac metaphysicę, ac quæstiones de Anima rationali congruè vocari possunt physico-metaphysicę. Ex proportionali ratione vocamus etiam physico-metaphysicas quęstiones de Intelligentijs, & Deo. Quia enim Physica agit de ente, & motu naturali, debet etiam agere de primis causis entium, & motuum naturalium; sed primæ causę entium, & motuum naturalium sunt Intelligentiæ motrices Coelorum, & primus motor immobilis; ergo debet agere de Intelligentijs, & primo motore, ac de ijsdem per se, inquantum sunt entia immaterialia debet agere etiam metaphysica. Per has igitur quęstiones Physico-metaphysicas, Physicam simul, & Metaphysicam vtcunq; absoluemus. Cum enim Metaphysica duas habeat partes, alteram, in qua agitur de ente immateriali pręcisiuè, hoc est de rationibus communibus enti materiali, & immateriali;

li; alteram, in qua agitur de ente immateriali positiuè, hoc est de ente separabili à materia, quæstiones spectantes ad primam partem inseruimus Logicę, & Physicę, ac egimus de ente intelligibili vt sic, & eius diuisione in possibile, & impossibile; positiuum, & negatiuum; reale & rationis; de proprietatibus entis realis; de modis entis realis, qui sunt essentia, existentia, subsistentia; de principijs, & causis entis realis, de Analogia entis realis, & eius diuisione in decem prædicamenta, & de singulis predicamentis; ergo addita altera Metaphysicę parte de ente immateriali positiuè, completa erit vtcumque hæc imperfecta, & compendiaria metaphysica.

Ordo Disputandorum.

PRimo quærimus, vtrum intellectus, & voluntas sint potentię inorganicæ, & immateriales. Secundo vtrum demonstretur Animam rationalem esse immaterialem, subsistentem, ingenerabilem, & incorruptibilem; vbi examinamus etiam, quid in hac materia docuerit Aristoteles. Tertio quęrimus, vtrum Anima rationalis sit forma informans, & creetur, cum corpori vnitur, & multiplicetur cum corporibus: vbi etiam examinamus, an detur

transmigratio animarum; an status separationis sit violentus; & quem modum operandi habeat anima separata. Quarto expeditis quęstionibus de substantia animæ, aggredimur quęstiones de intellectu, & quęrimus vtrum intellectus agens, & possibilis sint potentiæ animæ, & distinguantur realiter inter se; & vtrum dentur species intelligibiles, quomodo producantur, & excitentur. Quinto expeditis quæstionibus de intellectu, agimus de habitibus tum intellectus, tum voluntatis, & quærimus, vtrum præter species intelligibiles dentur habitus; quomodo generentur, corrumpantur, & concurrant ad actus. Post hæc agendum esset de habitibus, & actibus intellectus in particulari; sed quia de his fusè disputauimus in quęstionibus procemialibus ad logicam, & scientias, nihil est addendum, præsertim cum plura alia de actibus intellectus dicta sint in quęstionibus de vniuersalibus &, in libris priorum, & posteriorum, quæ si huc transferrentur, constituerent tractatū satis prolixum. Agendum etiam esset de voluntate, eius habitibus, & actibus: sed de his Aristoteles non agit in Physica, neque in Metaphysica, sed in libris Ethicorum. Ab Anima igitur rationali ascendimus ad Intelligentias, ac Deum, & sexto quærimus,

vtrum

vtrum prętet animam rationalem dentur Intelligentię, quę non sint formę vllius corporis, & proportionaliter ad animam breuiter explicamus earum naturam, & modum operandi. Septimo quærimus. vtrum demonstretur dari Deum sub ratione primæ causæ incausatę. Octauo vtrum demonstretur dari Deum sub ratione primi motoris immobilis. Nono vtrum demonstretur dari Deum sub conceptu primi entis necessarij. Decimo vtrum prima causa, primus motor, & primum ens necessarinm sit intellectus separatus. Vndecimo vtrum primus intellectus habeat prouidentiam rerum humanarum. Duodecimo vtrum demonstretur Deum esse infinitè perfectum, simplicem, & vnicum. Decimotertio demum vtrum demonstrentur aliæ perfectiones, & attributa Dei: & per has quæstiones Philosophiam concludimus.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum intellectus, & voluntas sint potentiæ immateriales, & inorganicæ.

VIdetur, quod non, primo quia potentiæ, quarum omnes actus recipiuntur

n organo corporeo, sunt organicæ; sed omnes actus intellectus, & voluntatis recipiuntur in organo; experimur enim actus intellectus, & voluntatis in capite, non minus quam actus imaginationis; ergo &c.

Secundo si actus intelligendi, & volendi non reciperentur in organo corporeo, sed in sola anima, non homo intelligeret, & vellet, sed sola anima: homo enim non est sola anima, sed anima, & corpus organicum; sed homo intelligit, & non sola anima; ergo &c.

Tertio si aliquid obstaret, ne intellectio reciperetur in organo corporeo, maximè spiritualitas intellectionis; sed spiritualitas non obstat; ergo &c. Minor probatur; anima enim intellectiua, licet sit spiritualis, recipitur in corpore organico; ergo etiam intellectio licet sit spiritualis, recipi potest in organo corporeo.

Quarto omnis potentia, quæ recipit speciem intentionalem, & mouetur ad suum actum ab obiecto corporeo, est corporea, & organica, cum incorporeum non possit moueri, ac pati à corporeo; sed intellectus recipit speciem intelligibilem, & mouetur ad intelligẽdũ ab obiectis corporeis; ergo &c. Minor probatur, explicando modum, quo intellectus mouetur ad intelligendum. Sicut enim sensibile

mouet

mouet sensum externum; sensus externi moti mouent sensum communem; sensus communis motus mouet phantasiam; phantasia mota mouet æstimatiuam; sic æstimatiua mota mouet intellectum, qui proinde non potest recipere species intelligibiles, nisi ab obiectis sensibilibus mouentibus intellectum ordinatim per potentias exteriores, ideòque est axioma commune, *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*.

Quinto potentia, quę exercendo operationem etiam ex se conuenientem tali potentiæ, adeòque delectabilissimam, defatigatur, est organica; talis enim defatigatio non aliunde oritur, nisi ex eo, quod organum patitur vt natura, hoc est alteratur, & remouetur à dispositione naturali; ità defatigatio potentiæ visiuæ in videndis obiectis delectabilissimis oritur ex eo, quod organum videndi propter concursum, vel absumptionem spirituum patitur aliquam alterationem, per quam remouetur à sua naturali dispositione, idemque dic de cæteris potentijs; sed intellectus intelligendo, & contemplando obiecta etiam delectabilissima defatigatur; ergo intellectus est potentia organica.

Sexto potentia, quę in operando, vel in perfectione operandi pendet à dispositione

tione organi corporei, est organica; sed intellectus in intelligendo, & in perfectione intelligendi pendet à dispositione organorum corporeorum; ergo &c. Minor probatur, quia qui habent organa benè disposita sunt ingeniosi, & apti ad benè intelligendum; qui habent organa malè disposita sunt rudes, & ab benè intelligendum inepti; in pueris, & in valdè senibus vis intellectiua est infirma ex indispositione organorum; ex læsione organorum sequuntur deliria, insanię &c. in quibus etiam intellectus impeditur à propria operatione &c.

Respondeo quod Aristoteles, postquam in postrema parte libri secundi de Anima disputauit de potentijs sensitiuis internis corporeis, & organicis, initio libri tertij ostendit, quod intellectus est potentia incorporea, & inorganica. Probat autem sic. Virtus discretiua aliquorum sensibilium non est vllum ex talibus sensibilibus, sed est quid superius, & altius ijs, quæ per talem virtutem discernuntur, ac dijudicantur; e.g. virtus tactiua, qua animal discernit qualitates tangibiles, non est vlla qualitas tangibilis, & neque est calor, neque frigus, neque humiditas, neque siccitas, sed est quid altius, & perfectius calore, & frigore, humiditate, ac siccitate: similiter virtus visiua, qua animal

mal discernit visibilia, non est vllum visibile, & neque est lux, neque color, neque albedo, neque nigredo; idemque valet de reliquis virtutibus sensitiuis exterioribus, imo & de interioribus: sensus enim internus, & communis, quo anima discernit sensationes sensuum exteriorum non est vllus sensus externus, sed est aliquid superius sensibus externis: sed intellectus est virtus, qua anima discernit, ac diiudicat omnia corpora, penetrans etiam eorum essentiam, ac quidditatem; ergo intellectus non est virtus corporea, sed est virtus superior, & altior quacunque corporea virtute; sed omnis virtus, quæ ad suum actum indiget organo corporeo, per quod operetur, & in quo recipiatur talis actus, est virtus corporea: e c. potentia visiua est virtus corporea, quia ad videndum indiget oculo e. c; ergo intellectus ad exercendum suum actum non indiget organo corporeo, per quod operetur, & in quo recipiatur talis actus; ergo est potentia, & virtus inorganica. Confirmatur primo, quia virtus perceptiua sensibilium non solum debet esse aliquid superius talibus sensibilibus, sed etiam vt illa possit perfectè discernere recipi debet in organo carente talibus sensibilibus: exem. gr. sensus tactus non solum est virtus superior qualitatibus tangibili-

gibilibus, sed etiam debet recipi in organo carente illo sensibili, quod discernit; ideòque manus calida tangens aquam tepidam, quia habet in organo calorem, non sentit aquam vt calidam, sed vt frigidam; manus frigida, quia habet in organo frigus, non sentit aquam vt frigidam, sed vt calidam; similiter vt visus discernat perfectè colores, oculus debet esse denudatus omni colore, præsertim connaturali; idemque dic de cęteris sensibus; sed intellectus est virtus perfectè discretiua omnium corporeorum, & materialium; ergo non solum non est vllum corporeum, & materiale, sed nec recipitur in organo corporeo, & materiali: ab ipsa enim organi materialitate impediretur, ne posset discernere omnia corporea, & materialia.

Confirmatur secundo, quia sensibile, quod inest sensui secundum esse materiale, impedit, ne percipiatur sensu, non autem impedit, si sensui insit secũdum esse immateriale; exem gr. color, si oculo inesset secundum esse materiale, impediret à visione sui, non autem impedit, si insit secundum esse aliqualiter spirituale speciei visibilis: et quia potentiæ materiales habent in se ipsis esse materiale, ideò nullá potentia materialis potest percipere, vel se ipsam, vel suum actum, vel

suam

ſuam ſubſtantiam, & organum ; ſed intellectus reflexè percipit ſe ipſum, & ſuos actus, etiam ſubſtantiam, in qua ineſt, nimirum ipſam animam ; ergo intellectus non habet in ſe ipſo eſſe corporeum, & materiale ; ergo non eſt potentia corporea, & organica.

Hanc rationem, quam S. Thomas, & plerique expoſitores Ariſtotelis putant eſſe demonſtratiuam, Suar. lib. 1. de anima, cap 9 num. 23. & ſequentibus cenſet parum efficacem, & contrà illam opponit primo, quia duo illa principia, in quibus fundatur ; *intus reſidens prohibet extaneum: recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti*, probarent ſimili argumento, quod intellectus non poſſet eſſe ſpiritualis. Intellectus enim non ſolum percipit omnia materialia, ſed etiam omnia ſpiritualia ; ergo ſi intus exiſtens prohibet extraneum, & recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, intellectus non ſolum debet carere omni materialitate, ſed etiã omni ſpiritualitate. Secundo probabile eſt, quod de facto detur aliqua potentia materialis, quæ poſſit cognoſcere omnia materialia, nimirum hominis cogitatiua, per quam percipit omnia corpora ; ergo principia illa, *quod intus exiſtens* &c. intelligenda ſolummodo ſunt de potentijs ſenſitiuis externis, non verò de internis, ac

pro-

proinde non probant intentum.

Verum existimo hanc rationem esse veram demonstrationem sufficiẽtem ad conuincendum intellectum benè dispositum, atque intimè penetrantem differentiam mentis spiritualis à materiali. Ens enim spirituale est, quod excedit, & eleuatur suprà omnem substantiam, & naturam materialem, ac corpoream; sed virtus, quę discernit omnia materialia alicuius generis, excedit materialitatem talis generis, eo pacto, quo virtus tactiua discernens omnia tangibilia non est tangibilis, sed excedit materialitatem omnium tangibilium; ergo virtus, quę discernit omnia materialia, debet excedere, & eleuari supra omnem materialitatem, ac proinde est spiritualis. Confirmatur: nam ens materiale, & spirituale proportionaliter opponuntur, sicut ens finitum, & infinitum, limitatum, & illimitatum. Ens enim materiale est, quod est contractum per formas oppositas, quarum vna excludit aliam, eo pacto, quo forma aquæ excludit formam ignis, & è conuerso: & quia potentię sensitiuæ non sunt omninò materiales, ideò quæ sunt opposite secundum esse materiale, quod habent in materia, non sunt oppositæ secundum esse intentionale, quod habent in potentia sensitiua; species enim intentionales sensibi-

ſibilium oppoſitorum, ex. gr. albi, & nigri nō ſunt oppoſitæ, ſed poſſunt eſſe ſimul in potentia viſiua. Adhuc tamen potentia viſiua eſt materialis, quia habet oppoſitionem cum aliqua alia forma, exemp grat. cum potentia auditiua, idemque dic de cæteris potentijs materialibus; ſed in potentia cognoſcitiua omnium materialium nullum materiale habet oppoſitionem cum vllo alio materiali; ergo potentia perceptiua omnium materialium non eſt materialis, ſed ſpiritualis; cum ſpiritualitas conſiſtat in quadam illimitatione, per quā continet totum eſſe materiale ſine vlla oppoſitione excluſiua.

Hinc patet ad argumentum Suarij. Principium enim illud, *Intus exiſtens prohibet extraneum*, intelligendum eſt, intus exiſtens modo materiali. Modus enim materialis exiſtendi eſt limitatus cum excluſione alterius, eo pacto, quo modus materialis exiſtendi albedinis eſt cum excluſione nigredinis, & aliorum colorum; ergo ſi intellectus haberet aliquam materialitatem in ſe, illa eſſet excluſiua alicuius alterius materialis; ergo non poſſet percipere omnia materialia, eo pacto, quo oculus, ſi haberet aliquem coloremintus, non poſſet percipere cæteros colores. At intus exiſtens ſine materialitate, hoc eſt ſine limitatione, & excluſione alterius,

non

n prohibet extraneum, eo pacto, quo
cies intentionalis albi existens sine
oositione cum specie nigri, non prohi-
t speciem nigri; sed spiritualitas inest
ellectui sine vlla limitatione, & oppo-
one cum spiritualitate, cum spirituali-
consistat in hac ipsa illimitatione; er-
ex eo, quod intellectus sit spiritualis,
n prohibetur, quin cognoscat omnia
ritualia, imò eo ipso, quod prohibere-
, non esset spiritualis, sed materialis.
oportionaliter aliud principium *reci*
ns debet esse denudatum à natura recepti,
elligendum est, quod recipiens non
bet habere naturam recepti modo ma-
iali, & limitato, & cum oppositione;
ipso enim non posset recipere aliud
positum eiusdem generis; exem. gr. si
ulus habeat albedinem, non potest di-
ernere alios colores; sed si intellectus es-
materialis, haberet aliquam formam
terminatam cum limitatione exclusiua
iaram formarum; ergo non posset in-
ntionaliter recipere omnes formas ma-
riales; ergo non posset cognoscere
nnia materialia. At si recipiens habeat
turam recepti immaterialiter, & sine
nitatione, non impeditur à receptione;
d intellectus eo ipso, quod sit spiritualis,
bet hanc illimitationem; ergo non im-
ditur, ne cognoscat omnia spiritualia;
Hinc

Hinc patet improbabile esse, quod potentia cogitatiua materialis hominis percipiat omnia materialia, etiam substantialia; eo ipso enim non haberet limitationem, in qua consistit materialitas. Hinc etiam patet, cur nulla potentia materialis possit reflectere suprà se ipsam, & suprà suos actus. Ratio est, quia forma existens in subiecto modo materiali, & limitato, est exclusiua eiusdem formę, prout existentis in eodem subiecto, modo immateriali, & illimitato, eo pacto, quo albedo existens in oculo materialiter, impediret visionem albedinis, per quam eadem albedo existeret in oculo immaterialiter; sed potentiis materialibus propria materialitas inest materialiter, & materialiter etiam inest materialitas suorum actuum; ergo impedit, ne ipsę, & sui actus insint immaterialiter, & intentionaliter per cognitionem reflexiuam; ergo nulla potentia materialis potest cognoscere se ipsam, vel suos actus, adeoque reflexio supra se ipsam, & suos actus est propria potentię spiritualis, & ex tali reflexione bene probatur spiritualitas intellectus.

Secundo probatur immaterialitas intellectus, quia omnis potentia excedens omnem materiam est immaterialis; intellectus est potentia excedens omnem materiam; ergo immaterialis. Probatur mi-

inor, quia omnis potentia excedens nuem materiam vt obiectum, excedit iam omnem materiam, vt subiectum, eoque simpliciter excedit omnem mateam; sed intellectus excedit omnem ateriam vt obiectum; non solùm enim ercipit omnia materialia, sed etiam eum, & Angelos, & omnia immateria; ergo &c. Maior probatur, quia quod abet operationem excedentem omnem ateriam, habet etiam esse excedens mnem materiam: operatio enim proporonatur potentiæ operatiuæ; sed intelleus habet operationem éxcedentem omnẽ ateriam, cum operetur etiam circa immaterialia, illa intelligendo; ergo habet sse excedens omnem materiam.

Tertio probatur ex differentia entis aterialis, & immaterialis. Ens materiae est ens determinatum, & coarctatum d aliquod esse partiale cum exclusione lterius. Ens immateriale est ens illimitaam, & non coarctatum ad aliquod esse artiale cum exclusione alterius, sed est uodammodo omnia. Hinc manifestè robatur immaterialitas intellectus. omne nim ens ità illimitatum, vt sit quodamodo omne ens, est immateriale; sed inellectus est ità illimitatus, vt sit quodamnodo omne ens; ergo intellectus est immaterialis. Minor probatur, quia quod

potest

potest recipere formas, & species intentionales omnium entium est quodammodo omne ens, saltem in potentia, & cognoscens omnia, potest actu fieri omnia; sed intellectus potest recipere species intentionales omnium rerum, & omnia cognoscere; ergo intellectus est quodammodo omnia. Hinc ex opposito probatur, quod omnes potentiæ inferiores intellectu sunt materiales, quia nulla illarum est quodammodo omnia, sed solum certum genus entis, ex gr. potentia visiua est solum omnia visibilia &c. Confirmatur, quia repugnat, quod potētia materialis sit quodammodo omnia non solum materialia, sed etiam immaterialia, sicut repugnat quod potentia visiua sit quodammodo omnia non solum visibilia, sed etiam audibilia; sed intellectus est quodammodo omnia non solum materialia, sed etiam spiritualia; ergo intellectus non est potentia materialis.

Quarto probatur, quia ex esse, quod potentia dat obiecto per operationem; arguitur esse, quod habet ipsa potentia: modus enim operandi sequitur modum essendi, illumque demonstrat; sed intellectus per operationem intelligendi dat obiectis etiam materialibus esse illimitatum, vniuersale, & abstractum à materia; ergo potentia intellectiua habet esse quodam-

ammodo illimitatum, vniuersale, cum sit uodammodo omnia, & abstractum, ac :parabile à materia. Minor probatur, am intellectus intelligendo vniuersaliat obiecta, & illa abstrahit à materia, & notu, & per abstractionem constituit inelligibilia, & scibilia. Confirmatur, quia otentia intentionalis operando dat obieo esse proportionale illi esse, quod habet n se; sed intellectus dat obiecto esse abstractum à materia, & motu; ergo habet n se esse abstractum, & separabile à materia, & motu, & est immaterialis.

Quinto probatur, quia omnis potentia organica ab obiecto excellentissimo patitur, & etiam corrumpitur secundum organum; ex. g. potentia visiua à luce solis maximè visibilis patitur passionem molestissimam, redditur inepta ad videnda alia visibilia, & etiam corrumpitur, & obcęcatur, organo corrupto: simili passione patitur auditus à maximo sono, idemque dic de cęteris sensibus: Phantasia etiam ab obiecto valdè vehementi patitur itá, vt sæpe homines ex vehementi imaginatione etiam obiecti boni, ac delectabilis euadant stulti, vel etiam moriantur; sed intellectus, & voluntas ab obiectis maximè intelligibilibus, & amabilibus non patiuntur passione molesta, sed quo perfectius intellectus intelligit intelligi

bilissi-

bilissima, & quo magis voluntas amat amabilissima, eo magis perficiuntur, delectantur, & redduntur aptiores ad cætera intelligenda, & amanda, ideoque intellectus ex perfecta cognitione veritatum euidentissimarum redditur habilior ad alias veritates cognoscendas &c. ergo intellectus, & voluntas sunt potentię inorganicæ. Ratio à priori est, quia organa corporea, cum consistant in quadam mediocritate, offenduntur, & etiam corrumpuntur excessibus, ideoque etiam excessiua delectatio corrumpit potentias organicas.

Debet autem aduerti, quod rationes, quę probant intellectum esse potentiam inorganicam, ostendunt idem proportionaliter de voluntate. Sed ex libertate voluntatis, & ex eius libero amore boni honesti desumi possunt argumenta specialia. Nulla enim potentia materialis potest habere liberam inclinationem, qua contẽptis omnibus materialibus, & sensibilibus, constituat suum finem, & suam felicitatem in bono purè immateriali; sed voluntas, contemptis omnibus, potest constituere suum finem in bono honesto, in contemplatione, & amore primi, ac summi entis omninò immaterialis; ergo voluntas non est potentia materialis. Confirmatur, quia potentia, quæ potest eligere vitam

purè ſpiritualem per actiones vitales, in quibus nihil communicet materia, vel corpus, eſt immaterialis; ſed voluntas poteſt eligere talem vitam, conſtituendo ſuũ finem in contemplatione, & amore primi entis, omnia faciens ex hoc motiuo, vt placeat primo enti, ac reſiſtens inclinationibus corporeis, & materialibus ad bona ſenſibilia, in qua vita vtpotè reluctante corpori, & eius inclinationibus ad bona corporea, & ſenſibilia, non communicat corpus; ergo voluntas eſt potentia immaterialis.

Ad primum: actus intellectus, & voluntatis non recipiuntur in cerebro, vel in alio organo corporeo, ſed in ſolo intellectu, & voluntate, quæ ſunt potentię incorporeę, & inorganicę. Numquam tamen pro ſtatu huius vitæ fiunt ſine actu imaginationis recepto in cerebro. Vt enim Ariſtoteles docet, & explicabitur qu. 2. intellectus intelligit per conuerſionem ad phantaſmata; ex. gr. intelligimus Angelum per conuerſionem ad phantaſma repræſentans iuuenem alatum; intelligimus Deum per conuerſionem ad phantaſma repræſentans venerabilem ſenem, vel lucem quandam immenſam. Aliud tamen eſt actus, quo imaginatio imaginatur iuuenem alatum e. g. qui actus eſt materialis, & receptus in organo corporeo cerebri; aliud

aliud eſt actus, quo intellectus eleuans ſe ſuprà imaginationem attingit ipſum Deum,& Angelum,aſſerens, quod non eſt illud idolum corporeum imaginatum, ſed ens ſpirituale, qui actus eſt immaterialis, ac non receptus in vllo organo corporeo. Quia igitur actus intellectus non fit ſine actu imaginationis, & eſt intentionaliter vnitus actui imaginationis vt obiecto intellecto, videtur recipi in eo organo, in quo recipitur actus imaginationis.

Ad ſecundum: vt homo intelligat, & non ſola Anima, ſufficit, quod Anima intelligens ſit forma, qua homo conſtituitur in eſſe eſſentiali, ac ſubſtantiali hominis, eo pacto, quo vt homo videat, & non ſolus oculus animatus, ſufficit,quod oculus videns ſit pars integralis hominis; ſed Anima intelligens eſt forma informans hominis, ac non merè aſſiſtens, vt contrà Platonem oſtendetur quæſt. 31. ergo &c.

Ad tertium: ſpiritualitas formę ſubſtantialis non obſtat, quin ſit in aliquo ſubiecto corporeo, ſed obſtat ſpiritualitas accidentis. Ratio eſt, quia ſpirituale eſt ens independens à ſubiecto corporeò; ſed omne accidens inquantum eſt accidens dependet à proprio ſubiecto,& non poteſt exiſtere extrà tale ſubiectum; ergo omne accidens eo ipſo quod eſt in ſubiecto corporeo, dependet à ſubiecto corporeo,

adeoque non est spirituale, sed materiale. At forma substantialis potest esse per se subsistens; ergo licet vniatur subiecto corporeo, potest esse ab illo independens, ac separabilis, ac proinde immaterialis, cum immateriale sit ens independens à materia.

Ad quartum. Principium illud, quod incorporeum non potest ad suum actum moueri à corporeo, admissum fuit ab omnibus philosophis, tū qui dixerunt animā rationalem esse corporeā, & immaterialē, tum qui dixerunt esse incorpoream, & immaterialē. Ex eo principio Democritus, Epicurus, alijque ex eodem grege, subsumentes minorem; *sed Anima rationalis mouetur ad intelligendum ab obiectis corporeis modo explicato in obiectione*; intulerunt; *ergo anima rationalis est corporea, & materialis*. Plato, vt defenderet immaterialitatem animæ, dixit, quod anima mouetur ad intelligendum non ab obiectis corporeis, & sensibilibus, sed ab Ideis separatis imprimentibus species intelligibiles. Aristoteles docuit, quod mouetur per species intelligibiles abstractas ab intellectu agente, quem alij posuerunt esse potentiam animæ, alij intellectum separatum assistentem animæ, putà Deum, vel aliquam Intelligentiam, vt explicabitur qu. 24.

Ad quintum. Potentia, quæ exercendo ope-

operationem conuenientem, defatigatur per se, est organica; at potentia, quę defatigatur solùm per accidens, non est organica. Intellectus intelligendo defatigatur non per se, sed per accidens. Quia enim non intelligit nisi per conuersionem ad phantasmata imaginata, defatigata imaginatione, per accidens defatigatur etiam intellectus, qui non intelligit absque imaginatione.

Ad sextum respondeo eodem pacto, quod intellectus in operando, & in perfectione operandi pendet à perfectione organi corporei solùm per accidens, quia non intelligit sine actu imaginationis. Si phantasia sit imperfecta, intellectus intelligit imperfectè; si phantasia sit læsa, intellectus impeditur à rectè intelligendo, vt explicabitur inferius.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum demonstretur Animam rationalem esse immaterialem, subsistentem, immortalem, ingenerabilem, & incorruptibilem:

VIdetur vera sententia, siue error, quē ex antiquis Philosophis docuerunt

Epicurus, Democritus, & Lucretius lib. 1 de natura: ex Peripateticis Alexander ex Patribus Tertullianus lib. de anima cap. 6. & alij, quos refert Suarius lib. 1. de anima cap 9. quod anima rationalis sit materialis, & corporea: primo quia omnis forma, quę dependet à materia in produci, pendet etiam à materia in esse; sed anima rationalis pendet à materia in produci: non enim potest produci extrà materiam, & extrà corpus; ergo pendet à materia in esse, adeòque est materialis, & non per se subsistens. Per se enim subsistens est, quod potest esse per se etiam sine subiecto, in quo est.

Secundo; quod est per se subsistens, est *hoc aliquid*, & potest operari; sed anima non est *hoc aliquid*, sed solus homo compositus ex anima, & corpore est hoc aliquid, & non potest dici, quod anima operetur, sed vt ait Aristoteles lib. 1. de anima tex. 64. *dicere animam sentire, aut intelligere simile est, ac si dicat eam aliquis texere, vel ædificare.*

Tertio videtur hinc sequi, quod anima rationalis sit corruptibilis, & mortalis, ac pereat cum corpore, vt docuerunt Epicurus, Democritus, Plinius, Galenus, Alexander, alijque, quos citat Suarius lib. 1. de anima cap. 10. Omnis enim forma materialis, ac per se non subsistens est inse-

inſeparabilis à materia, adeòque cum ſeparatur à materia,perit.

Quarto: forma, quæ non poteſt operari niſi in materia, non poteſt exiſtere, & viuere niſi in materia, cum vita conſiſtat in operatione vitali; ſed anima rationalis nō poteſt exercere extrà materiam vllam operationem vitalem ne intelligendi quidem: non enim poteſt intelligere abſque phantaſmate materiali, vt docet Ariſtoteles tertio de anima tex.30. & 39. ergo.

Quinto; quod fit ex nihilo, eſt etiam vertibile in nihilum, & quod eſt generabile, eſt etiam corruptibile; ſed anima hominis fit ex nihilo ſimul cum corpore, & eſt generabilis, ſicut anima equi; nam non minus homo generat hominem, quam equus equum; ergo &c. Confirmatur, quia quod habet principium eſſendi, cum ponitur in corpore, habet naturaliter finem eſſendi, cum ſeparatur à corpore; finis enim proportionaliter debet reſpondere principio; ſed anima rationalis habet principium eſſendi, cum ponitur in corpore; ergo &c. Videtur autem has rationes indicare Sapiens Eccleſ.3. dicens; *idcircò vnus eſt interitus hominem, &; oumentorum, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Et Sap.20. Ex nihilo nati ſumus,*

& post hoc erimus tamquam non fuerimus.

Sexto quod est susceptiuum contrariorum, est corruptibile; corruptio enim oritur ex contrarijs; sed anima rationalis est susceptiua contrariarum opinionum, est etiam mutabilis ex bonitate in malitiam, & ex malitia in bonitatem, ex ignorantia ad scientiam, & ex scientia ad obliuionem, quæ sunt contraria; ergo &c.

Septimo hinc videtur inferri, quod vera sit opinio, quam ex Christianis Philosophis docuerunt Iandunus, Petrus Pomponatius, Simon Portius, & quidam alij, quod anima rationalis secundum philosophiam, & naturalem rationem sit mortalis, licet secundum fidem sit immortalis. Rationes enim naturales demonstrant animę mortalitatem, fides docet immortalitatem. Confirmatur ex Concilio Constantinopolitano sexto, act. 11. vbi Sophronius in sua epistola approbata à Concilio docet, quod anima non est immortalis per naturam, sed per gratiam, quod videtur etiam indicare S. Paulus 1. ad Timotheum 6. vbi de Deo dicit *qui solus habet immortalitatem*; sed rationes philosophicę demonstrant, quid animę conueniat per naturam, fides docet, quid animæ conueniat per gratiam; ergo anima secundum philosophiam, & per naturam est mortalis, secundum fidem, & per gratiam

tiam immortalis.

Octauo videtur vera sententia Scoti in 4. distinct. 43. quęst. 2. & quodlib. 9. art. 2. quam sequuntur ex parte Caiet. in cap. 9. epist. ad Rom. & in quam inclinat Arriaga disputat. 3. de anima num. 12. quod naturali ratione nec demonstretur animæ mortalitas, nec immortalitas. Probatur hæc sententia, quia nulla ratio, quæ afferatur pro animæ immortalitate, est demonstratiua, & conuincens; nam duæ rationes physicæ, & ex proprijs, desumptę ex eo, quod anima possit exercere propriam operationem intelligendi sine corpore, & ex eo, quod non habeat contrarium, potius probant mortalitatem, vt dictum est argumento 4. & 6. rationes morales desumptæ eo eo, quod cum homines sępè non recipiant meritorum pręmia, & pœnas in hac vita, debent recipere in alia, atque adeò anima debet viuere post separationem à corpore, & esse immortalis, & ex eo, quod cum in hac vita non consequamur perfectè finem felicitatis, debemus consequi post mortem, sunt solubiles, dicẽdo, quod gaudium, ac tristitia consequentes ex conscientia actionum bonarum, & malarum sunt prœmium, vel pœna naturalis illarum; & quod finis naturalis hominis est solum fœlicitas quædam imperfecta, qualem possumus in hac

 vita

ita consequi; est etiam solubilis ratio umpta ex eo, quod homo naturaliter appetat semper viuere: nam appetitu elicito possumus etiam appetere impossibile; uod talis appetitus sit innatus, non proatur.

Nono videtur vera sententia plurium S. PP. & prætereà Alexandri, Plutarchi, Galeni, Ianduni, Pomponatij, Simonis Portij, & aliorum, quod Aristoteles docuerit animę mortalitatem, vel altem fuerit dubius de hac re, ideòque t obscurè loquutus de industria ad veritatem occultandam, vt indicant Scotus, z Caieta. locis allegatis, & Canus lib. 2. cap. 15. primo, quia Aristoteles passim ocet formas naturales, & physicas esse nseparabiles à materia. Secundo, quia rimo de anima tex. 12. & 13. ponit hanc ropositionem conditionalem; *si anima on habet propriam operationem separabilem corpore, nec ipsa est separabilis à corpore;* d tertio de anima tex. 30. & 39. docet, uod intellectio animæ non potest exerceri sine phantasmate corporeo, adeòque est nseparabilis à corpore; ergo hinc sequiur secundum Aristotelem, quod anima t inseparabilis, & mortalis. 3. lib. 2. de nima à tex. 17. ad 20. dicit, quod cum uplex sit intellectus, actiuus, & passiuus, ntellectus passiuus est corruptibilis; sed intel-

intellectus passiuus secundum Aristotelem est, quo anima intelligit; ergo secundum Aristotelem intellectus, quo anima intelligit, est corruptibilis; ergo & anima intelligens est corruptibilis; ergo dum dicit, quod intellectus actiuus, seu agens est immortalis, & incorruptibilis, nomine intellectus agentis non intelligit aliquam animæ potentiam, sed aliquem intellectum separatum, puta Deum, vel aliquam Intelligentiam, quę producens in intellectu passiuo species intelligibiles vniuersales, moueat animam ad intelligendum. Quarto Aristoteles docuit Mundum, & generationes rerum fuisse ab æterno; non dari infinitum actu; & animas ex vno corpore non transmigrare in aliud; sed positis his tribus, impossibile est, quod animæ rationales sint immortales: eo enim ipso essent actu infinitę; ergo ponit animas rationales mortales, intellectum verò agentem assistentem toti speciei humanę, & producentem species intelligibiles, Aristoteles ponit vnicum, æternum, & immortalem. Quinto, primo physicorum, & alibi docet, quod ex nihilo nihil fit, neç vnquam admittit dari creationem ex nihilo; sed si anima rationalis non educeretur ex potentia materię, fieret ex nihilo, & crearetur; ergo anima rationalis per Aristotelem educitur ex potentia ma-

:riæ, adeòque est mortalis; vnde lib.2.
e generat. animal. cap. 3. consequenter
ocet non solum animam vegetatiuam, &
:nsitiuam, sed etiam rationalem contine-
i in potentia materiæ. Sexto, lib.1. de
œlo, cap. 12. probat ex professo, quod
mne generabile est corruptibile, & om-
e, quod incipit, desinit; sed anima ratio-
alis per Aristotelem incipit vna cum
orpore; ergo desinit vna cum corpore.
eptimo, 2. de Cœlo, tex. 18. docet,
uod nullum violentum est perpetuum;
:d si anima esset immortalis, status sepa-
ationis esset illi violentus, & perpetuus;
rgo &c. Octauo lib.8. physicorum tex.
2. docet, quod mouens, quod mouetur
er accidens, est corruptibile: sexto etiam
hysicorum, tex.32. docet, quod omne,
uod mouetur, est partibile, impartibile
erò est omninò immobile; sed anima
:t mobilis, & mouetur per accidens, dum
iouet corpus; ergo est partibilis, & cor-
iptibilis. Nono 1. ethicorum cap. 11.
: 12. reprobat sententiam Solonis, quod
omo non possit esse fœlix in hac vita,
:d post mortem, quia cum post mortem
ulla sit operatio, nec est fœlicitas, quæ
onsistit in operatione. 3. ethic cap. 9.
onsequenter dicit post mortem nihil bo-
i, vel mali superesse. 2. met. tex.39. in-
icat fœlicitatem hominis breui tempo-
re

re durare; ergo Ariſtoteles vel putauit animam eſſe mortalem, vel ſaltem dubius fuit in hac quæſt. & modo in vnam, modo in aliam partem inclinauit.

Reſpondeo, quod vt reſoluatur quæſt. 1. explicandum, quid doceat fides. Secundo oſtendendum ex principijs fidei, ac rationis, quod immortalitas animæ naturali ratione poteſt demonſtrari. Tertio afferendæ aliquæ demonſtrationes phyſicę, & morales. Quarto demum examinandum, quid Ariſtoteles ſenſerit. Quo ad primum dico: de fide eſt animam rationalem eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, immortalem, & incorruptibilem. Spiritualitas conſtat ex pluribus ſcripturę locis allegatis à Suario lib. 1. cap. 9. & ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. Firmiter de ſumma Trin. Immortalitas etiam conſtat ex locis ſcripturæ allegatis ab eodem Suario, cap. 10. & ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 8. in qua habetur. *Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quod ſit mortalis; & aliqui temere philoſophantes ſecundum ſaltem philoſophiam verum eſſe aſſeuerent; ſacro approbante Concilio, damnamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, cum illa non ſolum verè, per ſe, & eſſentialiter corporis forma exiſtat, verum immortalis.* Ex quo patet non ſolum eſſe de fide,

fide, quod anima sit immortalis, sed etiam quod est immortalis ex sua natura, sicut ex sua natura est forma corporis.

Quo ad secundum dico: naturali etiam ratione demonstratur animam rationalem esse immortalem. Et quidem hanc sententiam ità certam putauit Melchior Canus, vt lib. 12. de locis Theologicis, cap. 15. propos. 3. dixerit *erroneum est, ne dicam hereticum asserere animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse*: & propositione 4. *periculosum, ac temerarium est, ne quid amplius addam, affirmare, quod nullum argumentum hactenus inuentum demonstret animæ immortalitatem*. Conimbr. etiam tract. de anima separata prope finem asserunt iure temerarium haberi, qui neget demonstrari immortalitatem animę.

Probatur primo, quia Scriptura vocat insipientes, & cæcos eos, qui negant immortalitatem animæ; sed non est insipientia, neque cæcitas negare veritates solum probabiles, atque indemonstrabiles; ergo &c. Probatur maior: nam Sapientię secundo habetur: *Dixerunt cogitantes apud se non rectè, ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus*; & concluditur, *hæc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim eos malitia eorum*. cap. 3. dicitur; *Visi sunt oculis insipientium mori, & quod à nobis*

bis est iter exterminium. Confirmatur, quia ex eo quod scriptura vocet insipientes eos, qui negant Deum, Psal. 53. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, arguitur diuinam existentiam esse demonstrabilem; ergo ex eo, quod vocet insipientes eos, qui negant immortalitatem animæ, arguitur immortalitatem animæ esse demonstrabilem.

Secundo probatur ratione, quia natura non deficit vlli animali in necessarijs ad vitam ducendam secundum suam naturam; ergo multo minus deficit homini in necessarijs ad ducendam vitam secundum naturam hominis, hoc est secundum rationem, & virtutem; valet enim argumentum à minori ad maius, quo tamquam omninò conuincente vtitur Christus Matth. 6. quod si Deus prouidet volatilibus Cœli, & bestijs terrę, multo magis prouidet hominibus; sed ad viuendum secundum virtutem, necessè est, vt homines habeant existimationem certam, & vniformem de diuina prouidentia retribuente vnicuique pœnas, ac prœmia iuxtà merita, & de animæ immortalitate: constant enim experientia, quod statim, ac homines dubitant de istis duabus veritatibus, eligunt vitam scelestam, & voluptuosam, ideòque scriptura de ijs, qui *dixerunt in corde suo non est Deus*, subdit; *abominabiles facti sunt*

in

n *vijs suis*; & de eis, qui putarunt animam mori cum corpore, subdit, quod dixerunt: *edamus, & bibamus, cras enim moriemur: coronemus nos rosis &c.* ergo natura dedit hominibus necessaria ad hoc, vt de ijs veritatibus habeant existimationem vniformem; sed de veritate indemonstrabili præsertim suprà sensum, & imaginationem non potest naturaliter dari existimatio vniformis; eo enim ipso sistendo in lumine naturæ est incerta, & eo ipso, quod est incerta, non datur circà illam vniformis existimatio; ergo diuina prouidentia, & animæ immortalitas sunt veritates ab aliquibus saltem sapientioribus demonstrabiles; reliqui enim credunt sapientioribus testantibus se habere demõstrationem, eo pacto, quo credunt sapientibus Solem esse incomparabiliter maiorem, quam appareat. At verò si sapientes dicant rem esse incertam, vnusquisque credit quod vult. Confirmatur, quia consensus sapientissimorum testantium aliquã veritatem demonstrari est effectus demonstrationis, qui non potest dari sine demonstratione: ergo aliqui videntes talem consensum, vident demonstrationem in suo effectu, & sic habent demonstrationem quamdam à posteriori de veritate demonstrata, eo pacto, quo per consensum Mathematicorum tamquam per effectum possumus

ſumus à poſteriori demonſtrare, quod detur demonſtratio, quam vniformiter teſtantur dari. Confirmatur, quia vt homines conſtanter ordinent ſuam vitam ad finem, neceſſe eſt, vt habeant conſtantem exiſtimationem de fine. Sicut enim ſagittarius non poteſt conſtanter ordinare ſagittam ad ſcopum, quem videt viſione inconſtanti, ac veluti fluctuante, ſic non poteſt homo conſtanter ordinare ſuam vitam ad finem, quem opinatur opinione inconſtanti & fluctuante; ſed finis naturalis hominis eſt fœlicitas à Deo poſt mortem obtinenda in præmium vitæ honeſtæ; ergo debet homo habere exiſtimationem conſtantem, adeoque certam de diuina prouidentia, & de Animę immortalitate.

Tertio probatur, quia plures homines ſapientiſſimi, ac ſanctiſſimi teſtantur ſe habuiſſe euidentiam de hac veritate; ergo qui negat eos habuiſſe demonſtrationem, aſſerit fuiſſe mentitos, vel non potuiſſe diſcernere demonſtrationem veram ab apparente; quorum vtrumque eſt illis iniurioſum. Hinc verò tamquam ex effectu probatur demonſtrabilitas talis veritatis. Quod enim ſapientiſſimi teſtentur aliquam veritatem ſuprà ſenſum, & imaginationem eſſe ſibi euidentem, & quod omnes penè nationes, & homines illam admittant, ità vt negetur ſolum à paucis,

ijſque

ijsque impijs, & excęcatis à malitia, nec sine quodam pudore, & quasi in occulto, est effectus, qui non potest ab alia causa causari, quam à demonstratione talis veritatis.

Quoad tertium. Prima & fundamentalis demonstratio physica est, quam ex Aristotele 3. de Anima, tex. 1. & seq. affert S. Thomas 1. p. quęst. 75. art. 5. Omnis forma per se subsistens, hoc est habens esse independens à materia, & subiecto, est incorruptibilis, & si sit forma viuens, est immortalis; sed Anima rationalis, & omne intellectiuum est huiusmodi; ergo. Probatur maior, quia omnis forma eatenus corrumpitur, quatenus expellitur à subiecto, à quo pendet in esse: E. G. rotunditas cerę eatenus corrumpitur, quatenus expellitur à cera, illa verò rotunditas, quia non est per se subsistens, sed dependet in esse à cera, non potest remanere extrà ceram, idemque dic de alijs formis; ergo cum forma per se subsistit, adeoque potest remanere extrà quodlibet subiectum, est incorruptibilis. Et ratio à priori est, quia talis forma non potest corrumpi per expulsionem à subiecto, cum habeat esse independens à subiecto: neque potest corrumpi alio modo, alioquin annihilaretur; est autem naturaliter impossibilis annihilatio, vt omnes docent; ergo nullo pacto

potest

poteſt corrumpi. Hinc verò reijcitur Arriaga, qui ex eo, quod aliquæ formę dependentes à ſubiecto poſſint poſt aliquod tempus ſua ſponte corrumpi, arguit idem poſſe contingere in formis per ſe ſubſiſtentibus. Vtcunque enim poſſit ſuſtineri, quod formæ dependentes à ſubiecto ſua ſponte reducantur ad potentiã ſubiecti, adhuc eſt naturaliter impoſſibile, quod ens independes ab omni ſubiecto poſt aliquod tempus ſua ſponte poſtulet annihilari. Iam probatur minor: omnis forma, quæ habet potentiam, & operationem non receptam in materia, & in organo materiali, habet etiam eſſe independens à materia, adeoque per ſe ſubſiſtens; ſed Anima rationalis, & vniuerſim omnis forma intellectiua habet potentiam, & operationem intelligendi nõ receptam in materia, nec in organo materiali, vt probatum eſt quæſt. præcedente; ergo &c. Probatur maior: nam operatio propria rei proportionatur naturæ eiuſdem rei: e. g. quod habet operationem rationalem, habet etiam naturam rationalem; ergo quod habet operationem immaterialem, & independentem à materia, & ab organo corporeo, habet naturam immaterialem, & independentem à materia, & à corpore. Ex oppoſita ratione concluditur omnes Animas purè ſenſitiuas eſſe formas

mas materiales, & non subsistentes per se. Quod enim pendet à materia in operari, pendet etiam in esse; sed Anima purè sensitiua pendet à materia in operari: non enim potest exercere vllam operationem sensitiuam sine organo corporeo, e.g non potest videre sine oculis, audire sine auribus &c. ergo nec potest esse sine corpore.

Opponitur: licet operatio intelligendi non pendeat à materia tanquam à subiecto, pendet à phantasmate materiali tamquam ab obiecto; ergo etiam Anima pendet à phantasmate tanquam ab obiecto, nec potest intelligere, nisi per conuersionem ad phatasmata, vt docet Aristoteles 3. de Anima tex. 30. & 39; ergo non potest remanere extrà corpus: nam ex defectu phantasmatis non posset intelligendo viuere vitam intellectiuam, sed perpetuo se haberet veluti dormiens: immò pro eo statu esset forma mortua, cum non posset exercere vllam operationem vitalem. Sed contrà, quia demonstratio procedit hoc pacto: intellectio non pendet à materia tanquam à subiecto; ergo nec Anima intellectiua; ergo est forma per se subsistens, ad quam sufficit independentia à subiecto; ergo incorruptibilis, & remanens, corpore corrupto: neque enim obstat, quo minus aliquid per se subsistat, quod

quod in cognoſcendo pendeat ab obiecto, alioquin animalia non per ſe ſubſiſterent, cum in cognoſcendo pendeant ab obiectis ſenſibilibus; ſed forma per ſe ſubſiſtens habet duplicem modum eſſendi, in corpore, & extrà corpus; ergo habet duplicē modum intelligendi, alligatum corpori per conuerſionem ad phantaſma materiale, & abſolutum à corpore per conuerſionem ad obiecta intelligibilia; ergo extrà corpus exerceret hunc ſecundum, & altiorem modum intelligendi. Integra igitur demonſtratio eſt partim à poſteriori, partim à priori. Ex eo enim principio, quod modus operandi proportionetur modo eſſendi, arguitur à poſteriori; intellectio non pendet à materia; ergo nec Anima; ergo per ſe ſubſiſtit, & remanet extrà materiam. Ex eodem principio probatur deinde à priori; Anima habet duplicem modum eſſendi; ergo etiam intelligendi; ergo ſicut cum eſt in corpore, conuertitur ad corpus in eſſendo; ſic in intelligendo: ſicut cum eſt extra corpus, non conuertitur ad corpus in eſſendo; ſic nec in intelligendo; ergo pro ſtatu ſeparationis intelligit per conuerſionem ad ſola intelligibilia.

Confirmatur primo, quia forma, quę habet perfectionem operandi per hoc, quod relinquat materiam, non poteſt amittere

ere perfectionem essendi per hoc, quod separetur à materia; sed anima intellectiua habet perfectionem operandi per actus scientię, & virtutis: actus verò scientiæ eo sunt perfectiores, quo magis immaterialia considerant: perfectio virtutis consistit in hoc, quod homo non sequatur passiones corporis, sed rationem; ergo anima intellectiua non amittit esse per separationem à materia.

Confirmatur 2. quia ex duobus oritur corruptibilitas formæ, ex dependentia nimirum à materia, & ex contrarijs; ergo quod habet esse suprà materiam, & suprà contraria, habet esse incorruptibile; sed Anima rationalis, & omnis forma intellectiua habet esse suprà materiam, & suprà contraria; ergo &c. Minor probatur, quia quod habet operationem suprà materiam, & suprà contraria, habet esse suprà materiam, & suprà contraria; sed anima rationalis habet operationem suprà materiam, cum dijudicet omnia materialia, & attingat etiam spiritualia, & suprà contraria, cum dijudicet omnia contraria, & cum ea, quę sunt contraria secundum esse materiale, quod habent in materia, non sint contraria secundum esse intelligibile, quod habent in anima, sed simul intelligantur, ita vt cognitio vnius contrarij conducat ad cognitionem alterius contrarij;

:rarij; ergo &c. Adde, quod id, quod est ɔerfectibile omnibus contrarijs, est suprà ɔmnia contraria; sed Anima intelligendo :ontraria trahit ad se perfectionem omniũ :ontrariorum; ergo est suprà omnia con-rariaergo etiam est suprà omnem corru-ɔutionem, cum neque possit corrumpi per ccidens, corrupto subiecto, quippe quę ıon pendet in esse à subiecto.

Secunda demonstratio moralis desumi-ur ex appetitu naturali. Omne enim ens ɔotest consequi id, quod appetit appetitu ıaturali, cum appetitus naturalis non pos-t esse frustraneus; sed omne intellectiuũ ppetitu primo, & maximè naturali ap-etit vitam fœlicem, & cognoscit euiden-:r omnes suas actiones esse dirigendas ad ıunc finem, vt consequatur vitam fœli-em; ergo omne intellectiuum potest con-:qui vitam fœlicem; si enim alij appeti-ıs naturales etiam entium imperfectissi-ıorum non possunt esse frustranei, à for-ori non non potest esse frustraneus ap-:titus primus, & maximus naturæ intel-:ctiuę; sed vita non potest esse fœlix in llo gradu, si sit coniuncta cum perpe-ıo timore exterminij, eo pacto, quo non otest esse fœlix vita hominis damnati ad ıspendium; si verò anima sit mortalis, vi-erit coniuncta cũ perpetuo timore ex-rminij; ergo &c. Confirmatur primo, quia

quia fœlicitas naturę intellectiuę magis consistit in spe, & securitate futuri, quam in possessione boni præsentis; infœlicitas è conuerso non tam consistit in malo pręsenti, quam in timore futuri, ideòque qui detinetur in carcere, sed scit se iam iam euehendum ad regnum, felicior est, quam qui possidet regnum, & scit se iam iam detrudendum in carcerem: immò quo maius est bonum, quo aliquis scit se spoliandum, eo ducit vitam miseriorem; sed anima viueret cum perpetuo timore exterminij, quo perpetuo spoliaretur cum existentia omnibus omninò bonis; ergo non posset ducere vitam nisi infœlicissimam. Confirmatur 2. quia absurdum est, quod natura intellectiua, quo perfectior est, sapientior, melior, & dignior, eo sit infelicior; sed si esset mortalis, hoc sequeretur; ergo &c. Probatur minor, quia quo perfectior est, & sapientior, eo melius cognoscit, & penetrat perfectionem bonorum æternorum; ergo eo magis appetit bonum æternum; eo magis timet exterminium, atque ex eo timore euadit infelicior. Rursus quo melior est, eo magis præfert bona intelligibilia, & æterna bonis sensibilibus, ac temporalibus; ergo euadit infelicior timore exterminij, & contemptu bonorum præsentium temporalium. Rursus quo diutius

viuit

viuit, per operationes honeſtas euadit dignior fœlicitate, & in fine vitę eſt digniſſima fœlicitate; ſed in fine eſt propinquior exterminio, vt potè iam iam exterminanda; ergo cum eſt fœlicitate digniſſima, tum eſt miſerrima ex timore exterminij iam iam imminentis. Ideò dixit Apoſtolus 1. Cor. 15. quod ſi non eſt vita æterna, infeliciores ſumus omnibus hominibus. Adde, quod ſapientia, & bonitas eſſent carnifices naturę intelligentis, cum talis natura torqueretur à cognitione æternorum, in qua conſiſtit ſapientia, & ab eorundem amore, in quo conſiſtit bonitas. Hinc ſequitur, quod bonum ęternum non detegitur niſi naturę immortali. Si enim detegeretur naturæ mortali, excitaretur in ea appetitus, quo redderetur infœlix. Confirmatur 3. quia natura intellectiua mortalis ad vitandam vtcunque miſeriam ortam ex timore exterminij deberet auocare animum à contemplatione, & amore æternorum, eumque deijcere ad fruitionem bonorum temporalium, & ſenſibilium; ſed auocare animum à conſideratione, & amore ęternorum eſt illum auocare à virtute propria naturę intellectiuæ; ergo ad vitandam miſeriam, deberet auertere animum à virtute propria naturæ intellectiuæ. Confirmari poteſt quarto ex naturali ſollicitudine famæ, & gloriæ

etiam post mortem, quæ sollicitudo esset fatua, si non remaneret anima potens frui gloria: & ex pluribus alijs, quę breuitatis gratia omittuntur.

3. Ratio moralis est, quia naturale est homini secundum virtutem viuere, & pręferre bonum honestum bono iucundo, & vtili; sed si anima esset mortalis, naturale non esset homini viuere secundum virtutem, imò esset impossibile moraliter, vt non se traderet voluptatibus vitæ pręsentis, nihil curans virtutem, sed dicens. *Edamus, & bibamus, cras enim moriemur*; ergo &c. Confirmatur, nam Sanctus Paulus 1 Cor. 15. probat resurrectionem corporum, adeòque à fortiori immortalitatem animarum, quia *si in hoc mundo tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, & quia *si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest? Edamus, & bibamus, cras enim moriemur*; sed est absurdum, quod iusti sint miserabiliores cęteris, & opera honesta nihil illis prosint; ergo.

4. Ratio itidem moralis desumitur ex prouidentia, & recta gubernatione creaturarum rationalium, quę postulat, vt iusti recipiant pręmia benefactorum, iniusti verò criminum pœnas luant; sed sęè in hac vita contingit oppositum: iusti enim vexantur ab impijs, & variis calamita-

mitatibus vrgentur; improbi verò vitam ducunt in bonis suis, maximis fruuntur diuitijs, voluptatibus, & honoribus; ergo post mortem remanet anima rationalis, cui præmia retribuantur, & pœnę. Confirmatur, nam certum est Deum prouidentissima cura consuluisse corporibus, & corporali hominum vitæ, vt patet ex mirabili architectura corporis humani, ex innumeris partibus, organis, instrumentis &c. ex quibus componitur, quarum partium singulę habent suum proprium, & peculiarem vsum, ità vt quacunque particula ablata, magnum detrimentum pateretur structura totius corporis; ergo incredibile est Deum neglexisse curam animarum, nec posuisse media necessaria ad vitam ducendam secundum virtutem; sed præcipuum medium ad ducendam vitam secundum virtutem est constitutio prœmiorum, & pœnarum iuxtà merita vniuscuiusque; ergo constituit pœnas, & prœmia iuxtà merita vniuscuiusque; sed pœnæ, & prœmia rarò conferuntur in vita præsenti; ergo reseruantur pro vita futura, in qua remanet anima separata à corpore, & anima vniuscuiusque recipit quod illi debetur pro meritis. Respondent aliqui, quod præmium virtutis est ipsamet virtus, pœna vitiorum est ipsum vitium.

Sed contra est, quia ridiculus esset legislator, qui lata lege seuerissima, prohiberet aliquod crimen, e.g. furtum, aut homicidium, deinde verò nullam aliam ipsi pœnam statueret, quam ipsummet furtum, & homicidium; ergo similiter esset ridiculus legislator diuinus, si condens legem naturalem seuerissimam, qua prohibet omnia crimina, ad deterrendum ab ipsorum patratione nullam aliam pœnam statueret, quam patrationem ipsorum criminum. Ratio à priori est, quia pœna delictorum non debet esse contemptibilis, & inepta ad deterrendum ab ipsis delictis eos, qui non mouentur ad euitanda delicta ab ipsorum turpitudine; ergo pœna constituta delictis debet esse malum distinctum à turpitudine delictorum. Similiter premium debet allicere ad actum virtutis, & superare contrarias difficultates; at ipsemet actus virtutis, & delectatio consurgens ex eius electione non satis allicit; ergo debet virtuti propositum esse premium distinctum. Confirmatur, nam plures actus maximæ virtutis, e.g. mors pro patria, non possent prœmio affici, cum post talem actum non remaneret anima, quę prępmium reciperet. Adde, quod actus moriendi pro patria, & pro quacunque virtute, si anima esset mortalis, ex vna parte esset maior, & perfe-

fectior, ac meritorius maioris proemij, quam posito, quod anima sit immortalis, quia tum fieret ex solo amore virtutis, & sine vlla spe proemij, cum non remaneret anima, quæ proemium posset recipere; ergo propter hoc ipsum esset magis absurdum, quod talis actus proemium recipere non posset.

Quoad 4. Aristoteles non solum decet, sed etiam demonstrat immortalitatem animę intellectiuæ. Et quidem 3. de anima tex. 1. & seq. tractans quæstionem ex professo, docet intellectum, quo anima intelligit, esse impassibilem, immistum, & inorganicum. Verba eius sunt text. 3. *Impassibilem ergo eum esse oportet, susceptiuum autem speciei.* tex. 4. *necesse est quoniam omnia intelligit, immistum esse, sicut Anaxagoras dicit.* tex. 5. *neque cum corpere mistum ipsum esse consentanenm est rationi. Instrumentum enim aliquod ipsius esset, sicut, & sensus, nunc autem nullum ipsius est organum.* Ad probandum, quod sit immistus corpori, seu incorporeus, affert demonstrationem ex eo, quod omnia intelligit, & fit omnia; si verò haberet in se materialitatem, impediretur. *Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit, immistum esse. Intus apparens enim prohibebit extraneum.* Hinc etiam probat non esse organicum. *Vnde neque misceri est rationabile ipsum corpori. Instrumen-*

mentum enim aliquod ipsius esset, sicut, & sensus; nunc autem nullum est. Quod sit impassibilis, & inorganicus, demonstrat tex.7. per hæc verba; *Quod enim non similis sit impassibilitas sensitiui, & intellectiui, manifestum est ex organis sensus: sensus enim non potest sentire ex valde sensibili &c. Sed intellectus cum intelligit aliquid valde intelligibile, non minus intelligit.* Hinc concludit intellectum esse incorporeum, & à corpore separabilem, adeòque immortalem. *Sensitiuum enim non sine corpore est, intellectus autem separabilis est.* Nec dicant Aristotelem loqui de intellectu agente; manifestè enim loquitur de possibili, quo nimirum anima intelligit, cum dicat, *Impassibilem ergo oportet esse, susceptiuum autem specierum; necesse est, quoniam omnia intelligit, immistum esse*: cum addat naturam eius esse, vt sit possibilis, & se loqui de eo intellectu, quo opinatur, & intelligit anima, quę conueniunt soli intellectui possibili, vt patebit etiam ex dicendis quæst.4. Ex eo verò, quod intellectus possibilis sit separabilis, tex. 17. infert, quod à fortiori intellectus agens est separabilis, immistus, & impassibilis, quia agens est honorabilius patiente; sed intellectus agens comparatur ad possibilem, sicut agens ad patiens, seu receptiuum; ergo &c. Hinc concludit, quod solum id, quod

quod in anima est separabile, hoc est intellectus prout comprehendit agentem, & possibilem, est per se ens, siue ens subsistens, adeòque perpetuum, & immortale. *Separatus autem est hoc solum, quod verè est. Et hoc solum immortale & perpetuum est.* Dum verò addit, *passiuus verò intellectus est corruptibilis, & sine hoc nihil anima intelligit*; nomine intellectus passiui non intelligit intellectum possibilem, vt interpretatur Auerroes: manifestè enim suprà dixerat, & probauerat intellectum possibilem esse impassibilem; ergo vt explicat S. Thomas, vocat intellectum passiuum phantasiam, quæ dicitur intellectus, & potentia rationalis, inquantum aliqualiter participat rationem, & obedit rationi, vt dicitur pr. eth. cap. 19. Intellectus autem in corpore nihil intelligit sine phantasia, quia intelligit per conuersionem ad phantasmata, vt dictum est suprà. Consonat sibi ipsi Aristoteles 2. de generat. anim. cap. 3. vbi quęrens ex professo, vtrum omnis anima educatur ex potentia seminis, & materię, adeòque sit materialis, an aliqua sit separabilis, & extrinsecus accedat, ex operatione demonstrat solam mentem extrinsecus accedere, & esse incorpoream, ac diuinam, per hæc verba. *Quorum principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore esse non posse certum*

ſt; & quibuſdam interiectis, concludit. *Reſtat igitur, vt ſola mens extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit. Nihil enim in eius actione communicat actio corporalis.* Eandem veritatem expreſsè docet 10. eth. cap. 7. & 8. Cum enim egiſſet de fœlicitate hominis, quę conſiſtit in operationibus compoſiti, agit de fœlicitate animæ, quę conſiſtit in operatione intellectus. Docet autem vitam, & fœlicitatem intellectus eſſe perfectiorem vita, & fœlicitate hominis per hæc verba. *Si igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem reſpiciamus, ſic vita, quæ ex intellectu traducitur, ſi humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipſa eſt. Neque verò oportet quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque cum ſit homo humana, & cum ſit mortalis cogitare mortalia, ſed quatenus licet immortalem ſe reddere.* Et cap. 8. concludit vitam, & fœlicitatem mentis eſſe ſeparatam. *Virtutes compoſiti humanæ ſunt, & vita igitur, quæ ſecundum ipſas traducitur, & fœlicitas huiuſmodi erit. Mentis verò ſeparata eſt. De hac ipſa enim hoc tantummodo eſt dictum. Nam exquiſitè tractare maius eſt, quam præſenti propoſito conueniat.* Patet autem, quod Ariſtoteles loquitur de fœlicitate, & vita intellectus, qui ſit potentia hominis, cum dicat conandum, vt viuamus ſecundum intellectum &c. Poſſent afferri alia innu-

innumera loca, quę breuitatis gratia omittuntur.

Ad 1. Dupliciter aliquid poteſt pendere à materia in produci: 1. dependentia propria, in quantum vt ſit, indiget materia, à qua ſuſtentetur, cum non poſſit per ſe eſſe, ſed debeat in altero ſuſtentari. Hoc pacto rotunditas pendet à ſubiecto rotundo, quia non poteſt eſſe rotunditas, niſi in aliquo rotundo. 2. poteſt aliquid pendere à materia dependentia impropria, tamquam à pura conditione, ſine qua non debet 1. produci. Anima rationalis pendet tantum hoc ſecundo modo, tamquam à pura conditione, vt probabitur quæſt. ſequenti, non autem primo modo, cum oſtenſum ſit illam per ſe ſubſiſtere: ideò non pendet in eſſe. Nec hoc gratis dicitur, ſed eſt demonſtratum ex operatione intelligendi. Aliæ formæ non intellectiuæ, cum non per ſe ſubſiſtant, propriè pendent.

Ad 2. *Hoc aliquid* ſimpliciter dicitur, quod per ſe ſubſiſtit, & non eſt pars: quod verò eſt pars, licet non pendeat à ſubiecto, non eſt ſimpliciter *hoc aliquid*: ideoq; caput hominis non eſt *hoc aliquid*. Cum igitur anima ſit pars hominis, non anima, ſed homo dicitur *hoc aliquid*. Similiter operationes tribuuntur ſuppoſito, quod ità per ſe ſubſiſtit, vt non ſit pars;

ideoque non tam anima dicitur intelligere, quam homo per animam, eo pacto, quo non tam dicitur videre oculus, quam homo per oculum.

Ad 3. Patet ex dictis.

Ad 4. Patet ex dictis, quod anima extrà corpus potest intelligere per conuersionem ad obiecta purè intelligibilia. Addo, quod Albertus, & alij auctores præsertim Platonici dicunt, quod anima etiam dum est in corpore, potest intelligere per conuersionem ad sola intelligibilia cum perfecta alienatione ab omnibus obiectis sensibilibus, & imaginabilibus, & tum etiam naturaliter patitur extasim. Sed animæ dum est in corpore, negat talem modum operandi S. Thomas 2. contrà Gentes cap. 81.

Ad 5. Quod fit ex nihilo sui, & ex potentia subiecti, ità vt habeat esse pendens à subiecto, est vertibile in nihilum sui, & reducibile in potentiam subiecti: at quod fit ex nihilo sui, ità vt non pendeat à subiecto, non potest naturaliter verti in nihilum, cum annihilatio sit impossibilis naturaliter, ideoque materia prima, & Angeli non possunt naturaliter corrumpi. Anima rationalis fit ex nihilo hoc secundo pacto, ideoque non potest corrumpi. Hinc sequitur, quod cum non generetur, sed creetur, non possit corrumpi. Est verum;

rum, quod non minus homo generat hominem, quam equus equum: ſed ad generandum hominem ſufficit, vt generans det eſſe homini, non autem requiritur, vt generans det eſſe animæ. Quia igitur homo vniendo Animam à Deo creatam materię dat eſſe homini, ideò generat hominem, licet animam rationalem non educat ex potentia materię. In ſolis verò dependentibus à corpore finis eſſendi proportionatur principio quoad hoc, vt quod eſſe incipit, cum vnitur, deſinat eſſe, cum ſeparatur. Scriptura locis allegatis loquitur in perſona impiorum. Sapientiæ enim 2. dicitur: *Hæc dixerunt cogitantes apud ſe &c.*

Ad 6. Quod eſt ſuſceptiuum contrariorum pugnantium contrà ipſum, vel contrà ſubiectum, ex quo pendet, eſt corruptibile: at quod eſt ſuſceptiuum contrariorum pugnantium ſolum contra ſe mutuo, non eſt corruptibile, vt patet in materia prima, quę licet ſit primum ſuſceptiuum contrariorum, eſt incorruptibilis. Anima rationalis eſt ſuſceptiua contrariarum opinionum; obliuionis, ac ſcientiæ; bonitatis, & malitię, excludentium ſe mutuo ab anima, non autem pugnantium contrà ipſam animam, vel contrà ſubiectum, ex quo pendeat anima; ergo eſt incorruptibilis. Imò hinc probatur animam eſſe incor-

ruptribilem à fortiori, ac materia prima. Ideò enim materia prima est incorruptibili, quia cum sit susceptiua omnium contrariorum materialium se mutuo corrumpentium, non habet oppositionem cum vllo contrario; sed anima rationalis est susceptiua contrariorum non solum materialium, sed etiam immaterialium, immò omnium entium; ergo à fortiori secundum suum esse non habet oppositionem cum vllo contrario, nec cum vllo ente. Confirmatur, quia anima ità recipit contraria, vt secundum esse intentionale, quod habent in anima, non sint contraria; sed vnumquodque recipitur in subiecto secundum modum essendi proportionatum ipsi subiecto; ergo modus essendi animę non habet oppositionẽ cum vllo contrario. Ideò intellectus est impassibilis propria passione, quæ consistit in receptione contraij pugnantis contrà recipiens, vel contrà subiectum, à quo pendet, licet sit passibilis passione latè sumpta, quæ consistit in receptione alicuius actus.

Ad 7. Opinio dicens animam secundum philosophiam esse mortalem, secundum fidem immortalem, damnata est à Concilo Lateranensi sub Leone X. cum veritas non sit contraria veritati, & cum non possit demonstrari falsum; ideoque præcipitur magistris philosophiæ, vt sol-

uant

uant rationes contrà immortalitatem animæ, quia cum non ſint demonſtratiuę ſunt ſolubiles. Dum Sophronius, & al Patres dicunt animam eſſe immortalem per gratiam, loquũtur de gratia latè ſumpta, in quantum omne donum Dei dicitur gratia; & quia Deus per creationem dat animę eſſe, & naturam immortalem ideò anima eſt immortalis per gratiam, ſolus Deus eſt immortalis per naturam, quia natura Diuina habet immortalitatē à ſe.

Ad 8. Patet ex dictis.

Ad 9. Dictum eſt Ariſtotelem non ſolum docuiſſe, ſed demonſtraſſe immortalitatem animæ. Sed ſoluenda ſunt loca in contrarium adducta.

Ad 1. Cum Ariſtoteles dicit formas naturales eſſe inſeparabiles à materia, ſolet excipere animam rationalem. 6. enim metaph. tex. 2. ait *de anima aliqua ſpeculari eſt phyſici, quæcumque non ſine materia eſt.* 12. metaph. t. 17. inferius allegando in reſp. ad 6. concedit Animam intellectiuam remanere poſt corpus; ergo cum non exprimit talem exceptionem, debet ſubintelligi.

Ad 2. Propoſitio cõditionata Ariſtotelis eſt: ſi anima habet operationem independentem à corpore, vt à ſubiecto, etiam ipſa eſt independens à corpore vt à ſub-

à subiecto, adeoque est per se subsistens, & separabilis, atque immortalis; si non habet talem operationem, est materialis &c; sed demonstrat 3. de anima tex. citatis, quod habet operationem independentem à corpore, & organo tamquam à subiecto; ergo &c. Ex eo verò, quod operatio independens à corpore tanquam à subiecto, sit dependens à phantasmate corporeo tamquam ab obiecto, quod solum docet textibus allegatis, non sequitur, quod anima non per se subsistat; ergo non infertur mortalitas animę, sed solum infertur, quod in statu separationis anima sicut habet diuersum modum essendi, sic habet diuersum modum intelligendi. Quod hæc sit doctrina Aristotelis, est indubitabile, cum solum per hanc conciliari possint quę dicit.

Ad 3. Patet ex dictis, quod Aristoteles nomine intellectus passiui, quem dicit corruptibilem, non intelligit intellectum possibilem, sed phantasiam, & cogitatiuam materialem.

Ad 4. Vel Aristoteles concessit infinitum animarum, & solum negauit infinitum in corporibus; vel concessit aliquam animarum circulationem, vt indicat in Problematibus; vel fuit inter vtrumque ambiguus: neque enim in his punctis satis aperuit mentem suam, cum immortalitatē animę

animæ, & Mundi ęternitatem apertissimè docuerit.

Ad 5. Cum Aristoteles expressè dicat mentem non educi ex potentia materię, sed extrinsecus aduenire, dum dicit, quod ex nihilo nihil fit, vel loquitur de solis entibus completis, vel dicit, quod nihil fit ex nihilo, quia omne quod fit, fit in subiecto, vel sustentante, vel purè recipiente. Loco igitur citato 2. de generatione anim. cap. 3. dicit solum omnem animam, etiam intellectualem esse prius in materia potentia, quam actu; sed deinde mouet quęstionem, vtrum educatur ex potentia materię, an extrinsecus adueniat, & respondet, quod mens extrinsecus aduenit.

Ad 6. Aristoteles dum dicit, quod omne generabile est corruptibile, & omne quod incipit desinit, loquitur de ijs, quę incipiunt per generationem, per quam educuntur ex potentia materiæ. Cæterum 12. metaph. tex. 16. cum dixisset, quod causę formales sunt simul cum his, quorum sunt causę, *quando enim sanatur homo, tum sanitas est, & non prius* subdit: *Si autem & posterius aliquid manet, perscrutandum est; nam in quibusdam nihil probibet, vt si est anima talis, non omnis, sed intellectus.*

Ad 7. Dicetur quæst. 3. ad 4. statum separationis non esse violentum animæ intellectiuę; ergo non sequitur aliquid vio-

len-

lentum esse perpetuum.

Ad 8. Aristoteles tex. allegato 8. ph. non dicit mouens, quod mouetur per accidens, esse corruptibile, sed solum dicit mouens, quod mouetur per accidens, non posse mouere motu continuo, & perpetuo; sed anima mouendo corpus mouetur per accidens; ergo non mouet motu continuo, & perpetuo, sed cum separatur corpore, mouere desinit, licet non corrumpatur per separationem. 6. phys. dum docet omne quod mutatur, & mouetur, esse partibile, loquitur de ijs, quę sunt mutabilia, & mobilia per se motu sensibili, vt patet ex contextu; sed anima motu sensibili solum mouetur per accidens, per se verò mouetur solum motu intelligibili, vt Angeli; ergo &c.

Ad 9. Aristoteles 1. eth. cap. 11. dicit, quod homo non est fœlix fœlicitate humana post mortem, cum post mortem non remaneat homo, nec vlla hominis operatio. In eodem sensu 3. ethic. dicit, quod mortuo nihil boni, vel mali esse potest; & 12. met. tex. 39 quod fœlicitas humana durat breui tempore. Concedit tamen 10. ethic. cap. 8. quod mens est fœlix post hominis mortem fœlicitate supra hominem, diuina, & separata. Quod verò anima remaneat post mortem, concedit etiam expresse eodem li. 1. eth. cap. 12. vbi-

vbi proposita quęstione, an ad defunctos pertingat quidquam mali, vel boni ex prosperis, vel aduersis euentibus amicorum degentium in hac vita, respondet affirmatiuè, & concludit. *Conferre igitur quid defunctis prosperi amicorum successus videntur; simili modo etiam infortunia; ità tamen, ac tantum, vt neque fœlices redàere infœlices, neque quidquam tale efficere valeant.*

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum Anima intellectiua sit forma informans, & creetur, cum corpori vnitur.

VIdetur vera sententia, vel potius error Platonis, Auerrois, & aliorum, quod anima intellectiua non vniatur corpori, vt forma materiæ, sed vt motor mobili, vt Auriga currui, & vt Intelligentiæ Orbibus Cœlestibus, primo: quia Aristoteles 2. de anima tex. 11. dicit: *Nihil vetat, vt aliquæ animæ partes sint separabiles, propterea quod corporis nullius sint actus;* sed intellectus ex eodem Aristotele lib. 3. tex. 7. est separatus; ergo nullius corporis est actus, vel forma informans.

Secundo; actus, & potentia debent esse in eodem genere, & debent inuicem propor-

portionari, vt est commune axioma desumptum ex Aristotele; sed ens spirituale non est eiusdem generis, ac ens materiale, nec illi proportionatur; ergo.

Tertio: modus operandi proportionatur modo essendi; sed operationes intellectiuæ non sunt actus vllius corporis, vel vllius materiæ vt subiecti, sed solum contemplantur phantasmata vt obiecta, vt dictum est quæstione superiore; ergo anima intellectiua non est actus, aut forma vllius corporis, sed solum vnitur corpori formato anima materiali, vt contempletur phantasmata tamquam obiecta.

Quarto; nulla forma naturaliter vnitur materiæ, à qua impediatur à perfectione suæ operationis; sed anima intellectiua ab vnione ad corpus impeditur à perfectione intelligendi; nam non potest intelligere nisi per conuersionem ad phantasmata, separata verò à corpore intelligit per conuersionem ab obiecta purè intelligibilia; ergo non naturaliter vnitur corpori, præsertim cum corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam, & deprimat ad modum operandi imperfectiorem.

Quinto videtur hinc sequi, quod anima intellectiua non creetur, cum corpori vnitur, sed vel fuerit ab æterno, vt putauit Auerroes, vel creata fuerit ab initio Mundi, vt docuit Origenes,& in pœnam

pecca-

peccati detrudatur in corpora, tamquam in carcerem; tum quia motor, qui vtpotè incorruptibilis debet manere, corrupto mobili, vtpotè ingenerabilis debet esse antequam suum mobile generetur; tum quia intellectus, qui separatus à corpore viueret vitam perfectiorem, non debet detrudi in corpus corruptibile, nisi in pœnam peccati; sed anima intellectiua de facto detruditur in corpus; ergo peccauit, antequam corpori vniretur. Confirmatur, quia Aristoteles 2. de generat. Anim. cap.3. dicit mentem venire in corpus extrinsecus; ergo supponit mentem fuisse, antequam adueniat in corpus: dicit etiam 3. de anima intellectum esse perpetuum.

Sexto videtur hinc etiam inferri, vt Auerroes infert, quod intellectus non multiplicetur ad multiplicationem corporum, sed sit vnicus in tota specie humana. Formæ enim separatę à materia non multiplicantur numero intrà eamdem speciem, vt nos cum Aristotele concessimus quæst.41. Logicæ; sed intellectus est separatus à materia; ergo est vnicus in tota specie humana, & est infimus omniũ Intelligentiarum, ac contemplatur tamquam obiectum proportionatum phantasmata materialia.

Respondeo, quod quia, vt dictum est ani-

anima intellectiua est veluti horizon inter formas materiales, & Intelligentias, ideò quidam putarunt illam esse formam materialem, & mortalem, contrà quos egimus quæst. superiore: alij declinarunt in errorem extremè contrarium, ac censuerunt illam esse vnam ex Intelligentijs, ideoque non esse formam corporis, contrà quos est disputandum quęst. pręsente. Dicendum igitur, quod non solum est de fide, vtporè definitum in Concilio Lateranensi verbis citatis quæst. 2. sed etiam naturali ratione demonstratur, quod anima rationalis est forma informans corpus humanum. Probatur, quia euidens est, quod homo est animal rationale, sentiens nimirum, & intelligens; vnusquisque enim experitur se sentire, videre, audire, intelligere, velle &c. Hoc posito, vel homo est solus intellectus assistens, & mouens; vel solum corpus sentiens, & motum; vel compositum ex vtroq;. Si est solus intellectus assistẽs; ergo non sentit per corpus, ac per corporea organa: intellectus enim purè assistens corpori, non potest per corpus sentire, videre per oculos, audire per aures; actus enim vitales sunt actus immanentes, adeoque debent esse intrinseci videnti, audienti &c. Si est solum corpus motum; ergo non intelligit per intellectum assistentem. Impossibile enim est, quod ego intel-

intelligam per aliquem intellectum, qui non ſit aliquid mei, ſed purè aſſiſtat mihi ex eadem ratione, quia intellectio eſt operatio immanens. Si eſt complexum ex intellectu aſſiſtente, & corpore moto, eſt aggregatum duorum ſuppoſitorum, & velut equus,, cui inſideat homo; ſed vni cuique eſt manifeſtum ſe in quantum eſt animal intellectiuum eſſe ens per ſe vnum, & non ſolum ſe habere vt equum, cui inſideat homo; ergo &c. Confirmatur, quia equus, cui inſideat homo, non eſt vnum animal potens exercere operationes equinas, & humanas; ergo neque corpus, cui aſſiſtat intellectus, eſt vnum animal rationale potens ſentire, & intelligere.

Hęc ratio deſumpta eſt ex Ariſtotele 2. de anima. Cum enim definiuiſſet animam actum, ſeu formam corporis organici, probat tex. 24. quod anima ſit forma, ſeu actus corporis, quia eſt id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primo; ſed non poſſemus per animam ſentire, intelligere &c, niſi eſſet actus, & forma corporis noſtri; ergo &c. Hinc conſtat Ariſtotelem ſtare pro noſtra ſententia. Videri etiam poteſt Dandinus digreſs. 23. in tex 75. 3. de anima, vbi fuſiſſimè tractat hanc quęſt. & S. Thomas p. 1. q. 75. art. 1. & 2. contrà gentes c. 68. & ſeq. Confirmatur, quia ipſamet ani-

anima intellectiua ità tristatur, & dolet de passionibus corporis, ac si ipsamet per corpus pateretur; sed hoc esset impossibile, nisi esset vnita corpori vt forma; ergo &c.

Dico 2. Anima intellectiua creatur nō ante corpora, sed cum primo vnitur corpori. Conclusio est de fide, & probatur primo, quia modus operandi proportionatur modo esendi; sed modus operandi animę est, vt incipiat à cognitione materiali obiectorum sensibilium, ac materialium, & deinde eleuetur ad cognitionem immaterialem obiectorum vniuersalium, & immaterialium; ergo naturalis modus esendi eiusdem est, vt primo habeat ese in materia, & in corpore, deinde verò acquirat ese separatum à corpore, & à materia. Secundo probatur, quia non est naturale intellectui, vt à statu scientiæ transeat ad statum, quo obliuiscatur totius scientiæ; sed si anima fuiset ante corpus, à statu scientiæ valde perfectę transiret ad statum, quo obliuisceretur omnium, quæ sciuit, vt patet in infantibus, & magno labore deberet rursus addiscere, quæ sciebat; ergo &c. Tertio, si dicatur id animam pati in pœnam peccati, contrà est, quia non est pœna proportionata peccati, quod quis ponatur in statu, in quo obliuiscatur se peccase,

casse, adeòque non possit dolere de peccato, nec illud detestari; sed per hoc, quod anima vniatur corpori, obliuiscitur omnium, quæ gessit ante corpus, adeòque etiam peccatorum; ergo &c. Ideò Aristoteles 12. metaph. tex. 16. cit. quęstione superiore docet, nullam formam poni ante compositum, licet anima rationalis remaneat post corruptionem compositi.

Dico 3. Non solum est de fide, sed etiā ratione naturali probatur, quod anima rationalis multiplicatur secundum multiplicationem corporum. Probatur, quia licet possit vna forma assistere simul pluribus corporibus, non potest tamen informare plura corpora; sed anima rationalis est forma informans; ergo &c. Confirmatur, quia vna anima non potest simul habere opiniones, affectus, habitus, & merita contraria; sed in diuersis hominibus dantur contrarietates in omnibus his; ergo &c. Hinc patet, quod neque intellectus possibilis est vnus in pluribus hominibus. Cum enim sit, quo anima intelligit, simul posset habere opiniones contrarias. Si verò dicatur, quod licet anima non sit vnica in omnibus, adhuc non tot sunt animæ, quot homines, quia datur transmigratio animarum, contrà est, quia talis transmigratio reiecta est argumentis allatis contrà secundam conclusio-

sio-

ſionem. Hæc etiam concluſio ſequitur manifeſtè ex principijs Ariſtotelis. Nã non ſolùm dicit formas multiplicari numericè ad multiplicationem numericam materiæ, ſed etiam dicit, quod tot ſunt Intelligentiæ motrices, quot orbes moti; ergo à fortiori putat tot eſſe formas informantes, quot corpora informata.

Ad primum: Ariſtoteles dum dicit aliquas animæ partes non eſſe actum corporis, loquitur de potentijs inorganicis, quę non recipiuntur in organo corporeo. Dum dicit intellectum eſſe ſeparatum, ſi loquitur de ipſa anima, dicit, quod eſt ſeparatus potentia, hoc eſt ſeparabilis.

Ad ſecundum. Actus, & potentia debent eſſe reductiuè in eodem genere, in quo ſunt compoſita per ipſos conſtituta. Et quia ex anima rationali, & ex corpore componitur homo, ideò reducuntur ad genus, ſub quo eſt homo, qui directè ponitur in genere, & in prædicamento. Ad illud de proportione reſponſum eſt quæſt. 27. ad ſecundum, oſtendendo, quod anima ſpiritualis eſt proportionatiſſima materię.

Ad tertium. Modus operandi debet ità proportionari modo eſſendi, vt modus eſſendi poſſit excedere ſuam operationem inadæquatam; ſed intellectio eſt operatio ſolum inadequata animę intellectiuæ, qua-

prę-

prçter operationem intelligendi inorganicam, poteſt eadem exercere operationes ſenſitiuas; ergo anima intellectiua ſicut ad hoc vt proportionetur ſuæ operationi inorganicç, debet eſſe independens à materia, adeòque per ſe ſubſiſtens, ſic vt proportionetur operationibus organicis, quæ recipiuntur in organo, debet eſſe forma corporis organici.

Ad quartum, diſtinguo maiorem: nulla forma naturaliter vnitur materię, à qua impediatur à perfectione ſuæ operationis, pro tempore, pro quo formæ conuenit talis operatio, concedo; pro tempore, pro quo paulatim debet diſponi ad illam operationem, nego; diſtinguo eodem pacto minorem, & nego conſequentiam. Proportionaliter ac differunt corpora ſuperiora, & inferiora, differunt etiam intellectus ſuperiores, & inferiores. Corpora ſuperiora, hoc eſt Cœleſtia debent produci perfecta, ità vt ſtatim poſſint perfectè operari: e conuerſo corpora inferiora, præſertim viuentia, debent produci imperfecta, ità vt ſolum poſt multum tempus poſſint obtinere ſuam operationem perfectam, vt patet in animalibus, & plantis. Proportionaliter intellectus ſuperiores Intelligentiarum creantur ità, vt ſtatim habeant perfectam ſcientiam, & poſſint perfectè operari;

anima rationalis, quæ est intellectus imperfectus, creatur vt tabula rasa, spoliata omnibus speciebus, vt dum est in corpore, abstrahendo species à sensibilibus, paulatim acquirat scientiam, & post separationem à corpore obtineat perfectum modum intelligendi independentem à sensibus. Sicut igitur anima equi ponitur in materia, à qua initio impeditur à perfectione operandi, ac paulatim ad illam peruenit, sic anima intellectiua ponitur in corpore, in quo ab initio impeditur à perfectione operandi, & paulatim ad illam peruenit, cum hæc imperfectio competat illi, in quantum est infimus intellectus.

Hinc primo infertur differentia Angeli ab anima intellectiua. Intelligentię sunt intellectus, qui statim debent esse perfecti, & pleni scietia, nec debent ad perfectionem peruenire paulatim per vitam in materia: ideò non sunt formæ vllius materiæ; anima rationalis est intellectus potentialis, qui debet paulatim peruenire ad modum intelligendi perfectum per vitam sensitiuam in materia; ideò debet esse forma corporis. Secundo infertur animę esse naturalem, adeòque non violentum, tum statum separationis, tum vitam in corpore. Probatur, quia entibus, quæ debent paulatim peruenire ad sta-

ſtatum perfectum, connaturalis eſt pro diuerſis temporibus tum ſtatus perfectus, tum imperfectus, eo pacto, quo homini primo connaturalis eſt ſtatus infantis; deinde pueri; tum iuuenis &c. ſed anima eſt tale ens; ergo &c. Addo meliorem eſſe animæ ſtatum ſeparationis. Status enim æternus, & finalis eſt melior; ſed ſtatus ſeparationis eſt ęternus, & finalis, in quo ſolo poteſt obtinere perfectionem, & fœlicitatem perpetuam; ergo. Anima igitur eſt facta, vt viuat vtramque vitam, ſed principalius eſt facta, vt viuat vitam æternam, & ſeparatam, ideòque Ariſtoteles 10. eth. dicit vitam ſeparatam eſſe diuiniorem. Licet tamen ſtatus ſeparationis ſit melior, tamen ad perfectionem illius ſtatus conducit, quod anima fuerit in corpore, & diu in corpore vixerit, tum quia acquirit ſpecies experimentales rerum ſenſibilium, quę iuuant ad perfectius intelligendum pro ſtatu ſeparationis; tum quia acquirit merita, per quæ euadit gratior Deo, & Intelligentijs, adeòque obtinet vt prœmium à Deo maiorem fœlicitatem naturalem conſiſtentem in perfectiore cognitione Dei, & Intelligentiarum. Hinc oritur, vt Anima intellectiua naturaliter appetat, non ſemper, ſed diu viuere in corpore, quia vita diuturnior in corpore conducit phyſicè, & mo-

raliter ad perfectiorem vitam extrà corpus, vt dictum est. Sequitur etiam, quod cum est in statu separationis, non appetit corpus corruptibile, & aggrauans animam, eamque impediens à perfecta contemplatione, in qua consistit fœlicitas. Solum igitur potest appetere appetitu naturali conditionato, & indeterminato corpus incorruptibile, & non impediens perfectam contemplationem, nec aggrauans animam, quo appetitu indeterminato possumus etiam appetere supernaturalia, vt dictum est quęst. 8. phys. ad septimum; Tertio infertur, quis sit modus operandi animæ separatę. Est proportionalis modo operandi Intelligentiarum, sed inferior. Proportio consistit in hoc, vt operetur per conuersionem ad obiecta purè intelligibilia, & non ad phantasmata. Inferioritas consistit in hoc, vt intelligat paulatim, & per discursum, cum Angeli intelligant sine discursu, vt dictum est quęst. 63. log. Porrò iuuatur etiam anima separata ad perfectè contemplandum ab Intelligentijs illam illuminantibus. Sicut enim corpora inferiora recipiunt influxus materiales superiorum, ità intellectus inferiores recipiunt influxus intelligibiles superiorum per illuminationem. Sed hæc sufficit indicasse.

Ad 5. Ex eo, quod anima sit forma

cor-

corporis,sequitur,quod creetur simul cum corpore, vt dictum est. Motor enim, qui est forma informans, non incipit esse ante corpus, alioquin non posset naturaliter vniri corpori, licet remanere possit, corpore corrupto. Anima rationalis naturaliter exigit creari in corpore, quia licet extrà corpus viuat vitam perfectiorem, quam in corpore, tamen postquam vixit in corpore, viuit vitam separatam perfectiorem,& fœliciorem,quam si numquam fuisset in corpore; ideò non detruditur in corpus tamquam in carcerem, sed tamquam in subiectum proportionatum, vt incipiens à vita imperfecta, paulatim acquirat perfectionem,& consequatur fœlicitatem extrà corpus. Ex corporibus maximè proportionatum animæ est corpus humanum, quia cum habeat temperamentum medium inter omnia corpora, est proportionatissimum animæ, quæ debet iudicare de omnibus corporibus. Ex hominibus verò, qui habent corpus magis mediocriter temperatum, habent tactũ perfectiorem, & sunt ingeniosiores, vt ex Aristotele dictum est quæst.47. Aristoteles loco allegato docet solum mẽtem extrinsecus aduenire, ità vt non educatur ex potentia seminis,aut materiæ,sicut omnes alię formę: at non dicit, quod ità extrinsecus aduenit, vt ante extiterit,imò

 negat

negat id expreſsè 12. met.tex.16. Similiter Ariſt. dicit quidem intellectum eſſe perpetuum, non verò æternum, quia æternum ab ipſo ſolet ſumi pro eo, quod non incepit, perpetuum verò etiam pro eo, quod licet inceperit, non deſinet eſſe.

Ad 6. Formæ ordinatæ ad materiam informandam poſſunt multiplicari numero intrà eamdem ſpeciem, vt dictum eſt quæſt. 41. Logicę; ſed anima intellectiua ordinatur ad informandum corpus; ergo &c.

QVAESTIO XXXIV.

Vtrum in Anima rationali detur intellectus agens, & poſſibilis, qui ſint potentiæ animæ: & vtrum dentur ſpecies intelligibiles.

VIdetur quod non, primo quia eodem pacto ſe habet intellectus ad intelligibile, ſicut ſenſus ad ſenſibile; ſed non ponitur duplex ſenſus, alter agens, alter poſſibilis, ſed ponitur vnicus ſenſus paſſiuus, qui recipit ſpeciem ſenſibilem ab obiecto ſenſibili, & ſic mouetur ad ſentiendum; ergo poni debet vnicus intellectus, qui

qui recipiat speciem intelligibilem ab obiecto intelligibili, & per hoc moueatur ad intelligendum.

Secundo, si dicatur, quod intellectus agens requiritur ad producendas species immateriales in intellectu possibili, videtur saltem, quod non sit potentia animæ, sed sit intellectus separatus ab anima, puta Deus, vel aliqua Intelligentia. Species enim sensibiles non producuntur ab anima, vel aliqua potentia ipsius, sed ab aliquo extrinseco; ergo etiam species intelligibiles.

Respondeo, quod cum egerimus de substantia animę intellectiuæ, agendum est de intellectu. Intellectus animæ proportionaliter se habet ad intelligibile, sicut sensus ad sensibile; sed sensus se habet ad sensibile, sicut passiuum ad suum actiuum; recipit enim ab obiecto sensibili speciem sensibilem, & per illam mouetur ad sentiendum, vt dictum est in quęstionibus de potentijs sensitiuis; ergo intellectus animæ se habet ad intelligibile, sicut passiuum ad suum actiuum, ità vt recipiat ab obiecto intelligibili speciem intelligibilem, & per hoc moueatur ad intelligendum. Quo pacto autem recipiendo speciem intelligibilem non patiatur strictè, sed latè, explicatum est quęst. 32. ad 4. Hinc infert Aristoteles 3. de anima

dari in homine aliquem intellectum, qui cum sit veluti tabula rasa, habet hanc naturam, vt possit recipere species omnium intelligibilium, & sic moueri ad intelligendum, & fieri omnia, & hunc intellectum vocat possibilem.

Quod præter intellectum possibilem requiratur agens, ex principijs Aristotelis sic probatur. Intellectus possibilis est immaterialis, vt demonstratum est; sed comparatur ad obiectum actu intelligibile, sicut passiuum ad suum actiuum; ergo obiectum actu intelligibile, hoc est tale, vt sit proximè potens causare in intellectu speciem intelligibilem, & sic mouere ad intelligendum, in quantum huiusmodi, debet esse immateriale: neque enim vllum materiale potest naturaliter agere in aliquid immateriale, vt est per se notum, & ab omnibus antiquis concessum. Omnes enim, qui dixerunt intellectum moueri ab obiecto matariali, dixerunt illum esse materialem; Plato, Aristoteles, & alij, qui dixerunt esse immaterialem, dixerunt quod mouetur ab obiecto immateriali; sed omnia sensibilia, & ipsa etiam phantasmata, & actus potentiarum materialium sunt materialia; ergo nullum ex his actu est intelligibile, seu potens mouere intellectum ad intelligendum. Propter hæc Plato dixit, quod intellectus intelligit non

per

per conuersionem ad obiecta materia, quæ non sunt intelligibilia actu, sed per cõuersionem ad formas separatas à materia, hoc est ad ideas, quę sunt immateriales, & intelligibiles actu. Sed præterquam quod tales ideæ non dantur, manifestum est experientia, quod intellectus primo intelligit per conuersionem ad res materiales, & sensibiles, & ad ipsa phantasmata materialia, quæ sunt primum obiectum intellectus, à quo deinde eleuatur ad cognoscenda vniuersalia, & separata; sed non posset primo intelligere materialia, nisi constituerentur intelligibilia actu, hoc est potentia proximè mouere intellectum immaterialem; ergo cum obiecta, & phantasmata, materialia secundum se propter suam materialitatem non sint intelligibilia actu, vt dictum est, dari debet aliqua virtus reddens illa actu intelligibilia, hoc est dans phantasmatibus, & obiectis materialibus aliquod esse immateriale, ideoque aptum ad mouendum intellectum possibilem, & immaterialem. Hanc virtutem vocat Aristoteles intellectum agentem. Sed quod nam est hoc esse immatertale, per quod phantasmata, & obiecta materialia constituuntur intelligibilia actu? Dico, quod vel quæritur, quodnam sit illud esse immateriale, per quod obiecta, & phantasmata materialia red-

duntur actu intelligibilia, hoc est proximè potentia imprimere intellectui possibili speciem intelligibilem; vel quæritur, quodnam sit illud, per quod redduntur potentia mouere intellectum ad intelligendum. Si quæritur secundum, dico, quod hoc est esse intentionale speciei intelligibilis. Intellectus igitur agens reddit obiecta materialia intelligibilia actu, in quantum causat speciem intelligibilem, & immateriale in intellectu possibili, quæ species est esse intentionale phantasmatum, & obiectorum materialium, sed est esse reale intellectus possibilis, in quantum recipitur in ipso tamquam in subiecto. In hoc sensu intellectus agens reddit obiecta intelligibilia actu efficienter, in quantum producit eorum intelligibilitatem proximā; dicitur spiritualizare phantasmata, & obiecta, & abstrahere à materia, in quantū producit esse intentionale immateriale, ideoque abstractum à materia phantasmatum, & obiectorum. Si verò quæratur, quod sit illud esse, per quod phantasmata, & obiecta materialia redduntur proximè potentia causare speciem intelligibilem in intellectu possibili, dico, quod tale esse est ipse intellectus agens, ideoque in hoc sensu reddit obiecta, & phantasmata materialia intelligibilia in genere causæ formalis. [Ideò intellectus agens ab Ari-

Aristotele comparatur lumini. Sicut enim colores non possunt imprimere potentiæ visiuæ speciem sui, nisi sint illuminati per lumen, quod est qualitas minus materialis quam colores, ideoque colores secundum se non videntur visibiles actu proximo sed solum potentia, redduntur autem visibiles actu per lumen; sic phantasmata & obiecta materialia secundum se non sunt actu intelligibilia, nec possunt imprimere intellectui possibili speciem sui, redduntur verò intelligibilia actu per lumen spirituale intellectus agentis, de quo potest explicari illud Psalmi 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Hinc infert Aristoteles, quod sicut natura intellectus possibilis est, vt recipiendo speciem intelligibilem, omnia fiat, sic natura intellectus agentis est, vt imprimendo speciem intelligibilem omnia faciat. Verba eius sunt tex. 18. *Et est quidam talis intellectus, quia omnia fiat, quidam verò, quia omnia faciat, vt habitus quidam, quale est lumen. Quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores, actu colores.*

Pro cōplemento quęstionis sex sunt explicanda: primo an vterque intellectus sit potentia animæ: secundo vtrum à parte rei distinguantur: tertio vter sit perfectior: quarto vtrum dentur etiam in Angelis: quinto vtrum præter phantasma-

ta, & intellectum agentem dentur species intelligibiles, & quomodo excitentur: sexto demum an ad productionem speciei intelligibilis concurrant actiuè obiecta materialia per phantasma, & actum imaginationis.

Dico primo respondendo ad primum quæsitum: Intellectus agens, & possibilis sunt duę potentiæ animę. Quod intellectus agens sit potentia animæ, patet, nam per illum anima intelligit; sed non potest anima intelligere per intellectum separatum, qui non sit potentia animæ; ergo &c. De intellectu agente probatur, quia virtus cognoscitiua alicuius obiecti debet esse talis, vt proposito obiecto, possit illud cognoscere; sed anima est virtus cognoscitiua quidditatum materialium, & phantasmatum; ergo proposito obiecto, & phantasmate, nihil debet animæ deesse ad hoc, vt possit illa intelligere; sed si non posset reddere phantasmata intelligibilia actu, deesset illi aliquid; ergo potest reddere phantasmata intelligibilia actu; ergo habet intellectum agentem, qui sit potentia animę, & non indiget ad intelligendum intellectu extrinsecus assistente, qui sit causa particularis specierum licet indigeat intellectu Diuino concurrente vt causa vniuersali. Confirmatur primo, nam intellectus, qui est prima, & perfectissima

poten-

potentia cognoscitiua, non debet esse per sua intrinseca magis insufficiens ad cognoscendum suum obiectum, quam potentiæ inferiores; sed aliæ potentiæ, proposito obiecto, per sua intrinseca sunt sufficienter determinatę ad recipiendam speciem, & cognoscendum obiectum; ergo etiam intellectus; sed non esset sufficienter determinatus, nisi intellectus agens esset virtus ipsius; ergo &c. Confirmatur secundo, nam in rebus naturalibus perfectis dantur potentię intrinsecę necessarię ad exercendas proprias operationes; e.g. in brutis datur potentia nutritiua, & quia ad nutritionem cibus debet concoqui, ideò datur etiam potentia concoctiua; sed operatio propria animæ rationalis est intelligere; ergo debent in anima dari potentię intrinsecę necessariæ ad intelligendum; sed vt obiectum intellgatur, debet prius reddi intelligibile per productionem speciei intelligibilis; ergo datur potentia productiua speciei intelligibilis, quæ est intellectus agens. Sicut enim animal esset malè constitutum, si haberet potentiam nutritiuam, per quam nimirum cibum in suam substantiam conuerteret, at careret potentia concoctiua reducendi cibum in eum statum, ad quem debet redigi, vt conuertatur in substantiam, sed concoctio deberet fieri à causa extrinseca;

ca ; sic anima esset malè constituta, si haberet quidē potentiā intrinsecam intelligendi obiecta sensata, sed non posset illa reddere proximè intelligibilia per productionem speciei, sed species produci deberet à causa extrinseca. Docet autem expresè id Aristoteles tertio de Anima t.17. dicens, *necesse est in anima has existere differentias*; sed intellectus agens, & possibilis non essent differentię existentes in anima, nisi essent virtutes intrinsecæ ipsius animę; ergo &c. Hinc sequitur intellectum agentem non esse vnum in omnibus, sed singulas animas habere suum peculiarem intellectum agentem, sicut singula animalia habent suam peculiarem potentiam concoctiuam.

Dico secundo, respondendo ad secundum quęsitum: Intellectus agens, & possibilis distinguuntur à parte rei. Probatur nam aliæ potentię cognoscitiuę, quæ sunt in potentia ad hoc, vt recipiant speciem huius, vel illius obiecti, reducuntur in actum ab aliquo realiter distincto; exempl. grat. oculus recipit speciem à colore, & phantasia recipit phantasmata ab obiectis distinctis. Similiter in alio rerum genere materia formatur à causa efficiente distincta; figurabile figuratur à figuratiuo distincto; ergo etiā intellectus possibilis formatur per speciem inteigibilem ab intellectu

lectu agente realiter distincto. Confirmatur, nam intellectus agens datur vt producat in intellectu possibili species loco obiectorum sensibilium; ergo sicut obiecta distinguuntur realiter ab intellectu possibili, sic intellectus agens debet realiter distingui. Intellectus ergo possibilis est veluti tabula, in qua possunt formari imagines, & formæ intelligibiles omnium rerum; intellectus agens est veluti pictor describens tales imagines.

Dico tertio, respondendo ad tertium quæsitum. Absolutè intellectus possibilis est perfectior agente. Ratio est, quia intellectus possibilis est productiuus cognitionis per actionem vitalem, intellectus agens est productiuus speciei; sed productio cognitionis est perfectior productione speciei, cum sit eius finis; ergo. Si verò præcisè comparentur intellectus agens vt productiuus speciei, & possibilis vt receptiuus, sub ista ratione agens est perfectior, quia perfectior est causa actiua, quam passiua, licet possibilis, quia non solum est passiuus, & receptiuus speciei, sed etiam est actiuus, & effectiuus intellectionis, absolutè sit multò perfectior. Aristoteles dicens intellectum agentem esse honorabiliorem, non dicit esse honorabiliorem simpliciter, sed in sensu explicato.

Dico quarto, respondendo ad quartum quæ-

quæsitum; si nomine intellectus possibilis intelligatur potentia elicitiua intellectionis, certum est dari in Angelis; sed aliud videtur intelligi nomine intellectus possibilis; est enim, cui species non sunt connaturales, ità vt fluant ab eius essentia, & à Deo debeantur in prima productione, sed est in potentia ad illas recipiendas à rebus, prout occurrunt. In hoc sensu S. Thomas 1. p. qu. 54. articulo quarto negat dari in Angelis intellectum possibilem. Putat enim intellectum Angelicum esse semper in actu, eo quod in prima productione debeantur illi species rerum, absque eo quod illas debeat à rebus accipere, & per hoc differre ab intellectu humano, qui est in potentia, & est veluti tabula rasa, & debet a rebus paulatim species accipere. Hinc sequitur, quod neque datur intellectus agens in Angelo, cum species sint illi naturales, & ab essentia fluentes, ac inditæ à Deo.

Dico quinto respondendo ad quintum quæsitum: præter intellectum agentem, & phantasmata, dantur species intelligibiles. Probatur primo à posteriori, nam recordamur plurium obiectorum, quę non possunt representari per phantasmata materialia, nimirum nostrarum intellectionum circà Deum, Angelos, & alia immaterialia; ergo præter phantasmata debent

bent dari species intelligibiles. Confirmatur primo, quia alioquin anima separata cum amittat omnia phantasmata, non retineret memoriam vllius obiecti, quod sciuerat in corpore. Secundo confirmatur, quia sicut actus imaginationis relinquunt phantasmata, hoc est imagines materiales sui, sic actus intellectus relinquunt species spirituales sui. Secundo probatur vniuersaliter à priori; ex principiis positis quæst. 30. vt potentia cognoscat obiectum, debet illi coniungi non secundum esse materiale, sed secundum esse aliqualiter immateriale proportionatum tali potentię; sed intellectus est potentia immaterialis; ergo vt cognoscat obiecta materialia, debet illis coniungi, recipiendo esse spirituale speciei intelligibilis.

Sed est difficultas in explicando, quo pacto anima, quæ semper habet actu omnes formas intelligibiles, contempletur potius vnum obiectum, quam aliud. Dicūt communiter rationem esse, quia modo excitat vnam speciem, modo aliam. Sed quæritur, quid sit ista excitatio, & quomodo fiat. Dico, quod pro hoc statu excitat phantasmata per motum localem, quæ cum sint corporea, pro vt organum imaginationis tangunt, vel illi vniuntur causant actum imaginationis; species verò intelligibiles correspondentes phantasma-

ſmatibus determinantur ad cauſandam concomitanter intellectionem. Sed vtcumque hoc explicetur, remanet difficultas de modo, quo in Angelis, vel Anima ſeparata excitantur ſpecies. Dico, quod excitantur per motum quemdam intentionalem. Cenſeo enim, quod Angelus, & Anima ſeparata ſemper habeant præſentes omnes ſpecies cognitione quadam confuſa, eo pacto, quo ego confusè poſſum videre centum homines, ità vt non cognoſcam, qui ſint, diſtinguam tamen aliqualiter vnum ab alio per locum, ità vt poſſim oculum figere in quemcumque voluero. Proportionaliter Angelus cognoſcit omnes ſpecies aliqualiter cognitione confuſa, & poteſt figere intellectum in contemplationem ſpeciei, & obiecti, quod voluerit: dum verò vult contemplari vnum potius, quam aliud obiectum, per iſtum actum voluntatis, quaſi per motum intentionalem conuertitur ad illud obiectum contemplandum, eo pacto, quo oculus per motum localem conuertitur ad contemplandum vnũ hominem. Ad cognitionem ergo cõfuſam determinantur ab ipſa exiſtentia ſpecierum, quæ cognitio eſt veluti potentialis; ad contemplationem diſtinctam determinantur à motu intentionali per actum voluntatis, vel poſſunt determinari à cauſa extrinſeca, & à

Deo,

Deo, qui ità determinet, ac si adesset in Angelo actus voluntatis.

Dico sexto: Phantasma, & actus imaginationis non concurrunt actiuè ad productionem speciei intelligibilis, neque sunt purę conditiones, sed sunt causa exemplaris ipsius. Probatur prima pars ex dictis; nam materiale non potest concurrere actiuè, ne partialiter quidem ad productionem rei spiritualis. Secunda pars, quod non sit mera conditio, sed causa exemplaris, probatur; nam mera conditio non assimilat sibi effectum; sed phantasma assimilat sibi speciem intelligibilem; ergo est causa exemplaris. Anima igitur, dum per intellectum agentem producit speciem intelligibilem, per cognitionem imaginatiuam cognoscit obiectum. Respiciens ergo obiectum per actum phantasiæ, imitatur illud tamquam exemplar per productionem speciei intelligibilis, quin actiuè concurrat actus imaginationis, vt potè improportionatus. Propter hanc imitationem phantasmatis in productione speciei spiritualis, intellectus agens dicitur spiritualizare phantasma, sicut pictor si respiciens picturam corpoream imitaretur illam, efficiendo imaginem spiritualem, diceretur spiritualizare illam picturam corpoream.

Ad primum: Ratio, cur non debeat dari

dari ſenſus agens eſt, quia obiecta materialia ſunt actu ſenſibilia, hoc eſt potentia proximè mouere ſenſum; ſed non ſunt actu intelligibilia; ergo requiritur intellectus agens.

Ad ſecundum: Anima debet eſſe proximè potens recipere ſpecies obiecti propoſiti. Si obiectum poſſit illas imprimere, non requiritur, vt anima habeat potentiam actiuam illas producendi: ſi obiectum non poſſit, debet dari in anima talis virtus, vt probatum eſt.

QVAESTIO XXXV.

Vtrum in anima præter ſpecies intelligibiles dentur habitus.

VIdetur vera ſententia Ouiedi Controuerſia 14. de anima puncto 3. & quorumdam aliorum recentiorum, quod actus tum intellectus, tum voluntatis nihil aliud relinquant, quam ſpecies ſui, ex quarum multitudine, claritate, & coordinatione oriatur tota facilitas, & inclinatio, quam experimur ad ſimiles actus eliciendos: primo, quia tota facilitas, quam experimur, ſufficienter refunditur in ſpecies; ergo fruſtrà ſuperadduntur habitus diſtincti à ſpeciebus.

Secun-

Secundo; intellectus non poteſt incli-
nari ad aſſenſum, niſi ex propoſitione ve-
ri; voluntas inclinari non poteſt ad amo-
rem, niſi ex propoſitione boni; ſed pro-
poſitio tum boni, tum veri oritur à ſpecie-
bus, quarum munus eſt repręſentare o-
biectum; ergo tota inclinatio, tum intel-
lectus, tum voluntatis oritur à ſpeciebus;
ergo non dantur habitus præter ſpecies.
Confirmatur, quia nulla potentia purè
phyſica poteſt inclinari ad ſuum actum
per aliquid intentionale; E. G. grauitas
lapidis, quæ eſt potentia purè phyſica,
non poteſt inclinari ad deſcenſum deor-
ſum per aliquid intentionale, puta per ſpe-
ciem intelligibilem illi ſuperadditam, ſed
inclinari debet per impulſum phyſicum;
ergo proportionaliter intellectus, & vo-
luntas, quę ſunt potentię intentionales,
non poſſunt inclinari ad ſuum obiectum
per aliquam qualitatem purè phyſicam,
ſed ſolum per ſpeciem intentionalem re-
præſentantem obiectum.

Tertio videtur vera ſententia Hurtadi
diſput. 16. ſect. 2. Arriagę diſput. 9. ſect. 1.
ſubſ. 1. & aliorum, quod ſaltem in intel-
lectu non dentur habitus diſtincti à ſpe-
ciebus. In potentia enim neceſſaria idem
eſt poſſe operari, & poſſe facilè operari;
ſed intellectus eſt potentia neceſſaria; er-
go idem eſt, quod poſſit elicere aliquem
actum

actum, & quod possit facilè elicere; sed habitus non debet dare posse, sed solum facilè posse; ergo præter species, quæ dant intellectui posse, non debent dari alij habitus dantes facilè posse.

Quarto videtur vera sententia Dur. in in 3. dist. 23. & aliorum, quod habitus non concurrant actiuè ad actus, sed sint meræ dispositiones facilitantes potentiam, eo pacto, quo rotunditas rotę non est causa motus, qui producitur à sola virtute impressa, sed est mera dispositio facilitans ad motum. Vt enim arguit Vasq. p.3. quęst. 83. cap. 2. causa diuersæ rationis non est superaddenda, cum effectus illa non indiget ad vllam nouam formalitatem accipiendam; sed habitus est causa diuersæ rationis, ac potentia, & actus non indiget habitu; ergo. Confirmatur, quia in causis æquiuocis non potest dari reciprocatio, per quam effectus producat alium effectum eiusdem rationis cum sua causa æquiuoca; sed si habitus concurreret ad actus, daretur hęc reciprocatio; ergo &c. Maior probatur inductione, & ratione: nam causa æquiuoca debet esse perfectior effectu; sed duo non possunt esse mutuo perfectiora; ergo &c.

Quinto non potest explicari, quænam sit causa productiua habitus; an producantur per vnicum actum, vel per plures; an inten-

ntendantur ſolum per actus intenſiores, vel etiam per æquè intenſos: an habitus ſcientiarum, & virtutum ſint vnica ſimplex qualitas; an & quomodo corrumpantur per actus, & habitus contrarios, vel per ceſſationem ab actibus: ergo ad vitandas has difficultates, negandi ſunt habitus conſiſtentes in qualitatibus diſtinctis à ſpeciebus.

Reſpondeo, quod cum egerimus de intellectu poſſibili, qui eſt in potentia, agendum eſt de intellectu in actu, tum primo, tum ſecundo. Et quia intellectus conſtituitur in actu primo per habitum, agendum eſt de habitibus intellectus, & concomitanter propter affinitatem doctrinæ de habitibus voluntatis. Certum eſt, quod intellectus, & voluntas ex frequentatis actibus acquirunt habitus, hoc eſt habilitatem, facilitatem & inclinationem ad ſimiles actus exercendos. Probat Ariſtoteles ſecundo Eth. cap. primo inductione. *Sicut enim ædificando ædificatores, citara canendo cytheredi efficiuntur, ità quoque iuſta agendo iuſti, temperantia temperantes, fortia fortes euadimus*: & propè finem capitis; *vt vno verbo dicam, ex ſimilibus operationibus habitus fiunt*. Quæritur, quid ex actibus relinquatur, per quod potentiæ conſtituantur habituatæ. Dicendum, quod actus & relinquunt ſpecies, pro-

pter

pter quas obiecta habent maiorem vim motiuam potentiarum, & disponunt potentias, ità vt sint facilius mobiles ab obiectis. Probatur, & explicatur. Ex duobus enim potest oriri, quod aliquod mobile facilè moueatur; primo ex eo, quod in mouente sit maior virtus motiua; secundo ex eo, quod in mobili sit maior mobilitas: e. g. eadem nauis facilius mouetur à vento maiore, quam à minore, quia ventus maior habet maiorem vim motiuã; è conuerso ab eodem vento facilius, & celerius mouetur nauis agilior, quia facilius est mobilis; sed intellectus est potentia mobilis ab intelligibili, voluntas est potentia mobilis ab amabili; ergo ex duobus potest oriri, quod intellectus, & voluntas facilius operentur, & moueantur à suis obiectis, vel ex eo, quod obiecta habeant maiorem virtutem motiuam, vel ex eo, quod ipsæ potentię habeant maiorem mobilitatem; sed actus intellectus, & voluntatis, & relinquunt speciem sui, & perficiunt, vel determinant ipsas potentias; voluntas enim amando obiecta bona, & honesta, fit bona, amando obiecta mala, & inhonesta, fit mala, quod proportionaliter etiam contingit in intellectu: perfectio autem potentiæ consistit in hoc, vt sit facilè mobilis ab obiecto, e. g. Illa potentia visiua est perfecta, quę facilè

lè mouetur ad videndum; quę verò non facilè, & ſolum ab obiectis vehementibus mouetur ad videndum, eſt potentia viſiua imperfecta; ergo actus intellectus, & voluntatis, & relinquunt ſpecies ſui, per quas obiectum habet proximè maiorem virtutem motiuam; & relinquunt diſpoſitionem, per quam potentia eſt facilius mobilis ab obiectis.

Confirmatur, explicando primo, quo pacto ſpecies facilitent actus intellectus, & voluntatis; ſecundo quo pacto facilitet etiam diſpoſitio potentię. Qui ſæpius elicuit actum ſcientiæ circà aliquā demonſtrationem Euclydis, vel circà aliud obiectum intelligibile, prętęr phantaſmata acquirit plures ſpecies habentes vim mouendi ad ſimilem actum ſcientię; ſed plures ſpecies conſtituunt vnum mouens fortius; ergo intellectus facilius deinde mouebitur ad ſimilem actum ſcientię: ſimiliter qui ſępius exercuit actum temperantiæ, recordatur delectationis, quam experitur, & acquirit plures ſpecies experimentales reprę ſentantes bonum temperantiæ; ſed cognitio experimentalis boni cauſata à talibus ſpeciebus vehementius mouet ad amorem talis boni; ergo facilius deinde voluntas mouetur ad ſimiles actus temperantię. Adde, quod qui ſæpius exercet actum temperantię, ac-

quirit ſpecies repræſentantes: *ſæpius, & præſertim vltima vice iudicaui faciendum actum temperantię*; ſed hoc eſt motiuum potentiſſimum ad faciendos ſimiles actus temperantiæ: nam difficile eſt condemnare nos ipſos, quaſi malè ante fecerimus & ideò pœnitentia eſt difficillima, & in Angelis moraliter impoſſibilis; ergo &c. Sed explicandum eſt iam, quo pacto facilitet diſpoſitio potentię. Voluntas amando honeſta, fit bona, amando ſenſibilia inhoneſta, fit mala iuxtà illud, *abominabiles facti ſunt, ſicut ea, quæ dilexerunt*; ſed voluntas non conſtituitur bona, & perfecta per hoc pręcisè, quod obiectum bonum habeat magnam vim mouendi voluntaté ad amorem boni, nec fit mala pręcisè per hoc, quod obiectum ſenſibile habeat magnam vim mouendi ad actus malos, ſed per hoc, quod euadat facilè mobilis ad bonum, vel ad malum: intellectus pariter conſtituitur perfectus per hoc, quod conſtituatur facilè mobilis ad actus perfectiores; ergo &c. Confirmatur, quia voluntas bona ſic differt à voluntate mala, ſicut oculus bonus à malo; ſed oculus bonus eſt, qui eſt ità diſpoſitus, vt facilè à viſibili moueatur ad viſionem perfectam; ergo voluntas bona conſtituitur per hoc, quod facilè moueatur à bono ad actum perfectum. Sicut verò oculus non con-

constituitur bonus per hoc præcisè, quod visibile habeat magnam vim mouendi, sic nec intellectus, & voluntas.

Infertur primo hominem constitui cōpletè habituatum, & per hoc, quod habeat species perfectè motiuas, & per hoc, quod habeat potentias perfectè mobiles. Secundo infertur posse contingere, vt ab æquali omninò motiuo vnus facilius moueatur, quam alius, & ad actum perfectiorem, quia est facilius mobilis, eo pacto, quo ab æquali visibili æqualiter proposito oculus acutior mouetur facilius, & ad visionem perfectiorem, quam minus acutus. Tertio infertur, quod sicut perfectio potentiæ consistit etiam in hoc, vt sit mobilis ab obiecto perfecto, eo pacto, quo potentia visiua Aquilæ est perfectior, quia est mobilis ad distinctam visionem à visibili perfecto, hoc est à luce solari, potentia visiua noctuę est imperfecta ex opposita ratione; ità perfectio intellectus consistit in hoc, vt sit facilè mobilis à perfectis intelligibilibus, cuiusmodi sunt res immateriales, imperfectio in hoc, vt sit mobilis parum à perfectè intelligibilibus, multum à sensibilibus, & materialibus; perfectio voluntatis consistit in hoc, vt sit facilè mobilis à bono perfecto, hoc est honesto, imperfectio in hoc, vt parum ab honesto, multum à sen-

sibilibus, quę sunt minima bona. Quarto infertur, in quo consistat cæcitas intellectus, & durities cordis, seu voluntatis. Cæcitas est, per quam intellectus minimum mouetur ab intelligibilibus perfectis, pręsertim practicis, e. g à pulchritudine virtutis, turpitudine vitiorum. Mali enim sunt ità excæcati, vt videntes non videant, & forment de veris, & perfectis bonis cognitionem sufficientem quidem ad obligandum, at de reliquo imperfectissimam. Præterea habent voluntatem ità obduratam, vt minimum moueantur à motiuis æternis, quę sunt maximi ponderis. Quinto infertur, quod sicut animalia, & plantæ producuntur valdè imperfecta, vt statum perfectum acquirant à se per operationes vitales; sic intellectus, & voluntas producuntur imperfecta, hoc est sine proprijs virtutibus vt per actus acquirant à se virtutes, quibus reddantur perfecta, & facilè mobilia à suis obiectis. Vt enim dictum est quęst. 3. viuentia omnia imitantur in quantum possunt perfectionem diuinam per quam Deus habet esse, & perfectionem à se.

Ad primum. Cum facilitas, quam acquirimus per actus, non solum consistat in hoc, vt obiectum sit valdè motiuum, sed etiam in hoc, vt potentia sit facilè

mobi-

mobilis , non sufficienter refunditur in solas species.

Ad secundum. Intellectus actiuè non potest inclinari, nisi ex propositione veri, sed potest passiuè inclinari ex eo, quod sit facilè mobilis à vero ; atque idem dic proportionaliter de voluntate. Ad confirmationem dico, quod habitus non est qualitas purè physica, sed sicut intellectus, & voluntas sunt potentiæ intentionales mobiles à suis obiectis, sic habitus sunt quædam perfectiones potentiarum, per quas constituuntur facilius mobiles, ideoque sunt intentionales proportionaliter, ac potentię, quarum sunt habitus.

Ad tertium. Etiam in potentijs necessarijs non semper est idem posse, ac facilè posse; e. g. pila licet sit necessario volubilis, tamen facilius est volubilis, si sit perfectè rotunda, quam si imperfectè; ergo etiam intellectus facilius mouetur ab intelligibili, cum est dispositus, quam cum indispositus. Tum verò potentia est facilius mobilis, cum minus requiritur ad mouendum ad actum certæ perfectionis &c.

Ad quartum. Habitus habent naturam affinem ipsis potentijs, cum sint perfectiones, & velut extensiones potentiarum; ergo sicut potentiæ ità mouentur ab obiectis, vt concurrant actiuè ad actus, sic ha-

 bitus.

bitus. Causa verò diuersæ rationis potest superaddi non ad hoc, vt tribuat effectui diuersam perfectionem, sed ad hoc, vt potentia, quæ est causa principalior, producat effectum facilius, & cum minori conatu. Neque est verum, quod in causis æquiuocis non datur reciprocatio. Nam viuentia producunt semina, quę concurrunt ad productionem viuentium similium; ergo proportionaliter actus relinquunt habitus, veluti quædam actuum semina, à quibus producuntur similes actus. Hinc patet non sequi quod actus, & habitus sint mutuo perfectiores, sicut id non sequitur in viuentibus, & seminibus. Licet enim causa æquiuoca principalis, & totalis sit perfectior effectu, tamen causa partialis, pręsertim instrumentalis potest esse imperfectior; sed licet actus sint causa totalis, habitus est causa partialiter concurrens cum potentia, & cum ipsa anima vt instrumentum animæ; ergo habitus est imperfectior actu.

Ad quintum, in quo quæruntur varia dubia; respondeo soluendo dubia proposita. Ad primum dico, quod causa habituum sunt actus. Probatur; nam potentia secundum se est indifferens ad habitus etiam contrarios; ergo determinatur ab aliqua causa propria, & specificatiua continente habitum in sua virtute; talis

autem

autem causa est actus. Nec opponas cum Buridana, quod actus sūt de genere actionum; ergo non possunt esse causa habituū, qui sunt de genere qualitatum: nam dico quod actus vitales prętet actionem includunt qualitatem valdè perfectam, quę qualitas est quoddam esse intentionale, & immateriale obiecti. Ad secundum dico, quod regulariter ad productionem habitus perfecti requiruntur plures actus, vt patet experientia; aliquando tamen vnicus actus potest esse ità perfectus, vt relinquat habitum perfectum. Ad tertium dico, quod habitus intenduntur simpliciter, hoc est in ordine ad actus perfectiores, solum per actus perfectiores: at in ordine ad magis facilitandum ad actus eiusdem perfectionis intenduntur etiam per actus ęquè perfectos. Ratio est, quia actus relinquunt habitus facilitantes ad actus similes; ergo soli actus perfectiores relinquunt habitum ad actus perfectiores. Ad quartum. Scientiæ non sunt vna simplex qualitas, sed aggregatum plurium qualitatum partialium habentium vnitatem ordinis ad vnum obiectum attributionis scientiæ. Probatur; nam actus physicę e.g. circà materiam primam differunt ex obiecto materiali, & formali ab actibus circà infinitum; ergo relinquunt qualitatem proportionaliter diuersam. De habi-

tibus virtutum moralium posset facilius defendi, quod sint vnica simplex qualitas, cum omnes actus temperantiæ e.g. habeant vnicum obiectum formale.

Ad quintum; habitus, vt notat S.Thom. p.2. quæst.53. possunt corrumpi, vel per se, vel per accidens. Per accidens corrumpuntur, corrupto subiecto. Hoc pacto sunt corruptibiles soli habitus corporei, & phantasmeta materialia. Per se corrumpuntur introductione contrarij; & quia species intelligibiles non habent contrarium, sunt incorruptibiles. Habitus tamen scientię potest corrumpi per hoc, quod quis oblitus motiui scientifici, per syllogismum sophisticum, & apparentem incidat in oppositum errorem productiuum habitus erroris oppositi habitui scientiæ. Habitus virtutum moralium corrumpuntur per habitus contrariorum vitiorum. Sicut verò qualitates contrariæ se excludunt in gradu intenso, non in remisso, sic habitus. Ad quæsitum, vtrum habitus corrumpantur per cessationem ab actibus, dico, quod non corrumpuntur præcisè ex cessatione, sed solum quatenus cessando ab actibus, applicantur causæ contrariæ, & corruptiuæ habituum. Ratio est, quia habitus possunt multo tempore durare sine actibus; ergo possunt semper, nisi adueniat causa corruptiua.

Ha-

Habitus ergo ſcientię obliuione non deperditur, ſed redditur inutilis, corruptis per accidens phantaſmatibus correſpondentibus. Habitus virtutum per longam ceſſationem ab actibus eatenus ſolùm corrumpuntur, quatenus ab actibus ceſſatur ex amore oppoſiti, vel ex tædio laboris in exercendis actibus virtutum, & tunc corrumpuntur per oppoſitum habitum inertię; imò poſſunt etiam habitus virtutis imminui per exercitium actuū remiſſorum, e. g. habitus pœnitentię minuitur, ſi quis longo tempore exerceat ſolum actus remiſſos pœnitentiæ, ex quodam tędio, & quia vincitur à labore exercendi actus intenſos. Nam eo ipſo comparat habitum inertiæ contrarium virtuti, & eius corruptiuum.

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum præter Animas rationales dentur Intelligentiæ, quæ non ſint formæ vllius corporis.

VIdetur, quod ſaltem ratione naturali probari non poſſit dari Intelligentias ſeparatas. Si enim poſſet probari, maximè

ximè ex motu Cœli, & ex operationibus energumenorum, & magorum; sed hæc omnia possunt tribui Animabus separatis; ergo &c.

Respondeo, quod ex ijs, quę dicta sunt de immaterialitate, & immortalitate animæ rationalis, probari potest dari Intelligentias separatas, & potest explicari, qualis sit earum natura, & modus intelligendi, atque operandi. Anima enim rationalis est forma intellectiua per se subsistens, sed infima, ideoque incompleta, propinquissima formis materialibus, & incipiens suam cognitionem à sensu; sed in quocumque genere datur imperfectum, & infimum, ac propinquum inferiori, dantur etiam perfecta propinquiora superiori; ergo in genere formæ intellectiuę prętér formam intellectiuam imperfectam, & incompletam, dantur etiam formę intellectiuę completę, & perfectę, quæ proinde vt compleantur, non indigent corpore. Minor probatur inductione, qua etiam explicatur argumentum. In genere corporum, quę sunt pręcipuę partes vniuersi, pręter quatuor elementa imperfecta dantur corpora Cœlestia perfecta, quę sunt causę inferiorum: in genere motuum, pręter motus rectos imperfectos, & parum durabiles, datur

motus

motus circularis Cœli perpetuus: in genere qualitatum, præter qualitates imperfectas, & corruptiuas, datur lux, quæ est qualitas perfectiua, & perfectissima: in genere plantarum præter herbulas quasdam imperfectissimas, & viuentes vitam paucorum dierum, dantur Cedri, & aliæ arbores perfectissime, & viuentes longissimam vitam: in genere animalium pręter zoophyta, quę sunt imperfecta, & propinquissima plantis, vtpotè affixa scopulis, & habentia solum sensum tactus, dantur animalia perfectissima habentia omnes sensus, & ipse homo: in genere sensus pręter sensum tactus imperfectissimum, datur etiam sensus visus perfectissimus, & propinquus intellectui: in genere visus præter visum noctuę imperfectum, & potentem solum videre minima visibilia, datur visus Aquilæ perfectissimus, & ferens lucem Solis visibilissimi; sed est absurdum, quod Deus, seu primus intellectus, qui voluit tantam perfectionem aliorum generum, in solo genere intellectus produxerit vnicam speciem imperfectam, & incompletam, & veluti mutilam, & quæ se habet in genere intellectus, sicut oculus noctuæ in genere oculi, & sicut zoophyta in genere animalium; ergo &c. Confirmatur, quia Deus nullius generis perfectionem per se amat,

nisi intellectiui; de alijs enim generibus valet illud Apostoli, *nunquid de bobus cura est Deo?* quia non curat de ipsis propter ipsa, sed propter intellectum; ergo absurdum est, quod solam perfectionem generis intellectiui contempserit ità, vt in eo produxerit vnicam speciem incompletam, & veluti mutilam. Simili argumento tamquam omninò conuincente vtitur Christus, Matth. 6. *Si fœnum agri Deus sic vestit, quanto magis vos?* Hæc verò ratio ostendit simul possibilitatem, existentiam, & naturalem necessitatem Intelligentiarum. Deus enim, vtpotè sapientissimus artifex non potest producere naturaliter Mundum imperfectum, ità vt sit veluti mutilus; ne autem sit mutilus, requiritur vt minimum, ne in ipso sit solum genus imperfectum, hoc est materiale, sed etiam immateriale, & intellectiuum & ne in vtroque genere sint solæ species imperfectę, ac veluti mutilæ. Confirmatur à posteriori ex dictis de motu Cæli, qu. 7. de Cælo, & Mundo.

Addidi, quod ex dictis de anima rationali, potest etiam explicari essentia, ac natura Intelligentiarum. Sunt intellectus completi, ideoque vt compleantur in specie, non indigent corpore, nec possunt esse corporis forma. Habent perfectam vim intellectiuam, ideoque ad intelligendum

dum non indigent, nec possunt vti vllo sensu, nec vlla potentia sensitiua. Sunt intellectus in actu, hoc est tales, vt non debeant produci sicut tabula rasa, sed in prima productione debeant accipere species intelligibiles, ideoque non acquirunt scientiam paulatim. Non sunt actus puri, ideoque componuntur ex genere, & differentia; ex essentia, & existentia; ex natura, & subsistentia; ex substantia, potentijs, & operationibus, &c. Non habent ordinem ad materiam, vel ad circunstantias loci, temporis, &c. ideoque non sunt multiplicabiles intrà eamdem speciem, sed omnes differunt specie, vt dictum est quęst. 42. log. Differentia specifica Intelligentiarum desumitur ex modo intelligendi magis, aut minus vniuersali: & quia in modo intelligendi vniuersaliori, & vniuersaliori datur processus in infinitum sine termino, ideò sunt possibiles species Intelligentiarum perfectiores, & perfectiores sine termino. Probabile est, quod numerus Intelligentiarum sit maximus, & incōparabiliter excedens numerum omnium corporum. Videmus enim, quod corpora cœlestia, & superiora in quantitate continua excedunt valde corpora inferiora; ergo entia immaterialia, & superiora, in numero, quæ est quantitas discreta excedent proportionaliter entia inferiora,

riora, & corporea. Modus operandi est, vt intelligant per species innatas, ideoque non accipiant cognitionem à rebus, neque debeant abstrahere vniuersalia à singularibus. Vnico intuitu cognoscunt res perfectè, ideoque sine compositione, & diuisione, & sine discursu formali. Sunt in loco, & tempore, sed non ità, vt contineantur loco, & tempore, tanquam patientes à loco & tempore, sed vt contineant locum, & tempus, tamquam agentes in locum, & tempus, & in eorum subiectum, hoc est in corpora Cœlestia. Agunt in corpora, sed solum per supremum ex motibus corporeis; & quia supremus inter motus corporeos est localis, vt dictum est quæst. 9. de Cœlo, & Mundo, ac proinde motus localis aliqualiter conuenit etiam entibus incorporeis, ideò agunt immediatè in corpora per solum motum localem, & præsertim per circularem, qui est supremus inter motus locales, ideoque conueniens supremo corpori, vt ibidem dictum est: per motum verò localem, præsertim corporum Cœlestium, applicando Cœlum vt instrumentum, & manum, causant entia inferiora, vt explicatum est quæst. 22. de causis gener. & per hoc supremum infimi attingit infimum supremi, recipiens ab ipso immediatè motum localem, qui est

est supremus inter motus corporeos, adeoque inferiores. Probabile autem est, quod sicut anima, quia est infimus intellectus, & propinquissimus formis materialibus, est forma corporis, sic ex Intelligentijs infimæ, & propinquissimę Animę rationali applicentur mouendis corporibus Cœlestibus, superiores verò connaturaliter moueant immediatè motu purè intelligibili Intelligentias inferiores, & sic omnia pulcherrimè, & optimè ordinentur. Hæc verò explicata sunt suis locis.

Ad argumentum in contrarium: efficacissima ratio ad probandas Intelligentias separatas est iam allata ex eo, quod anima rationalis sit forma immaterialis. Secunda, & magis à posteriori desumitur ex motibus Cœlestibus, qui incongruè tribuuntur animæ separatæ. Ex operationibus verò energumenorum probatur hoc disiunctum, quod vel dentur spiritus omninò separati à corporibus, vel quod anima rationalis est à corpore separabilis, & in statu separationis potest exercere illas mirabiles operationes.

QVAE-

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum ex effectibus demonstretur dari Deum sub conceptu primæ causæ.

VIdetur, quod non, primo quia demonstratio primæ causæ ex effectibus esset, quia omne, quod producitur, ab alio producitur, & non potest dari processus in infinitum in causis producentibus, ac proinde debet perueniri ad primam causam producentem incausatam; sed non est euidens, quod non possit dari processus in infinitum, cum plures auctores probabiliter admittant possibilitatem infiniti, & Aristoteles ponens ęternitatem mundi, ac generationum putauerit omnem hominem ab alio fuisse generatum, absque eo quod perueniatur ad primum hominem ingeneratum; ergo ex effectibus non demonstratur dari primam causam incausatam.

2. Plures auctores concedunt posse dari mutuam causalitatem in eodem genere etiam causæ efficientis; sed admissa hac mutua causalitate, etiamsi non possit dari processus in infinitum in causis, adhuc non demonstratur dari primam cau-

causam incausatam; ergo.

3. Multa prędicata conueniunt omnibus, & singulis alicuius collectionis distributiuè sumptis, quę non conueniunt toti collectioni: e. g. cum rota mouetur circulariter, omnes, & singulæ partes rotæ distributiuè sumptę mouentur, & acquirunt locum, in quo immediatè ante non erant, tota rota non mouetur, acquirendo locum, in quo immediatè ante non erat; singuli milites exercitus sunt insufficientes ad victoriam obtinendam, totus exercitus non est insufficiens, sed sufficiens; singuli anni æternitatis creatæ à parte post prętéribunt, tota ęternitas à parte post non prętéribit; in sententia Aristotelis singuli anni ęternitatis à parte ante habuerunt principium, & inceperunt, tota ęternitas, & collectio infinitorum annorum non incepit; ergo similiter in casu nostro, licet singuli effectus producti sint producti ab aliquo alio, & sibi insufficientes ad essendum, tamen tota collectio effectuum productorum poterit non esse producta, sed esse sibi sufficiens ad essendum; ergo non demonstratur, quod vltrà collectionem, & vniuersitatem rerum productarum detur aliquod principium improductum distinctum à tali collectione, & vniuersitate.

4. Quod demonstratur demonstratione per-

perfecta, ac metaphysicè euidente, ità conuincit intellectum, vt nullo pacto possit id negare; sed impius potest saltem imprudenter, & insipienter negare, quod Deus sit, iuxtà illud psal. 53. *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; ergo non demonstratur demonstratione perfecta, ac metaphysicè euidente, quod Deus sit.

Respondeo, quod ex effectibus demonstratur euidenter dari Deum sub conceptu primæ causæ incausatæ. Est enim impossibile, vt aliquid sit, quin detur perfecta sufficientia ad hoc, vt ipsum sit; sed nullum causatum, & factum, & nulla multitudo seu finita, seu infinita solorum causatorum, & factorum etiam se mutuo causantium est sibi perfecta sufficientia ad essendum; ergo vltrà omnia causata, & præter quamcunque multitudinem seu finitam, seu infinitam solorum causatorum, & factorum, dari debet aliquid incausatum. Probatur minor quoad singulas quatuor partes, & primo quod nihil causatum sit sibi perfecta sufficientia ad essendum. Quod enim ad essendum indiget alio, non est sibi perfecta sufficientia ad essendum; sed omne causatum ad essendum indiget causa; ergo. Probatur secunda pars, quod nulla multitudo finita causatorum se inuicem non causantium sit perfecta sufficientia, inductione omnium multitudinum,

num. Sit enim binarium ex A, & B, causatis; A causatur à B, & B ex suppositione causatur, & non recausatur ab A, nec à se ipso: ergo causatur ab aliquo tertio, quod sit C; ergo binarium ex A, & B non sibi sufficit ad essendum, sed indiget tertio, hoc est C. Ex eadem ratione nec ternarium causatorum non se recausantium, nec quaternarium sibi sufficit ad essendum & sic de quacunque alia multitudine finita; ergo.

Probatur tertia pars, quod nec multitudo infinita solorum causatorum se inuicem non causantium sit sibi perfecta sufficientia ad essendum: 1. quia est impossibile, quod addendo insufficientiæ nouam insufficientiam, & indigentiam alterius, & alterius, fiat sufficientia non indigens vllo altero: sed multitudo infinita solorum causatorum constituitur, addendo insufficientię semper nouam similem insufficientiam, atque indigentiam alterius, & alterius: A, enim causato, atque indigenti B, additur noua insufficientia, qua B indiget C, & qua C indiget D, & sic in infinitum sine termino; ergo per hanc additionem nouę, & nouæ insufficientię semper indigentis altero, non constituitur sufficientia nullo indigens; ergo infinita multitudo solorum causatorum non se recausantium non potest esse perfecta sufficientia essendi sibi,

ſibi, & omnibus contentis in tali multitudine.

Secundo probatur, quia multitudo ſolorum inſufficientium eo magis eſt ſibi inſufficiens, quo plura continet inſufficientia: e. g. binarium duorum pauperum, quorum neuter poſſit habere panem, niſi alius dederit, eſt quidem ſibi inſufficiens; ſed ternarium eſt magis inſufficiens, quia indiget pluribus panibus, & quaternarium adhuc eſt magis inſufficiens, & infinita multitudo eſſet infinitè inſufficiens; ſed multitudo ſolorum cauſatorum eſt multitudo ſolorum inſufficientium ad habendum eſſe, niſi accipiant ab altero; ergo quo maior eſt, eo magis eſt inſufficiens, & ſi ſit infinita, eſt infinitè inſufficiens, quia indiget infinitis eſſe acceptis ab alio.

Tertio probatur, quia multitudo ſolorum inſufficientium eo magis eſt inſufficiens, quo maior eſt indigentia ſingulorum; ſed ſi multitudo ſit infinita, ſingulorum indigentia eſt quodammodo infinita; ergo. Minor probatur, quia infinita indigentia eſt, per quam aliquid ad eſſendum indiget infinitis cauſis, atque actionibus; ſed ſi multitudo ſolorum indigentium ſit infinita, ſingula ad eſſendum indigent infinitis cauſis, & actionibus: vt enim ſit A, produci debet à B, quod B debet pro-

produci à C, quod debet produci à D, & sic sine termino; ergo singula ex infinitis insufficientibus habent infinitam quandã insufficientiam; ergo tota multitudo solorum insufficientium est infinitè sibi insufficiens ad essendum, atque adeò vltrà multitudinem omnium causatorum sibi insufficientem ad essendum, requiritur causa incausata sibi sufficiens ad essendum, & causandum.

4. Probatur, quia impossibilitas essendi singularum partium non est sufficientia essendi in toto, sed est potius impossibilitas essendi: impossibile est enim totum compositum, cuius non omnes partes possunt esse, ac multo magis, cuius nullæ partes possunt esse, sed indigentia, per quã singulæ partes multitudinis poni non possunt nisi per infinita media, non perueniendo ad primum, est impossibilitas essendi; ergo, &c. Probatur minor; si A non potest poni, nisi ponatur à B, quod B non potest poni, nisi ponatur à C, & sic in infinitum, A simpliciter non potest poni, eo facto, quo si conclusio per se non nota nõ potest poni, nisi probetur per præmissas, quæ premissę non possunt poni, nisi probentur per alias præmissas, & sic sine termino, est impossibilis conclusionis positio, cum sit impossibilis probatio per premissas probatas per alias præmissas sine ter-

termino, nunquam perueniendo ad præmissas per se notas. Similiter si A non potest amari nisi propter B, quod non potest amari nisi propter C, & sic in infinitum, est impossibilis amor, quo A ametur ratione B amati ratione C, & sic sine termino, nunquam perueniendo ad aliquid amabile ratione sui. Iam sic: indigentia, qua conclusio non potest probari, nisi per præmissas probatas per alias sine termino, nunquam perueniendo ad prima principia per se nota, & per se mouentia ad assensum sine alia probatione, est impossibilitas probandi conclusionem: indigentia qua aliquid non potest amari nisi propter aliud, quod ametur propter aliud, nunquam perueniendo ad vltimum finem, & ad bonum per se amabile, est impossibilitas amandi; ergo indigentia, per quam A non potest poni, nisi ponatur à B, quod B ponatur à C, nunquam perueniendo ad aliquid per se sufficiens ad essendum, & causandum, est impossibilitas ponendi A. Videri potest Aristoteles 2. metaph. tex. 5. vrgens hanc demonstrationem. Confirmatur, quia impossibilitas inueniendi prima principia per se nota, ac per se sufficientia ad probandam conclusionem non potest esse sufficientia probandi conclusionem; impossibilitas inueniendi finem, & bonum per se amabile, & per se sufficiens

ad

ad mouendum ad amorem non potest esse sufficientia mouendi ad amorem; sed multitudo infinita causatorum, quorum A, non possit esse, nisi causetur à B, quod non possit esse, nisi causetur à C, & sic sine termino, est impossibilitas inueniendi primum principium per se sibi sufficiens ad essendum, & causandum; ergo talis infinita multitudo non potest esse sibi, vel vlli causato sufficientia essendi.

Demum probatur quarta pars, quod nec multitudo se inuicem causantium sibi sufficiat, inductione multitudinum. Sit enim binarium ex A, & B, se inuicem causantibus: A vtpotè causatum non sibi sufficit ad essendum; ergo multo minus sufficit ad causandam perfectam sufficientiam ad hoc vt sit; sed si A sufficeret ad causandum B, sufficeret ad causandam perfectam sufficientiam ad hoc, vt A sit; causa enim completa est perfecta sufficientia ad hoc, vt sit effectus; ergo non sufficit A ad causandum B, nec B sufficit ad causandum A ex eadem ratione; ergo vt sint A, & B, requiritur aliquid vltrà binarium, ac proinde nec binarium ex A, & B se mutuo causantibus sibi sufficit. Ex eadé ratione nec sufficit ternarium. Quod enim non sibi sufficit ad essendum, multo minus sufficit ad causandam suam sufficientiam ad essendum, & adhuc multo minus

suffi-

ſufficit ad cauſandam ſufficientiam ſuæ ſufficientię, ſeu cauſam ſufficientem ad cauſandam ſuam cauſam; ergo nec ſufficit ſibi ternarium entium ſe mutuo cauſantium, nec quaternarium, & ſic de quacunque alia multitudine finita, ac multo magis de infinita. Quod enim ſibi non ſufficit ad eſsendum, multo minus ſufficit ad cauſandam ſufficientiam per infinita media cauſantem ſuam proximam ſufficientiam eſsendi; ergo nulla multitudo finita, vel infinita entium ſe inuicem cauſantium ſibi ſufficit ad eſsendum; ergo vltrà omnem multitudinem entium cauſatorum datur aliquod ens ſibi per ſe ſuffici͂es ad eſsendum, & cauſandum, hoc eſt prima cauſa incauſata; ergo datur prima cauſa incauſata.

Ad primum; probabile eſt poſſe dari infinitum: at euidens eſt, quod multitudo infinita ſolorum cauſatorum eſt ſibi inſufficiens ad eſſendum, atque adeò vltrà omnem multitudinem cauſatorum dari debet aliqua ſufficientia incauſata potens ponere multitudinem cauſatorum. Probabile eſt etiam poſſe dari proceſſum in infinitum in cauſis, & generationibus, ità vt omnis homo ſit generatus ab alio homine, nunquam perueniendo ad primum hominem, vt docuit Ariſtoteles; ſed eſt euidens, quod hæc ipſa infinita multitudo

cau-

causarum, quarum vnaquæque causetur ab altera causa, non est sibi sufficiens ad essendum, sed causari debet ab aliqua causa per se sufficiente ad essendum, & ad causandum, & ordinandam totam infinitam multitudinem causarum causatarum. Talis prima causa, vt etiam Aristoteles agnouit, Deus est. Addit Aristoteles 8. phys. quod prima causa potest quidem ordinare infinitas causas per accidens, sed non potest ordinare infinitas causas per se requisitas ad effectum. Ordinare infinitas causas per accidens requisitas ad effectum est ità producere effectum per infinitas causas, quarum vna producatur ab alia, & hęc ab alia sine termino, vt effectus sufficienter pendeat à prima causa per finitas causas medias, & finitas actiones, quæ possent remanere, & effectum ponere, etiam subtracta infinitate causarum, & actionum: e. g. si mundus, adeoque generationes hominum fuissent ab æterno, causa prima ordinasset ad productionem vniuscuiusque hominis infinitas causas per accidens, quia vnusquisque homo per influxum Patris generantis, ac corporum cælestium, ità sufficienter penderet à prima causa per finitas causas medias existentes, & finitas actiones, vt etiam subtractis infinitis causalitatibus, & actionibus, quibus pater fuisset pro-

ductus ab auo, auus à proauo, & sic in infinitum, adhuc sufficientissimè effectus productus penderet à prima causa per finitas causas, & actiones existentes. Ordinare infinitas causas per se requisitas est ità producere effectum per infinitas causas, vt quacunque subtracta, non remaneret sufficiens dependentia effectus. E. g. si quis moueat lapidem baculo, baculum manu, manum imperio voluntatis, ad imperium voluntatis moueatur à cognitione proponente bonum mouendi, ad cognitionem ab excitatione speciei, ad excitationem ab aliquo alio, & sic sine termino, ità vt non esset sufficiens mouere baculum, nisi per infinita media, inter quæ non daretur primum, vt explicatum est, vel inter quę non daretur vltimum medium immediatè mouens baculum, tunc motus baculi penderet per se ab infinitis causis, & actionibus. Iam dependentia effectus ab infinitis causis per se est impossibilis. Eo enim ipso, quod causa non potest producere effectum, nisi per infinita media ordinata, inter quæ non detur primum, vel vltimum, non potest simpliciter effectum producere: e. g. si non potest intellectus probare conclusionem, nisi per infinitas probationes ordinatas, inter quas non detur prima, vel vltima probatio, non potest simpliciter probare conclusionem:

nem ; ergo eo ipso , quod non posset prima causa causare, nisi per infinita media, & actiones , inter quas non daretur prima , vel non daretur vltima , non posset simpliciter causare . Dependentia effectus ab infinitis causis per accidens per Aristotelem non repugnat, quia posito , quod Deus vnumquemque ex infinitis effectibus sufficienter ponat per finita media , & finitas causalitates , potest tales effectus ità ordinare, vt A causetur à B, B à C,& sic in infinitum sine termino; eo pacto , quo posito , quod intellectus vnamquamque ex infinitis conclusionibus sufficienter probasset per finitas probationes , perueniendo ad prima principia per se nota , non est absurdum , quod vnamquamque ità ordinaret , vt vna conclusio per syllogismum inferretur ex alia , & hæc ex alia sine termino , dummodo aliunde non repugnet tali intellectui propter suam finitatem , quod simul cognoscat , atque ordinet infinitas conclusiones .

Ad 2. Probabile est non repugnare mutuam causalitatem vtcumque ; at euidens est repugnare talem mutuam causalitatem , per quam causa ex se insufficiens ad essendum sit tamen ex se sufficiens ad ponendam totam suam sufficientia essendi , vel sufficientiam suæ sufficientiæ . Quod enim sibi non sufficit ad esse, multo minus

ſibi ſufficit ad producendam ſufficientiam, à qua ponatur.

Ad 3. Concedo, quod quædam prędicata conueniunt omnibus, & ſingulis alicuius collectionis, quę tamen non conueniunt toti collectioni, vt probatur efficaciter exemplis adductis in argumento. At quædam ſunt prædicata, quę eo ipſo, quod conueniant omnibus, & ſingulis alicuius collectionis, à fortiori cōueniunt toti collectioni. E. g. ſi omnes, & ſingulæ partes alicuius totius ſunt materiales, à fortiori totum eſt materiale. In caſu noſtro ſi omnes, & ſingulę partes alicuius totius ſunt cauſatæ, ac factę, à fortiori totum eſt cauſatum, & factum; e. g. ſi omnes, & ſingulæ partes templi ſunt cauſatę, ac factæ, à fortiori totum templum eſt cauſatum, ac factum. Et ratio à priori eſt, quia totum non aliter cauſatur, quam cauſando, & componendo, vel ordinando partes; ergo ſi omnes partes totius ſunt cauſatę, & inuicem ordinatæ ad conſtituendum totum, à fortiori cauſatum eſt ipſum totum. Confirmatur, quia ſi cauſa cauſatur, à fortiori cauſatur effectus; ſed partes ſunt cauſæ intrinſecæ totius; ergo ſi cauſantur omnes, & ſingulę partes, à fortiori cauſatur totum conſtans, & cauſatum ex partibus; ſed omnes, & ſingulæ partes vniuerſitatis rerum factarum ſunt

cau-

causatæ, & factę; ergo tota vniuersitas rerum factarum est causata & facta; sed quod est causatum, & factum, non sibi sufficit ad essendum; ergo tota vniuersitas rerum factarum non sibi sufficit ad essendum, atque adeò sufficientia causandi totam hanc vniuersitatem est causa non causata, nec facta. Si verò quæratur regula ad discernendum, quandonam aliquod predicatum conueniat partibus, & non toti, quando verò eo ipso, quod conueniat omnibus partibus distributiuè, debeat etiam conuenire toti, dico regulam esse hanc. Quando prædicatum conuenit singulis partibus precisè, inquantum secundum se non includunt consortium aliarum partium, tum tale prædicatum non conuenit toti; e. g. quia partibus rotæ prædicatum occupandi locum, in quo ante non erant, conuenit præcisè, inquantum sumuntur sine alijs partibus, quę erant ante in eo loco, ideò tale prædicatum non conuenit toti rotæ; tota enim rota non occupat locum, in quo ante non erat, quia nulla pars rotæ occupat locum, in quo non esset aliqua alia pars eiusdem rotæ. Similiter quia annis æternitatis à parte post conuenit prædicatum, quod aliquando erunt præteriti, præcisè quia sumuntur sine reliquis annis consequentibus, in quibus non datur vltimus, ideò

toti æternitati conuenit oppositum prędicatum, quod nunquam præteribit. Prędicatum insufficientis sibi, non conuenit rebus causatis præcisè, quia sumuntur sine alijs causatis, & insufficientibus, sed quia non habent intrinsecam sufficientiam sibi ad essendum; ergo licet sumantur simul omnia habentia intrinsecam insufficientiam ad essendum, nunquam fiet totum sufficiens, sed remanebit summè, & maximè insufficiens.

Ad 4. Certum est ex fide ex pluribus Scripturę locis existentiam Dei demonstrari demonstratione saltem moraliter euidente, hoc est ità conuincente intellectum, vt non possit nisi insipienter, & stultè negare, quod Deus sit, ideoque David ait, *dixit insipiens in corde suo non est Deus*, quia negans Deum in hac ipsa negatione est insipiens. Sanctus etiam Paul. ad Roman. 1. ait: *inuisibilia Dei per ea quæ facta, sunt intellecta conspiciuntur, stmpiterna quoque virtus eius, & diuinitas, ità vt sint inexcusabiles*; ergo Diuinitas demonstratur ex rebus factis ità euidenter, vt reddat inexcusabiles eos, qui illam negant. cap. 13. *à magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator horum videri*; sed *videri* significat euidentiam saltem moralem; ergo, &c. Addo ex communi sententia theologorum contrà paucos, ex fide,

fide, & scriptura constare Deum demonstrari euidentia metaphysica. Nam modi loquendi sacræ scripturæ *intellecta conspiciuntur; cognoscibiliter poterat creator videri*, significant euidentiam perfectam. Ad argumentum in contrarium dico, quod insipiens, dum negat Deum, non habet actu demonstrationem metaphysicam, vel quia non penetrat vim rationum, vel quia non vult attendere; at ex hoc non sequitur, quod alij, ac presertim philosophi non habuerint demonstrationem metaphysicè euidentem, & omninò conuincentem intellectum. Addo, quod potest accidere, vt ipse insipiens habeat identidem demonstrationem metaphysicè euidentem de Diuina existentia, & tum, velit, nolit, cogitur credere, & contremiscere, sicut de Dęmonibus scriptum est Iacobi 2. *tu credis quod vnus est Deus, & Dęmones credunt, & contremiscunt*; at malitiosè auertit oculos, ne videat veritatem, & cum auertit oculos à veritate manifesta *dicit in corde suo, non est Deus.* Debet autem aduerti, quod ad demonstrationem non requiritur, vt quicunque possit illam percipere, ità vt omninò conuincatur: nam proculdubio plures sunt demonstrationes euidentissimæ, quas homines hebetis ingenij percipere non possunt; ergo sufficit ad demonstrationem, vt benè percepta con-

uincat intellectum. Idcirco non debet quis negare demonstrationes ab auctoribus allatas de Diuina existentia esse veras demonstrationes, quia ipse non percipit vim earum; hoc enim esset, sicut si cęcus negaret solem esse luminosum, quia nunquam vidit eius lucem: sed debet credere auctoribus testantibus se ab ijs demonstrationibus fuisse conuictos omniuò.

QVAESTIO XXXVIII.

Vtrum ex motibus demonstretur dari Deum sub conceptu primi motoris Immobilis.

VIdetur esse vera sententia Suar. disp. 29. met sect. 1. num. 7. & quorundam aliorum, quod ex motibus non demonstretur dari primum motorem immobilem. Si enim aliqua esset demonstratio, maximè illa, quam affert Aristoteles 6. phys. & 12. met. tex. 20. atque ex eo S. Tho. 1. par. quęst. 2. art. 3. & 1. contrà gen. cap. 13. & alibi: omne, quod mouetur ab alio mouetur; sed in mouentibus non potest dari processus infinitum, ità vt e.g baculus moueatur à manu, manus ab imperio, & sic sine termino ergo debet perueni-

ueniri ad primum mouens; ſed primum mouens neque poteſt moueri à ſe ipſo quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur, neque poteſt moueri ab alio, alioquin non eſſet primum mouens; ergo primum mouens eſt omninò immobile, adeòque datur primum mouens immobile. Sed hæc non eſt demonſtratio; ergo, &c. Probatur minor. Nam non ſolum non eſt euidens, ſed videtur omninò falſum principium aſſumptum, *omne, quod mouetur, ab alio mouetur*; animalia enim, & omnia viuentia mouent ſe ipſa; probabile eſt grauia, & leuia mouere ſe ipſa deorſum, aut ſurſum, ac cœlum mouere circulariter ſe ipſum per ſuam formam, & non moueri ab Intelligentia; ergo etiam primum mouens poterit mouere ſe ipſum.

Secundo: admiſſo etiam, quod in mouentibus non poſſit dari proceſſus in infinitum, ſaltem poteſt perueniri ad duo, quæ ſe inuicem moueant, tum motu eiuſdem rationis, eo pacto, quo duæ manus ſe inuicem calefaciunt mutua perfricatione; tum motu diuerſę rationis, eo pacto, quo duę manus, quarum altera ſit frigida, altera ſit calida, ſe inuicem mouent contrarijs motibus, cum calida calefacit frigidã, & frigida frigefacit calidam; ergo non eſt euidens primum mouens eſſe immobile.

Tertio primum mouens mouet per intellectum, & voluntatem; sed quod mouet per intellectum,& voluntatem ità mouet, vt simul moueatur ad intelligendum quidem ab obiecto cognito; voluntas ad volendum moueri debet à bono amato; ergo primum mouens non potest esse immabile.

Respondeo,quod quia athei facilè concedunt dari primam causam incausatam, sed dicunt hanc primam causam esse mundum, aut Cœlum, quod cum causam non habeat, causat omnia inferiora, ideò Aristoteles 6. phys. & 12. met. non tam laborauit in ostendendo, quod detur prima causa, quam quod prima causa non est cœlum, neque aliud corpus, aut ens mobile, sed aliquis primus motor immobilis, & incorporeus, qui mouens Cœlum, & omnia mobilia,causet omnes motus, & omnes actiones, ac generationes. Probatur autem, quia est impossibile, ut detur motus, nisi detur perfecta sufficientia mouendi; sed nullum mobile est sibi perfecta sufficientia mouendi, ac nulla multitudo finita, vel infinita mobilium est talis perfecta sufficientia; ergo ad motum vltrà omnia mobilia, & vltrà quamcunque multititudinem finitam, vel infinitam mobilium, requiritur aliquod primum mouens immobile. Probatur minor, & pri-

primo quod nullum mobile ſit perfecta ſufficientia mouendi ſe,& primo inductione vniuerſaliſſima, qua etiam retorquentur inſtantię in contrarium Nam grauia, & leuia ſemper mouentur ab alio, vel per accidens, vel per ſe; per accidens quidem ab eo, quod aufert id, quod detinebat, ne ferrentur ſurſum, aut deorſum: e. g. quod aufert ſuſtentaculum à ſtatua eſt cauſa per accidens, vt ſtatua cadat, & feratur deorſum; per ſe verò ab eo, quod tribuit illis leuitatem, aut grauitatem: e. g. ſol mouet ſurſum vapores dans illis leuitatem,quod verò vaporibus, dat grauitatem mutans illos in aquam,mouet deorſum: in animalibus etiam quod mouetur ab alio mouetur; corpus enim mouetur ab anima, anima mouetur per accidens ad motum corporis, & prętereà etiam anima mouetur ab alio mouente, hoc eſt ab obiecto, quod in anima cauſauit cognitionem, & per cognitionem appetitum mouendi, & ſi obiectum ipſum mouetur, mouetur ab aliquo alio; ergo conſtat inductione vniuerſali, quod ſemper id,quod mouetur, non eſt perfecta ſufficientia ſe mouendi, ſed indiget alio mouente.

Secundo probatur à priori. Quod enim caret aliqua perfectione, non poteſt eſſe ądęquata ſufficientia dandi ſibi talem per-

fectionem; nihil enim est adequata sufficientia dandi quod non habet; sed mobile caret perfectione tempore sequenti acquirenda per motum: e. g. quod calefit caret perfectione caloris tempore sequenti acquirenda per motum calefactionis, & similiter quod mouetur localiter, caret perfectione vbicationis tempore sequenti acquirendæ per motum; ergo mobile non potest esse sibi adæquata sufficientia dandi talé perfectioné. Neque dicas, quod mobile licet careat formaliter perfectione acquiréda per motũ, adhuc illã habet æquiualéter: vel enim ità habet equiualéter per se ipsũ, vt sit equè perfectũ, ac si haberet formaliter, & si hoc est verũ, nõ potest mouere se ad talé perfectioné formaliter acquirédam; nihil enim potest se ipsum mouere, & mutare, vt per motum addat sibi aliquid nihil omninò perficiens, & meliorans, adeoque omninò superfluum: g. non potest intellectus mouere se ad cquirendam nouam cognitionem, per uam omninò nihil de nouo cognoscat, non reddatur melius cognoscens, ac elius se habens, quam si non haberet tam cognitionem: si verò ante ità careat hac perfectione per motum acquiren-, vt non æquè benè se haberet; ergo n est perfecta sufficientia illam haben-: indigentia enim recipiendi nouam,

per-

perfectionem ab aliquo non est perfecta sufficientia dandi illam ; sed mobile, quod per motum melius se habet, quam sine motu, est indigentia recipiendi à mot perfectionem, qua melius se habeat ; ergo non est perfecta sufficientia dandi talem perfectionem . Confirmatur, quia si mobile ità comparatur ad suum motum , v sine ipso æquè benè se habeat, cur se mouet : si non ęquè benè se habet ? ergo indiget motu ; indigentia autem recipiendi non est perfecta sufficientia dandi .

Tertio probatur , quia moueri est mobile aliter se habere, ac prius : quod enim ante carebat motu , vel aliqua parte motus , deinde acquirit motum, vel aliquam partem motus ; sed idem non potest esse adæquata ratio , cur ipsummet aliter se habeat nunc , ac prius ; idem enim quatenus idem semper facit idem, ideoque ipsæ causę liberæ, cum liberè se mutant , si quæratur ab ipsis, cur se mutarint, afferunt aliquam rationem mouentem , & allicientem ad mutationem ; ergo mobile , hoc est potens aliter se habere , non potest esse adęquata ratio , & causa , cur aliter, & aliter se habeat , sed ab aliquo alio mutatur , & mouetur .

Quarto probatur , quia quod sibi sufficit ad habendum aliquod esse , semper habet illud esse : e. g. quod sibi sufficit ad es-

sen-

sendum, semper est, & est manifestum, quod quidquid incipit esse, cum ante non esset, non sibi sufficit ad essendum, sed indiget causa producente, & est pariter manifestum, quod sine causa non potest res ex non existente fieri existens, vel ex existente non existens. Et ratio est, quia non pòtest aliquid esse sibi ipsi inimicum, ità vt si est sua sufficientia essendi, aliquando priuet se ipsum suo esse, ac non sit; ergo omne, quod mouetur à non esse ad esse simpliciter, ab aliquo alio mouetur, & non sibi sufficit ad essendum, vel ad transferendum se à non esse ad esse; ex eadem ratione, quod sibi sufficit ad habendum aliquod aliud esse intrinsecum superadditum primo esse, semper habet illud esse, cum non possit esse sibi inimicum, & priuare se aliquo suo esse intrinseco, nisi ab alio cogatur, decipiatur, aut alliciatur; ergo omne, quod quomodocunque mouetur, aut mutatur intrinsecè à quocunque suo esse ad priuationem, vel è conuerso, non sibi sufficit ad tale esse, atque adeò ab aliquo alio mouetur, ac mutatur.

Hoc posito, sic concluditur argumentum. Nullum mobile aliquo motu est perfecta sufficientia mouendi tali motu: e.g. nullum calefactibile est perfecta sufficientia calefaciendi, cum debeat ab alio accipere

cipere

cipere calorem, quo calefaciat; nullum generabile est perfecta sufficientia generandi, cum debeat ab alio per generationem accipere virtutem generatiuam, qua generet; nullum docibile est perfecta sufficientia docendi, cum debeat ab alio addiscere quod doceat; nullum mobile localiter est perfecta sufficientia localiter mouendi, cum debeat ab alio accipere applicationem ad passum, per quam moueat; sed si nullum mobile aliquo motu est perfecta sufficientia mouendi tali motu, nulla etiam multitudo mobilium est perfecta sufficientia: vt enim dictum est cap. præcedente, omnis multitudo solorum insufficientium est insufficiens; ergo nullum mobile aliquo motu, ac nulla multitudo finita, vel infinita mobilium est perfecta sufficientia mouendi tali motu; ergo primum mouens, quod sit perfecta sufficientia ad mouendum aliquo motu, debet esse immobile tali motu: e.g. primum docens, & mouens ad scientiam, debet esse immobile motu, quo discat, & moueatur ad scientiam; sed non solum datur perfecta sufficientia mouendi singulis motibus, sed etiam mouendi vniuersum omnibus motibus, quibus mouetur, ordinando illos ad inuicem, ità vt Intelligentia intelligibiliter mota moueat localiter cœlum; cœli localiter moti motibus ordinatissimis

tissimis causent alios motus inferiorum: natura enim non est inconnexa velut vitiosa tragædia, vt Arist. docet 14. met. c. 5. & est manifestum omnibus considerantibus pulcherrimum ordinem mundi, ac eius partium; sufficientia autem mouendi vniuersum omnibus motibus illos ordinando non potest esse aliquid mobile vllo motu, neque sola multitudo finita, vel infinita solorum mobilium, vt constat ex ijsdem rationibus; ergo debet dari aliqnod primum mouens immobile omni motu, quod sibi perfectissimè sufficiens ad esse, vt potè à se existens, & incausatum, & ad omnem perfectionem, possit omnia mobilia, adeòque sibi insufficientia mouere ad esse, ac bene esse accipiendum per varios motus.

Ad 1. Scotus, & alij videntur passi æquiuocationem circà intelligentiam illius principij *omne, quod mouetur, ab alio mouetur*. Videntur enim intellexisse illud negatiuè, vt sensus sit, *nihil mouetur à se ipso*, & contrà illud congesserunt instantias animalium, & aliorum, quæ mouent se ipsa. At sensus principij est affirmatiuus. Nec enim negatur, quod possit aliquid mouere seipsum, partialiter concurrens ad suum motum, sed asseritur, quod non potest mouere se ipsum totaliter, & tanquam perfecta sufficientia, sed debet ab ali-

aliquo alio moueri ad hoc, vt se moueat. In hoc sensu bene penetranti terminos est manifestum, quod omne, quod mouetur, hoc est intrinsecè aliter, & aliter se habet, nunc habendo aliquod esse, nunc eodem carendo, non est sibi tota causa habendi, atque amittendi hoc intrinsecum esse, sed ab aliquo alio mouetur, cogente, vel decipiente, vel alliciente, vel perficiente, ideoque etiam liberum arbitrium creatũ, ac mutabile, quod maximè est causa se ipsum mutandi, non potest se mutare, nisi ab obiecto alliciente, vel decipiente moueatur ad se mutandum. Instantię in contrarium non sunt ad rem, sed potius retorquentur, & confirmant principium assumptum ab Aristotele. Animalia enim dum se mouent, ab obiecto, quod appetunt, mouentur ad hoc, vt se moueant: grauia, & leuia dum se mouent, à generante, vel conseruante per se, à remouente impedimentum per accidens mouentur ad hoc, vt se moueant, cum prius non mouerentur: corpora cœlestia dum motibus ordinatissimis mouentur, vel mouentur ab anima iuxtà errorem eorum, qui putarunt cœlos animatos, vel ab Intelligentia: Intelligentię mouentur à primo motore, atque à bono ordinis, vt dictum quæst 9 de cœlo, ad primum; ergo instantiæ allatæ probant, quod omne, quod mouetur, ab

ab alio mouetur.

Ad 2. Possunt duo se mutuo mouere motibus eiusdem rationis, eo pacto, quo duæ manus se mutuo calefaciunt: sed tum neutrum est perfecta sufficientia mouendi tali motu, cum neutrum habeat per se perfectionem acquisitam per talem motum, sed ipso indigeat, vt perficiatur: quod autem indiget perfectione accepta ab altero, non est perfecta sufficientia ponendi illud, vt dictum est; ergo quod habet perfectam sufficientiam mouendi aliquo motu, est per talem motum immobile. Rursus possunt duo mouere se mutuo duobus diuersis, & contrarijs, motibus eo pacto quo manus calida calefacit frigidã, & à frigida frigesit; sed debet tandem perueniri ad aliquam perfectã sufficientiam ordinandi omnes motus, qui sunt in natura, & hæc perfecta sufficientia est omninò immobilis, vt etiam dictum est.

Ad 3. Primum mouens mouet per intellectum, & voluntatem, atque à nullo alio mouetur ad intelligendum, & volendum: intelligit enim omnia per se ipsum, tanquam per primam veritatem, ac primum intelligibile continens perfectissimè omnes alias veritates, & omnia alia intelligibilia, & amat omnia per se ipsum, tanquam per primam bonitatem continentem omnes alias bonitates; ergo à nullo alio

alio mouetur ad intelligendum, & amandum se, & alia, quam à se ipso, vt etiam Aristoteles docuit 12. met.t.51. sed est sibi sufficientissimus ad omnia alia mouenda, & ad ordinandos omnes motus, cum sapientis, & intelligentis proprium sit ordinare.

QVAESTIO XXXIX.

Vtrum ex contingentibus demonstretur dari Deum sub conceptu entis necessarÿ.

VIdetur, quod non 1. quia ex premissis contingentibus non potest inferri conclusio necessaria, cum conclusio sequatur debiliorem partem; ergo ex entibus contingentibus non potest inferri ens necessarium.

Secundo ad demonstrandum ens necessarium deberet demonstrari, quod hęc propositio, *nullum ens datur*, non potest esse vera; sed hoc non est demonstrabile; ergo non est demonstrabile, quod detur ens necessarium. Probatur minor; ad demonstrandum, quod aliqua propositio non potest esse vera, debet demonstrari, quod ex supposita eius veritate sequuntur duo contradictoria; sed ex hac propositione, *nul-*

nullum ens datur, non possunt sequi duo contradictoria; ergo,&c. Probatur minor; ex duobus contradictorijs alterum est propositio affirmatiua: contradictio enim est affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem; sed ex hac propositione, *nullum ens datur*, non potest sequi vlla propositio affirmatiua; est enim regula summulistica, quod si altera præmissarum est negatiua, conclusio non potest esse affirmatiua; ergo ex hac propositione sequi non possunt duo contradictoria, sed vnum tantùm contradictorium.

Respondeo multipliciter demonstrari, quod detur ens necessarium. Primo, omne, quod potest esse, & non esse, non sibi sufficit ad essendum, sed debet determinari ab aliquo alio; est enim impossibile, quod sit, nisi determinetur ad essendum, & quod potest esse, & non esse, non potest determinare seipsum ad hoc, vt sit: e. g. alter mundus, qui potest esse, & non esse, non potest seipsum determinare ad hoc vt sit; & ratio est, quia determinare ad essendum non potest esse actus eius, quod cum sit indeterminatum, indiget determinatione, sed debet esse actus eius, quod cum iam sit determinatum ad essendum, potest etiam aliud determinare; sed omne contingens potest esse, & non esse: hoc enim ipsum significat esse contingens; ergo

go nullum contingens sibi sufficit ad essendum, sed debet determinari ab aliquo alio; sed omnis multitudo finita, vel infinita contingentium est pariter contingens, e.g. binarium ex Petro, & Paulo potentibus esse, ac non esse, est similiter contingens, & potest esse, ac non esse, idemque dic de ternario, & de quacunque alia multitudine, seu finita, seu infinita ex rationibus adductis quęst. 7; ergo nulla multitudo finita, vel infinita contingentium sibi sufficit ad essendum, sed debet determinari ab aliquo alio; hoc aliud non potest esse contingens: eo enim ipso non esset perfecta sufficientia determinandi ad essendum totam multitudinem contingentium, cum non posset determinare seipsum, neque id, à quo determinatur; ergo vltrà totam multitudinem contingentium debet dari aliquid non contingens, sed necessarium, ac determinatum ad essendum, quod cum non possit non esse, sit etiam sufficiens ad determinandum ad hoc, vt sint ea, quæ possunt esse, ac non esse.

2. Datur necessitas, vt existat aliquod ens; sed hęc necessitas est ens necessario existens; ergo datur aliquod ens necessario existens. Probatur maior; nam si non daretur necessitas, vt existeret aliquod ens, posset contingere, quod nullum

omni-

omninò ens vnquam daretur; sed non potest contingere, vt nullum vnquam ens detur: si enim posset contingere, vt vel aliquod ens detur, vel nullum, aliquid posset determinare ad hoc, vt nullum daretur ens; nihil autem potest determinare ad hoc vt nullum detur ens, alioquin determinaret etiam seipsum ad nunquam existendum, quod est impossibile; id enim, quod potest esse, & non esse, non potest seipsum determinare neque ad essendum, neque ad non essendum, sed ad vtrunque determinari debet ab aliquo alio; ergo non potest contingere, vt nullum ens sit, ergo datur necessitas, vt aliquod ens sit; sed vt dicebatur in minori, necessitas vt existat aliquod ens est ens necessario existens; est quidem ens; quod enim sufficit ad hoc, vt existat ens, est ens, & existit, nam quod non est ens, & non existit, non sufficit ad hoc, vt existat ens; sed necesitas vt sit ens, sufficit ad hoc, vt existat ens: vnumquodque enim sufficienter existit ratione suę necessitatis ad essendum; ergo necessitas, vt sit ens, est ens; sed etiam necessario existit: si enim necessitas, vt sit aliquod ens, posset non esse, posset contingere, quod non existeret vllum ens; intantum enim non potest contingere, vt non existat vllum ens, inquantum datur necessitas, vt sit aliquod ens; sed posset

non

non dari necessitas, vt sit aliquod ens; ergo posset contingere, quod non existat vllu ens; sed non potest contingere, vt non existat vllum ens; ergo non potest non esse necessitas, vt sit aliquod ens; ergo necessitas, vt sit ens, datur, & necessario datur; sed hęc necessitas est aliquod ens; ergo aliquod ens necessario datur. Et confirmatur, quia vel necessitas, vt detur aliquod ens, est solum necessitas, vt detur ipsamet, & iam ipsa est ens necessario existens necessitate secum identificata; vel est solum necessitas, vt detur aliquid à se distinctum, & quod non est sibi necessitas ad essendum, nec potest esse necessitas alteri. Et confirmatur, quia quod potest non esse, non est necessitas, vt aliud sit; sed si hęc necessitas non necessario esset, posset non esse; ergo non esset necessitas, vt daretur aliquod ens.

3. Datur perfecta sufficientia ad hoc, vt sint omnia, quæ sunt, & omnia, quæ possunt esse; impossibile enim est, vt aliquod ens existat, vel possit existere, nisi detur perfecta sufficientia ad hoc, vt sit; sed perfecta sufficientia, vt sit ens, est ens necessario existens; ergo datur aliquod ens necessario existens. Probatur minor; si enim perfecta sufficientia ad essendum posset esse, & non esse, non sibi sufficeret ad essendum, sed deberet determinari ab ali-

aliquo alio; sed quod non sibi sufficit ad essendum, neque sufficit alijs, atque adeò non est perfecta sufficientia, vt sit vllum ens; ergo perfecta sufficientia, vt sint omnia, quæ sunt, & possunt esse, non potest non esse, atque adeò necessario existit.

4. Datur necessitas, vt 4. & 3. faciant 7. vt homo sit animal rationale, idemque dic de ceteris veritatibus necessarijs; sed hęc necessitas non potest non esse; si enim potest hęc necessitas non esse, ea non existente, non erit amplius necesse, vt 4. & 3. sint 7. sed potuerunt non esse septem; rursus hæc necessitas est ens: neque enim potest esse non ens ineuitabilis, & necessaria ratio, cur omnes essentiæ debeant ità se habere; ergo datur aliquod ens necessarium, quod non potest non esse. Confirmatur, quia datur necessitas, vt omne contingens vel sit, vel non sit, & simul datur vis determinandi ad vtrumlibet, hoc est ad esse, vel ad non esse; sed hæc necessitas, ac vis est ens; proculdubio enim virtus determinandi aliquid ad esse, vel ad non esse est ens, & præterea hęc necessitas, ac vis tolli non potest; ablata enim hac necessitate, non esset amplius necesse, vt contingens vel esset, vel non esset, atque adeò posset aliquid nec esse, nec non esse; ablata verò vi determinandi, ex vna parte daretur necessitas, vt contingens vel esset, vel non

non esset; ex alia parte non daretur vis determinandi contingens ad hoc, vt potius esset, quam non esset; ergo datur aliquod ens, quod non potest non esse.

Ad 1. Conclusio necessaria non potest inferri ex pręmissis contingentibus, quia intellectus dũ syllogizat, nititur illis principijs; *dictum de omni; dictum de nullo*; prædicatum enim, quod necessario conuenit, aut repugnat alicui subiecto, necessario etiam conuenit, aut repugnat omni illi, quod necessario continetur in tali subiecto, ac proinde ad inferendũ, quod prædicatum necessario conueniat, aut repugnet subiecto conclusionis, vtraque præmissa debet esse necessaria, cum in vna debeat assumi, quod prædicatum necessario conuenit, aut repugnat subiecto, seu medio, in altera, quod aliquid aliud necessario continetur in subiecto, seu medio. At ex entibus cõtingentibus potest inferri, quod detur ens necessarium, ex eo, quod contingens, adeoque sibi insufficiens indigeat aliquo sufficiente ad determinandum, non est autẽ sufficiens ad determinandum quod est contingens, ac proinde indigens, vt ab alio determinetur, sed solum quod est necessarium, vt explicatum est.

Ad 2. Manifestè est impossibile, vt verificetur hęc propositio *nullum ens datur*,

vt dictum est. Sequeretur enim ex ipsa quod nullum ens daretur, & aliquod ens daretur, adeoque sequeretur contradictio. Dum opponitur; ex propositione negatiua non potest sequi propositio affirmatiua, distinguo, non potest sequi propositio affirmatiua tanquam conclusio ex præmissa syllogismi categorici, concedo; non potest sequi tanquam conditionatum ex hypothesi, seu conditione, nego. Potest ex aliqua propositione negatiua sequi propositio affirmatiua contradictoria tanquam ex hypothesi. Ità ex hac propositione, *non datur veritas*, sequitur, quod detur veritas. Si enim non datur veritas, est verum, quod non datur veritas; sed si est verum, quod non datur veritas, datur veritas; ergo si non datur veritas, datur veritas. Sic in casu nostro, si nullum ens datur, datur aliquid potens determinare ad hoc, vt cum possit dari ens, non detur ens; sed quod potest determinare ens contingens ad essendum, vel non essendum, est ens; ergo si nullum ens datur, aliquod ens datur.



QVAE-

QVAESTIO XL.

Vtrum prima causa, primus motor, & primum ens necessarium sit intellectus separatus.

VIdetur, quod non, primo quia casus, vel concursus plurium causarum per accidens potest esse prima causa rerum, & totius ordinis, qui datur in vniuerso, eo pacto, quo videmus in inferioribus plures effectus produci casualiter ex concursu accidentali plurium causarum; ergo prima causa non est intellectus;

Secundo, prima causa, vt daretur mundus, & ipse intellectus, potuit esse necessitas quædam fatalis distincta ab intellectu; ergo prima causa non debuit esse intellectus.

Tertio, prima necessitas, vt res sint tales secundum sua prędicata essentialia, est prima causa rerum, ac primum mouens immobile: e.g. prima necessitas, vt homo sit animal rationale, vt 4. & 3. sint 7. est prima causa rerum; sed intellectus non est prima necessitas, vt res sint tales secundum sua prędicata essentialia; neque enim ideò necesse est hominem esse ani-

mal rationale, quia intellectus dicit, necesse esse, vt homo sit animal rationale, sed è conuerso, quia necesse est hominem esse animal rationale, ideò intellectus cognoscit, quod necesse est hominem esse animal rationale: intellectus enim mouetur ad cognoscendum ab ipsa veritate obiectiua; ergo prima causa rerum non est intellectus, sed aliqua necessitas obiectiua fatalis, vt essentiæ sint tales, quæ necessitas non habet causam, & cum sit penitus immobilis, mouet intellectum ad cognoscendam talem necessitatem, & vniuersa ordinanda secundum ea, quæ cognoscit; ergo intellectus non est primum mouens immobile, sed est primum mouens motum ad intelligendum ab aliqua necessitate, & veritate, obiectiua fatali, quæ sit primum mouens immobile.

Quarto, etiamsi prima causa rerum debeat esse intellectus, non debet esse intellectus separatus à mundo, sed qui mundum informet, & sit anima mundi, ac ipsa natura intrinseca omnium rerum, mouens vniuersa, & singula ordinatissimè ad suum finem, & ad suam operationem. Cum enim omnia ad suum finem moueantur à sua natura intrinseca tam ordinatè, ac si haberent intellectum, videtur dicendum, quod natura omnium rerum est intellectus; ergo prima causa non est intellectus

sepa-

ſeparatus, ſed permiſtus rebus, & ipſa anima mundi, vt plures ex antiquis docuerunt, iuxtà quorum opinionem cecinit Virgilius.

Totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Reſpondeo, quod demonſtrationes hactenus allatę ad oſtendendum in genere, quod detur prima cauſa incauſata, primus motor immobilis, ac primum ens neceſſarium, ſunt ità obſcurę, vt fortaſſe ſolum conuincant acutos, ac doctos. At rationes probantes, quod prima cauſa, primus motor, & primum ens neceſſarium eſt intellectus, ſunt ità claræ, vt promiſcuè conuincant hebetes, & acutos, doctos, atque indoctos. Sunt enim quidam effectus, ac quidam motus ità ordinati, vt manifeſtè oſtendant primam cauſam ipſorum eſſe intellectum; e. g. ſi quis legat poemata Virgilij, aut Homeri, & admirans eorum pulchritudinem, quærat, quomodo extiterint, ſtatim euidenter concludit, quod compoſita fuerint, & ordinata ab aliquo habente intellectum, & niſi fatuus ſit, aut ebrius, ne leuiter quidem ſuſpicabitur talia poemata extitiſſe à ſe ipſis ſine vlla cauſa, vel compoſita fuiſſe caſualiter ex characteribus temerè concurrentibus, & à vento delatis, vel fuiſſe conſcripta à

bestia irrationali, vel trunco, aut lapide insensato; similiter si quis videat horologium pulcherrimum, audiat suauissimam musicam, contempletur exercitum ordinatissimè instructum, ac pugnantem, indubitanter affirmat, quod aliquis intellectus composuerit horologium, ordinauerit musicam, & exercitum instruxerit; sed singula entia visibilia, & à fortiori tota machina mundi visibilis ordinatur, & mouetur ordine pulchriori, quam sit in quocunque poemate, horologio, musica, vel exercitu; ergo est ità manifestum, quod prima causa, entium, ac mundi, & totius ordinis, ac primum mouens est intellectus, vt nemo non fatuus, aut ebrius, dum perpēdit ordinem mundi, possit de hoc dubitare. Minor & primo aspectu est manifesta, & confirmatur, discurrendo per varias species entium. Si quis enim videat picturam ad viuum exprimentem leonem, statim aduertit, quod indubitanter sit opus artificis habentis intellectum; sed ipse [illegible]o viuus est opus quoddam multo mirabilius pictura; nam & externa lineamenta leonis ordinata sunt non minus, quam externa lineameanta picturę, & prætereà datur interior compositio leonis ex tot [illegible]llibus, tot neruis, venis, arterijs, humoribus, ac membris tam aptè dispositis, vt excedat artem cuiuscunque artificis huma-

mani, & pars vnaquæque sit aptissima ad proprium finem, & vsum, & præterea datur anima leonis præsidens toti corpori, illudque mouens, & gubernans per plurimas virtutes vegatatiuas, sensitiuas, imaginatiuas, appetitiuas, secundum locum motiuas, &c; ergo à fortiori est manifestum, quod leo viuus est opus intellectus: idemque dic de ceteris animalibus, plantis, &c. Si enim compositio colorum talis, vt ad viuum exprimat rosam, est opus intellectus, quanto magis compositio multo mirabilior rosę realis, ac viuentis est opus intellectus. Si verò est manifestum bruta, ac plantas esse opus intellectus excedentis captum humanum, est multo manifestius hominem ipsum esse opus intellectus, cum compositio corporis humani sit multo mirabilior compositione cuiuscumque corporis brutalis, & anima rationalis sit incomparabiliter perfectior formis irrationalibus. Confirmatur, quia est manifestum, quod poema Virgilij est opus intellectus; ergo multo magis Virgilius ipse habens intellectum, & ingenium ad componendum tale poema fuit opus intellectus, homo enim aptus scribere poema, & eius ars poetica est multo præstantior poemate conscripto. Confirmatur secundo, quia non solum est manifectum, quod poema Virgilij, horologium, &c. sunt opera

intellectus, sed etiam, quod sunt opera intellectus operantis ex perfectissima idea operis; nemo enim non fatuus potest suspicari, quod poema Virgilij fuerit scriptum ab homine temerè mouente calamum, ac non operante ex idea poematis: idemque dic de horologio, &c; ergo à fortiori est manifestum, qnod corpus humanum non construitur ab intellectu non operante ex perfecta idea operis faciendi; sed homo licet habeat intellectum, tamen dum generat hominem, non operatur ex idea hominis faciendi, imò ignorat, ex qua materia, quando, & quomodo corpus organizetur, multo magis ignorat, quo pacto fiat anima; ergo est manifestum, quod homo fit ab aliquo alio intellectu inuisibili habente perfectissimam ideam hominis faciendi, cui intellectui inuisibilis loquens Iob dicebat: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti, pelle & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me, vitam, & misericordia tribuisti mihi!* Mater quoque Machabæorum, ex eo, quod nesciret, quo pacto in suo vtero formati fuissent filij ab ipsa geniti, intulit euidenter, quod fuerint opus intellectus Diuini operantis ex perfectissima cognitione, & idea: vnde ita filios alloquitur 2. Machab. cap. 7. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum & animam donaui*

naui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sedenim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem; ergo hoc argumentum est ità clarum, vt statim vel pueros, & fæminas conuincat.

Iam si est manifestum, quod corpus muscæ est opus constructum ex arte ab aliquo intellectu inuisibili, multo est manifestius, quod tota machina mundi visibilis constans ex cœlo, elementis, mistis, plantis, animalibus, atque homine, arctissimo inter se fædere colligatis, & ad vnum finem conspirantibus, constructa est ab aliquo intellectu inuisibili. Quis enim non videat, quod constructio, & ordinatio mundi cum singulis partibus sit mirabilior constructione solius hominis, aut solius poematis Virgiliani? sed qui suspicaretur poema Virgilianum non fuisse constructum ab intellectu, esset fatuus; ergo fatuus est, qui dubitat, an totus mundus constructus fuerit ab intellectu. Idcirco Aristoteles 1. met. cap. 2. loquens de Anaxagora, qui primus inter antiquos dixit causam mundi esse intellectum, asserit, quod loquutus est velut sobrius inter ebrios. Verba eius sunt. *Quarè qui vt in animalibus, ità in natura intellectum esse causam mundi, totiusque ordinis dixerat, quasi sobrius comparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit.*

Hinc concluditur argumentum. Datu perfecta sufficientia, vt sit mundus, & or do rerum; sed nullum carens intellectu ac nulla multitudo carentium intellecti est perfecta sufficientia, vt sit mundus aut ordo rerum; ergo intellectus aliqui: eit perfecta sufficientia, vt sit mundus, & ordo rerum; sed nullus intellectus causa tus, & nulla multitudo intellectuum cau satorum est perfecta sufficientia, vt si mundus, & ordo rerum: ergo datur in tellectus incausatus, qui sit causa mundi & ordinis rerum; sed intellectus, qui si sufficientia ordinandi mundum, & ordi nem rerum, est perfecta sufficientia ordi nandi omnes motus; quod autem est mo bile aliquo motu, non est perfecta suffi cientia ordinandi omnes motus, cum ni hil sit perfecta sufficientia mouendi se ip sum; ergo intellectus incausatus est etiam immobilis omni motu; sed si posset esse, & non esse, non esset perfecta sufficien tia, sed deberet ab aliquo alio causari, ac determinari ad essendum; ergo intelle ctus incausatus, & immobilis necessario extitit, atque adeò est ens necessarium; sed si necessario extitit, semper extitit: quod enim aliquando est, aliquando non est, non necessario est, nec immobiliter est, nec est incausatum, & sibi sufficiens, sed indiget causa, à qua determinetur ad

nunc

nunc essendum, cum ante non esset; ergo intellectus incausatus, immobilis, ac necessarius, qui sit perfecta sufficientia, vt sit mundus, est etiam æternus; ergo verè iuxtà Apostolum *inuisibilia Dei per ea, quę facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, ac Diuinitas*; nam ex mundo visibili euidenter innotescit dari intellectum inuisibilem habentem sempiternam virtutem ordinandi, & componendi mundum, & habentem esse incausatum, necessarium, & immobile, quod est esse Diuinum.

Ad 1. Dum dicitur, quod necessitas fatalis est causa, vt sit mundus, vel nomine necessitatis fatalis intelligimus aliquid, vel nihil; si nihil, ridiculum est, quod nihil fuerit necessitas, atque adeò sufficientia, vt sit mundus: hoc enim esset, sicut si quis diceret, quod nihil fuerit causa, vt componeretur poema Virgilij; si necessitas fatalis est aliquid, vel est ipse mundus, vel aliud ens carens intellectu, vel aliquis intellectus; si est ipse mundus, vel aliud ens carens intellectu, sicut ridiculum est, quod poema Virgilianum extiterit, vel ex se, vel vt causatum solum ab aliquo carente intellectu, ità ridiculum est, quod mundus compositus, vel ordinatus fuerit, vel quasi sponte ex se, vel ab aliquo carente intellectu; si verò

necessitas fatalis est intellectus; ergo iam causa mundi est intellectus. Addo, quod quando intellectus aliquid facit non ex necessitate, sed ex electione, ac libertate, tum non est verum, quod causa illius sit necessitas: & quia Diuinus intellectus mundum construxit non est necessitate, sed ex libera electione, ideò causa mundi non fuit vlla necessitas, sed libera voluntas Artificis, eo pacto, quo causa poematis Virgilij fuit voluntas, ac sapientia Poetæ.

Ad 2. Sicut ridiculum est, quod poema Virgilij fuerit constructum non ab intellectu, sed à casuali concursu characterum temerè concurrentium, sic est ridiculum, quod mundus fuerit constructus ex concursu casuali partium. Dum opponitur, quia in inferioribus aliqui effectus mirabiles producuntur casualiter; primo dico, quod id contingit raro; at effectus mirabiles naturę, vel semper, vel plerumque producuntur eodem pacto. 2. dico, quod effectus, qui producuntur casualiter respectu causarum inferiorum, producuntur ex arte à prima causa totius ordinis, quę ità res ordinauit, vt aliquando causæ inferiores per accidens, & casualiter producāt mirabiles effectus per se intentos à prima causa, vt explicatum est etiam in physica q. 17. de fortuna, & casu.

Ad

Ad 3. Ridiculum est, quod sufficientia vt sit poema Virgilianum, sit truncus, vel aliud quodcunque carens intellectu; ergo multo magis est ridiculum, quod sufficientia, vt sit Virgilius ipse habens intellectum aptum ad construendum illud poema sit truncus, aut aliud quodcunque ens vel non ens carens intellectu; ergo à fortiori ridiculum est, quod sufficientia, vt existat intellectus inuisibilis potens ordinare totam machinam mundi sit truncus, aut aliud carens intellectu; sed necessitas, vt sit intellectus potens ordinare mundum, est sufficientia, vt existat talis intellectus: vnumquodque enim sufficienter existit ratione suę necessitatis ad existendum; ergo ridiculum est, quod necessitas, vt sit intellectus ordinatiuus mundi, non sit intellecus; ergo necessitas, vt sit intellectus ordinatiuus mundi, est aliquis intellectus; sed non omnis intellectus existit ratione sufficientiæ, & necessitatis distincte à se, alioquin quilibet intellectus esset sibi insufficiens ad existendum, adeoquo tota multitudo intellectuum esset pariter insufficiens, ac sufficientia, & necessitas, vt esset tota multitudo intellectuum, esset aliquid carens intellectu, quod est absurdum; ergo datur aliquis intellectus existens necessario ratione sui, qui sibi sit necessitas, ac sufficientia essendi, potens

cau-

causare cæteros intellectus, & ordinare totum mundum visibilem, & inuisibilem constantem ex corporibus visibilibus, & intellectibus inuisibilibus. Addo, quod prima necessitas, vt essentiæ ità se habeant, non potest esse aliud, quam intellectus. Prima enim ratio, cur omnes essentię ità se habeant, præsertim si pulcherrimè, & ordinatissimè debeant se habere, non potest esse aliud, quam intellectus. Ridiculum enim est quod truncus, aut bestia, vel aliud irrationale sit prima ratio, cur omnes essentię debeant ità se habere; sed prima necessitas est prima, efficacissima, ac ineluctabilis ratio, cur omnia ità se habeant pulcherrimè, & ordinatissimè, ergo necessitas, vt essentiæ ità se habeant, vt homo sit animal rationale, quatuor, & tria faciant septem, est solus intellectus. Confirmatur, quia est absurdum, quod prima ratio essentiarum non sit ratio, sed aliquid carens ratione; sed ratio est idem, ac intellectus; ergo prima ratio, & necessitas est intellectus. Confirmatur 2., quia prima ratio, & necessitas, vt opus debeat ità se habere, est idea artificis, cui debet opus conformari; sed prima necessitas, vt essentiæ create ità se habeant, est necessitas operis; ergo talis necessitas est idea primi intellectus, ac primi artificis, a qua omnia existunt, tanquam in prima

sui

ſui ratione. Dum opponitur: non ideò neceſse eſt hominem eſse animal rationale, quia intellectus dicit neceſse eſse, quod homo ſit animal rationale, ſed è conuerſo; diſtinguo, ſi loquamur de intellectu primo, nego; ſi de non primo concedo. Ideò neceſse eſt opus eſse tale, quia primus Artifex habet de ipſo talem ideam; ſed primus intellectus eſt primus artifex; ergo prima ratio, cur homo debeat eſse animal rationale, quatuor, & tria debeant eſse ſeptem, eſt primus intellectus, habens de his talem ideam. E conuerſo, abſurdum eſt, quod ideò primus artifex habeat talem ideam, quia datur aliqua neceſſitas diſtincta, vt eſsentię ſint tales: alioquin prima ratio operis non eſset idea artificis, ſed è conuerſo prima ratio ideæ, & rationis, quę eſt in artifice, eſset aliquid irrationale.

Ad 4. Quidam apud S. Aug. lib. 7. de ciuit. Dei cap. 6 & S. Tho. 1. par. qu. 3. art. 8 dixerunt Deum eſſe animam mundi, vel primi cęli, vel formam informantem omnium rerum. At manifeſtum eſt Deum, ſeu primum intellectum eſse omninò ſeparatum à corpore, ità vt non poſſit eſſe anima, vel forma vllius corporis, aut vllius materiæ; primo, quia omnis forma perficitur intrinſecè, & completur à materia, in qua eſt, & cum illa

con-

constituit compositum, cuius est pars; sed primus intellectus non potest perfici, & compleri ab vlla materia, vel vllo corpore, nec potest esse pars vllius compositi; ergo. Probatur minor: nam primus intellectus est perfecta sufficientia componendi, & ordinandi quodcunque corpus, etiam illud, quod supponitur informare; absurdum est enim, quod cum corpus muscæ, & cuiuscunque animalculi componi debeat ab intellectu, corpus primi intellectus non debeat componi ab intellectu; sed quod est perfecta sufficientia componendi aliquid, non indiget illo ad hoc, vt melius se habeat, adeoque non potest illo perfici, atque intrinsecè compleri; ergo primus intellectus non potest intrinsecè perfici, ac compleri vllo corpore; ergo solum potest componere corpora sibi extrinseca, eo pacto, quo Artifices creati non componunt sibi corpus, sed solum componunt extrinseca corpora artificiata. Secundo, quod perfectè continet aliquid secundum esse magis purum, ac simplex, non potest illud sibi intrinsecè addere secundum esse magis compositum, ac magis imperfectum; sed primus intellectus, vt potè perfecta sufficientia componendi omnia corpora ex idea perfectissima, continet omnia corpora secundum esse simplicissimum talis ideæ; ergo non

non potest sibi intrinsecè addere vllum corpus. Ideò S. Dionysius lib. 2. de Diu. Nomin. cap. 2. dicit, quod neque tactus est Dei, neque alia quædam ad partes commiscendas communio: & in libro de causis, propositione sexta, dicitur, quod prima causa regit omnes res absque eo quod commisceatur eis.

QVAESTIO XXXXI.

Vtrum primus intellectus habeat Prouidentiam rerum humanarum.

PRimo videtur, quod primus intellectus non habeat prouidentiam rerum humanarum. In his enim inferioribus eueniunt multa mala; sed si Deus haberet eorum prouidentiam, deberet impedire, cum possit: optimus enim gubernator debet impedire mala, si potest; ergo.

Secundo: etiamsi non deberet impedire mala physica, quæ possunt compensari contrarijs bonis, saltem deberet impedire mala moralia, seu peccata, quæ cum sint summa mala, compensari non possunt; sed non impedit; ergo.

Tertio: vtcunque possit optimus gubernator non impedire peccata, saltem debet

et facere, vt mali malè se habeant, & nt miseri, boni autem benè se habeant, z sint felices; sed boni sępè in hac vita unt miseri, mali sunt felices; ergo primus intellectus vel non habet prouidentiam, vel per eam non descendit ad gubernationem rerum humanarum, sed vt illi dicebant; *super cardines cœli ambulat, nec nostra considerat*.

Quarto: vbi datur casus, & fortuna, deficit prouidentia gubernantis; sed inferioribus datur casus, & fortuna; ergo prouidentia primi gubernantis non descendit vsque ad inferiora; ergo prouidentia primi intellectus non se extendit vsque ad hęc corruptibilia, in quibus dantur multa mala, multa inordinata, casualia, atque fortuita, sed solum versatur circà superiora, & incorruptibilia, in quibus non datur malum, neque corruptio, nec quidqnam est inordinatum, fortuitum, aut casuale.

Respondeo, quod prouidentia est *ratio ordinans res ad finem per media conuenientia*, vt colligitur ex Boetio l.4. de consolatione, prosa 6. & S. Th. 1.p. q.22. art.1; sed est manifestum, quod primus intellectus ordinat, & totum mundum, & etiam res inferiores ad suos fines per media conuenientissima; ergo est manifestum, quod primus intellectus habet prouidentiam

etiam

etiam rerum inferiorum. Minor prob tur, considerando entia etiam minima. Animalia enim habentia pro fine vitā ve getatiuam, qua se nutriant, & augeant & sensitiuam, qua sentiant, ordinantur a hunc finem per media conuenientissima. Quia enim vt se nutriant, indigent ali mento, prouisum est singulis proportic natum alimentum: quia vt sumant alimen tum proportionatum debet animal vnum quodque illud percipere, & distinguere ab improportionato, dati sunt animalibu sensus, & virtus discretiua alimenti; qui etiamsi discernerent alimentum, non su merent, nisi appeterent, non appeteren nisi alimentum esset delectabile, data e alimento delectabilitas mouens appetitum & quidem ità, vt diuersa sint diuersis ani malibus delectabilia, eo pacto, quo bo ui est delectabile fœnum, non caro, ca ni delectabilis est caro, non fœnum; quia etiamsi alimentum discernerent, & appe terent, non possent sumere, nisi possent ad illud moueri, data est animalibus vis motiua; quia ad sumendum alimentum requiritur aliqua pars corporis, per quam intromittatur, datum est animalibus os; quia vt possit concoqui, non debet esse in tegrum, sed diuisum in partes minutissimas, os instructum est dentibus: quia de bet per calorem concoqui, datus est sto-

ma-

machus calidiſſimus; quia alimentum formatum in chylum debet magis concoqui, datum eſt hepar, à quo chylus formetur in ſanguinem; quia ſanguis, vt alat omnes partes, deferri debet ad illas, datæ ſunt venæ, quę veluti canales ſanguinem deferunt ad omnes partes corporis, &c. Singula prætereà membra ad varios vſus, ac fines conſtructa ſunt, & ordinata, ex tot oſſibus, neruis, membranis, &c. ſeruata mirabili quadam proportione, ac pulchritudine, tam aptè, vt manifeſtè appareat, quod intellectus componens corpus animalis ordinat vnumquodque membrum ad ſuum finem, & vſum per media conuenientiſſima; ſed habere prouidentiam vniuſcniuſque eſt illud ordinare ad ſuum finem per media conuenientia; ergo manifeſtum eſt intellectum inuiſibilem habere prouidentiam omnium animalium, plantarum, & omnium inferiorum.

Confirmatur, quia manifeſtum eſt, quod oculus cuiuſcunque animalis, e. g. muſcę, ac formicæ ordinatur ad finem videndi per media conuenientiſſima, vt patet ex mirabili conſtructione oculi, atque eius ſituatione in corpore animalis; ſed non poteſt ità ordinari, vel à ſeipſo, vel ab aliquo carente intellectu, vel ab aliquo habente intellectum, ſed temerè operante; ergo oculus muſcæ ordinatur ad finem viden-

videndi ab intellectu, ex perfecta ratione ordinatiua ad finem per media conuenientia; sed hæc ratio est prouidentia; ergo prouidentia intellectus inuisibilis descendit vsque ad oculum muscæ, vsque ad lilia campi, ad fœnum agri &c.

Iam si intellectus per suam prouidentiam descendit ad ordinanda etiam bruta, & plantas per media conuenientissima ad finem vitę vegetatiuę, ac sensitiuę, quæ sunt vitę valdè imperfectę, absurdum est, quod non descendat ad ordinandum hominem habentem intellectum ad finem vitæ beatę consistentis in contemplatione summi boni, quæ est vita perfectissima; idem enim est beata vita, ac perfectissima vita; ergo manifestum est, quod primus intellectus habet prouidentiam, per quam ordinat hominem ad vitam beatam: sed ordinatio conueniens agentis liberi, ac peccabilis, qui proindè possit liberè, vel per virtutes reddere se dignum vita beata, vel per vitia reddere se indignum vita beata, requirit legem, vt qui per virtutes reddiderit se dignum vita beata, consequatur vitam beatam, qui per vitia reddiderit se eadem indignum, priuetur vita beata, & per talem priuationem fiat miser; ergo primus intellectus ordinat naturas intellectuales peccabiles ad finem vitæ beatę per legem, vt boni consequantur

tur felicitatem in pręmium virtutis, mali priuentur felicitate, & fiant miseri in pænam vitiorum, ideoque per suam prouidentiam descendit ad gubernationem moralem rerum humanarum.

Confirmatur, quia manifestum est, quod primus intellectus descendit per suam prouidentiam ad tribuendum vnicuique rei id, quod ipsi conuenit secundum suam naturam: e. g. tribuit plantis, quæ ipsis secundum suam naturam competunt; tribuit singulis animalibus alimenta, & organa, ac membra, quę competunt ipsis secundum suam naturam; sed tota natura clamat conuenientissimum esse, vt qui per virtutes reddiderint se dignos vita beata, consequantur illam, qui per vitia reddiderint se indignos vita beata, per eius priuationem euadant miseri; ergo primus intellectus per suam prouidentiam descendit ad hoc, vt bonis det vitam beatam in præmium virtutum, malos reddat miseros per priuationem vitę beatę.

Confirmatur 2. Nam primus intellectus in quocunque animalculo ordinat ità partes corporis, vt detur inter illas mirabilis proportio, correspondentia, & harmonia; ergo absurdum est, quod per suam prouidentiam non descendat ad ordinandas actiones creaturarum rationalium.

Tertio confirmatur, quia videmus actiones

nes entium rationalium ordinatas esse per legem naturalem prohibentem omnia peccata, & præcipientem, vel suadentem omnes actus virtutum: vnusquisque enim euidenter cognoscit per lumen rationis nunquam esse peccandum, facienda autem bona; sed talis lex ordinatiua actionum humanarum dari non posset, nisi aliquis intellectus optimus per suam prouidentiã descenderet ad ordinandas actiones humanas; ergo primus intellectus per suam prouidentiam descendit ad ordinandas actiones humanas.

Ad 1. Non spectat ad prouidentiam optimi impedire omnia mala, & omnes defectus, sed potius spectat permittere multa mala, multosque defectus. Ratio est, quia ad prouidentiam optimi non spectat excludere quodcunque non optimum, sed potius causare, & ordinare gradus inferiores bonorum; sed si optimum deberet excludere omnem defectum, & omne malum, deberet excludere quodcunque non optimum: nam omne non optimum deficit ab optimo, adeoque est defectuosum, & quia defectus est quoddam malum, omne non optimum habet aliquid mali; ergo optimum non debet excludere omnes defectus, & omnia mala, sed cum debeat causare, & ordinare inferiora bona, quæ non possunt esse sine multis

defe-

defectibus, & malis, debet permittere multa mala. Confirmatur, quia bonum non deficiens, & non defectuosum est vnicum; ergo si deberet excludere cuncta defectuosa, & aliqualiter mala, deberet excludere omnia bona distincta à se: quod est contrà rationem optimi, cum debeat posse communicare se alijs secundum varios gradus bonitatis. Confirmatur 2. quia si optimum deberet impedire defectum peccabilitatis, non posset producere vllum ens peccabile, adeoque nec homines, nec Angelos; si deberet impedire defectum corruptibilitatis, non posset producere vllum ens corruptibile, adeoque omnia inferiora essent impossibilia; si deberet impedire defectum irrationalitatis, atque insensibilitatis, non posset producere vllum ens irrationale, aut insensibile; ergo si non posset permittere defectus, & mala, dari non possen vlla inferiora bona; ergo ad prouidentiam spectat producere, & ordinare inferiora bona, permittendo mala, & defectus, sine quibus non possent esse, vel ordinari secundum suos gradus.

Ad 2. Spectat ad prouidentiam vnamquamque rem ordinare ad suum finem per media conuenientia naturis rerum: & quia agentia libera, & peccabilia secundum suam naturam debent ad felicitatem

tatem ordinari per legem obligantem, ac dirigentem, sed relinquentem liberum arbitrium, per quod possint reddere se dignos fe icitate per obseruantiam legis, vel eadem indignos per trasgressionem legis, non spectat ad prouidentiam impedire omnia peccata, sed permittere, vt agentia libera vtantur etiam sua libertate ad peccandum, si libuerit. Confirmatur, quia perfectio totius præeminet perfectioni partium; ergo spectat ad prouidentiam permittere mala aliquarum partium propter perfectionem totius; sed ad perfectionem totius spectat, vt dentur plures species bonorum, quædam autem bona dari nequeunt, nisi dentur peccata: e.g. bonum pœnitentiæ, iustitiæ vindicatiuę &c. dari nequeunt, nisi dentur peccata; patientia etiam martyrum dari non potuisset sine crudelitate Tyrannorum, ergo spectat ad Diuinam Prouidentiam permittere quędam peccata, ad quæ sequitur maior perfectio mundi, & ordinis rerum

Ad 3. Spectat ad Diuinam Prouidentiam facere, vt boni perseuerantes in sua bonitate tandem sint beati, mali perseuerantes in sua malitia, per priuationem beatitudinis tandem sint miseri; at non debet semper statim, ac quis incipit esse bonus, dare illi beatitudinem, nec statim, ac quis incipit esse malus, punire illum

 per-

perpetua beatitudinis priuatione, sed post certum tempus, quod regulariter est tempus vitæ, in quo nec boni debent esse securi, cum possint euadere mali, nec mali debent de beatitudine desperare, cum possint euadere boni; ergo ex eo, quod in hac vita aliquando boni videantur miseri, mali felices, arguitur, quod Deus pro tempore vitę probet adhuc constantiam iustorum per temporales ærumnas, & patienter expectet, atque inuitet ad veniā obtinendam per pęnitentiam impios; post finem vitæ vnicuique finaliter retributurus iuxtà opera sua.

Ad 4. Dictum quæst. 17. phys. quod nihil est casuale, ac fortuitum respectu primi intellectus, sed solum respectu causarum inferiorum; ergo ex eo, quod multa in his inferioribus sint casualia, ac fortuita, non sequitur, quod Deus per suam prouidentiam non descendat ad inferiora, sed solum, quod descendit, ità omnia ordinando, vt causę inferiores, quæ plerunque producunt effectus per se, & ex intentione, aliquando producant per accidens, & præter intentionem. Ad Prouidentiam nimirum primi intellectus spectat facere, vt dentur omnes ordines rerum, & causarum; & quia datur etiam ordo causarum per accidens, sub quo continentur casus, & fortuna, spectat ad Prouiden-

uidentiam facere, vt dentur etiam casus, & fortuna.

QVAESTIO XXXXII.

Vtrum demonstretur Deum esse infinitè perfectum, simplicem, atque vnum.

Videtur, quod non 1. quia ens infinitè perfectum est ens habens esse penitus illimitatum; sed non est euidens, quod ens à se, ac necessarium, habeat esse ominò illimitatum; ergo non est euidens, quod Deus sit infinitè perfectus.

Secundo: si esset euidens, maximè quia est euidens, quod bonum est carere omni defectu, & habere omnem puram perfectionem, ac bonitatem; sed non est euidens absolutè, quod bonum est carere omni defectu, & habere omnem puram bonitatem, sed solum est euidens sub conditione, quod sit possibile, cum non sit euidens, quod sit possibile; ergo, &c. Confirmatur, nam bonum esse, quod homo careat omni defectu, & habeat omnem puram bonitatem, non est euidens, nisi sub conditione, quod sit possibile, & quia est euidens, quod impossibile est hominem

rere omni defectu, eo enim ipso non
t homo, ideò est euidens absolutè,
od non est bonum hominem carere
ni penitus defectu, & habere omnem
ram bonitatem; ergo similiter non est
dens absolutè, quod bonum est ens
ere omni defectu, sed solum sub con-
ione quod sit possibile: & quia non est
dens, quod sit possibile, non est absolu-
euidens.
Tertio videtur impossibile, quod Deus
omninò simplex. In omni enim intelli-
te intellectio est ab intellectu; ergo
ur compositio ex intellectu, & intel-
ione. Rursus amor est à cognitione;
il enim volitum, quin præcognitum;
o datur compositio ex intellectu, in-
ectione, & amore. Preterea nulla
ellectio potest esse solum sui ipsius in-
ectio, & nullus amor sui ipsius amor,
omnis intellectio distinguitur à suo
ecto primario sed in Deo datur intel-
tio, & amor; ergo datur aliquod aliud
ectum primarium, quod intelligat &
et; sed obiectum primarium Diuinæ
llectionis, & amoris est ipse Deus; er-
Deus distinguitur à sua intellectione,
more, & facit compositionem cum il-
Adde, quod videtur non repugnare
i etiam in Deo alias compositiones ex
ntia, & existentia; ex essentia, & attri-
butis,

butis, &c; ergo non demonstratur Deum esse omninò simplicem.

Quarto videtur non demonstrari, quod Deus sit vnicus. Omnes enim rationes ostendentes, quod est vnicus Deus, ostendunt etiam, quod est vnica Persona Diuina; sed demonstrari non potest, quod sit vnica Persona Diuina: est enim falsum, omne verò falsum est indemonstrabile; ergo demonstrari non potest, quod sit vnicus Deus.

Respondeo multipliciter ostendi, quod Deus sit infinitè perfectus; primo quia, quod habet esse à se est omninò illimitatum; sed Deus habet esse à se, vt probatum est suprà; ergo habet esse penitus illimitatum. Maior probatur, quia nihil potest esse ratio limitatiua sui ipsius, sed omne, quod limitatur, limitatur à causa, à qua accipit tantum esse, & non maius; ergo quod est à se, & causam non habet, est omninò illimitatum. Confirmatur, quia, quod existit vi amoris, quo amat seipsum, & vi cognitionis, qua cognoscit bonum esse, vt sit, non habet esse limitatum; amor enim, quo vnumquodque amat seipsum, non tendit vllo pacto ad se ipsum limitandum, neque inuidet sibi vllum bonum; sed Deus existit vi amoris, quo amat seipsum, & vi cognitionis, qua cognoscit bonum esse, vt existat; ergo Deus

bet esse omninò illimitatum. Minor
obatur, quia absurdum est, quod poe-
a Virgilianum e. g. extiterit, & non
alicuius intellectus cognoscentis, quod
num erat existere tale poema, & vo-
ntis, vt existeret; eo enim ipso exi-
ret irrationabiliter; ergo multo ma-
s est absurdum, quod aliquis intelle-
is existat, & non vi cognitionis, qua
gnoscitur, quod bonum est illum existe-
, & vi amoris volentis, vt existat; eo
im ipso intellectus existeret irrationa-
iter; sed primus intellectus non existit
cognitionis, & amoris alterius intelli-
ntis, & amantis: eo enim ipso existeret
alterius, & non vi sua, adeoque esset
usatus, & non primus intellectus; ergo
mus intellectus existit vi amoris, quo
at seipsum, & suam existentiam, & vi
gnitionis, qua cognoscit bonum esse, vt
stat; sed amor, quo quis amat se ipsum,
n tendit ad se limitandum, & ad negan-
m sibi vllam perfectionem, sed ad sum-
m supponit limitationem acceptam ab
o; ergo primus intellectus non potest
ratio suæ limitationis. Confirmatur 1.
ia amor sui ipsius non potest esse neces-
s negandi sibi aliquod bonum; sed pri-
s intellectus habet esse ex amore sui
ius; ergo non potest habere necessitatem
gandi sibi aliquod bonum. Confirma-
tur

tur 2. nam primus intellectus, vel cum possit habere esse illimitatum, habet esse limitatum ex sua libera electione; vel habet esse limitatum ex necessitate; non ex libera electione: primo quia nihil potest esse liberum ad eligendum sibi hoc, aut illud esse; secundo, quia nihil potest esse liberum ad relinquendum bonum omninò illimitatum, & perfectum, in quo nihil appareat mali, præponendo illi bonum limitatum, & imperfectum; tertio, quia primus intellectus per hanc electionem fuisset summè stultus; nulla enim potest maior excogitari stultitia, quam quod aliquis, cum possit habere esse penitus illimitatum, & perfectum, eligat esse imperfectum; quarto quia sufficientia habendi esse, & perfectionem illimitatam est penitus illlimitata; neque enim aliquid limitatum, & defectuosum potest esse per se ipsum perfecta sufficientia habendi bonum illimitatum, & carens defectu: sed primus intellectus haberet hanc sufficientiam; ergo haberet esse omninò illimitatum. Nec etiam potest habere esse limitatum ex necessitate: primo quia prima necessitas non potest esse stulta, sed debet esse rationabilis; sed necessitas rationabilis non est ad malum, sed ad bonum; ergo necessitas non potest esse, vt primum ens sit limitatum in bonitate, sed vt sit omninò, ac

perfectè bonum: secundo, quia nihil potest esse prima necessitas limitandi se ipsũ; tertio, quia amor sui ipsius non potest esse prima, & vnica ratio limitandi suum bonum, & suam perfectionem; quarto, quia quod existit, ac potest existere, non ex alia ratione, nisi quia vult, ità existit sicut rationabile est, quod velit existere; sed primũ ens existit, & nõ existit ex alia ratione, nisi quia vult existere, seu vi amoris, quo amat se ipsum; ergo existit sicut rationabile est, quod velit existere; sed rationabile est, quod velit habere esse omninò illimitatum; ergo ità existit, vt habeat esse omninò illimitatum; & quia necessitas existendi non est aliquid irrationabile, sed amor rationabilissimus sui ipsius, ideò necessitas existendi non est ad esse limitatum, & defectuosum, sed ad esse omninò perfectum, & illimitatum.

Secundo probatur ex ratione entis necessarij. Nam ens necessarium debet carere omni defectu; sed ens carens omni defectu habet omnem puram perfectionem: nam sicut tenebræ non expelluntur, nisi per lucem, sic defectus non expelluntur, nisi per oppositas perfectiones, & præterea ipsa carentia perfectionis puræ est defectus; ergo ens necessarium habet omnem puram perfectionem, atque adeò est illimitatum in perfectione. Probatur maior,

maior, quia omnis defectus potest prudenter displicere: sicut enim proprietas veri est, vt sit affirmabile, ità proprietas defectus est vt possit prudenter displicere; sed in ente necessario nihil potest prudenter displicere: stulta est enim displicentia eius, quod aliter se habere non potest, sicut stulta esset displicentia, qua alicui displiceret, quod duo contradictoria non possint simul verificari; ergo in ente necessario nullus datur defectus; ergo in ente necessario datur omnis pura perfectio. Confirmatur, quia vel enti necessario displicet suum esse defectuosum, vel non; si displicet, est stultissimum, & miserrimum, quia habet ęternam displicentiam de malo necessario, pręsertim cum ipsum sibi sit vnica, & totalis ratio talis mali; si non displicet; ergo est insensatum, cum nullam habeat displicentiam de suo defectu necessario, & ineuitabili, ac propter hoc ipsum maximo. Adde, quod ens necessarium esset infortunatum, imò esset sibi ipsi suum infortunium. Infortunium enim est malum accidens irrationabiliter; sed est irrationabile, vt aliquid sit sibi ipsi tota, & ineuitabilis ratio sui defectus; ergo ens necessarium esset sibi suum infortunium.

Tertio probatur ex ratione boni. Carere enim defectu manifestè est bonum;

ſed non eſt bonum eſſe chimeram; ergo carere defectu non eſt eſſe chimeram; ergo non eſt impoſſibile, ſed poſſibile aliquod ens carere defectu: ſed ſi poſſibile eſt dari ens carens defectu, datur de facto, eſt incauſatum, ac neceſſario datur; quod enim non exiſtit, vel poteſt non exiſtere, vel eſt cauſatum, manifeſtè eſt defectuoſum; ergo datur ens incauſatum, ac neceſſarium, carens defectu, ac proinde habens omnem puram perfectionem. Nec dicas, quod euidens eſt, quod carere defectu eſt bonum, ſolum ſub conditione, quod ſit poſſibile. Nam contrà eſt primo, quia ſicut euidens eſt, quod bonum eſt frui voluptate, bonum eſt eſſe ſapientem, iuſtum, ac felicem, non ſolum ſub conditione, quod ſit poſſibile, ſed omnino abſolutè, ità euidens eſt, quod bonum eſt carere defectu non ſolum ſub conditione, ſed abſolutè. Secundo non eſt impoſſibile id, quod intellectus proponit tanquam optimum, & tanquam ideam omnis boni; eo enim ipſo, quod proponitur vt optimum, eſſet peſſimum, ſed quilibet intellectus ſi debeat proponere ideam optimi, dicet, quod eſt ens carens omni defectu, & habens omnem puram perfectionem; ergo ens carens omni defectu non eſt impoſſibile. Tertio non eſt impoſſibile id, ad quod voluntas fertur ſumma inclinatione; ſed

sed voluntas fertur summa inclinatione ad ens carens omni defectu, & habens omnem puram perfectionem; ergo &c. Quarto non est impossibile id, quod ex terminis quicunque intellectus iudicat dignissimum, vt sit, sed quilibet intellectus iudicat dignissimum, vt sit ens carens omni defectu, & habens omnem puram perfectionem; quęlibet etiam voluntas inclinatur ad optandum, vt sit tale ens; ergo tale ens non est impossibile. Confirmatur, quia cum ipsa natura rerum indiderit nobis hoc iudicium, quo dignissimum iudicemus, vt sit ens carens defectu, & hanc inclinationem, qua optemus, vt sit tale ens, ipsa natura iudicat esse dignissimum, vt sit tale ens, & habet summam inclinationem vt sit; sed natura rerum non iudicat esse dignissimum ad existendũ aliquid impossibile, nec habet inclinationem summam ad hoc, vt sit aliquid impossibile; ergo ens carens defectu non est impossibile. Adde, quod possibilitas rerum non est irrationalis, sed est irrationabilissimum, vt possibilia sint solum entia defectuosa, ens carens defectu sit impossibile; ergo &c. Confirmatur, quia centrum, ad quod intellectus, & voluntas summo impetu feruntur, vt in eo quiescant, non est aliquid impossibile; si enim grauia per suum motum non quærunt centrum im-

possibile, multo minus intellectus, & voluntas, quæ sunt potentiæ rationabilissimę, quærunt centrum impossibile; sed intellectus in contemplando non quiescit in ente defectuoso, sed defectibus offensus, à contemplatione vnius entis mouetur ad contemplationem alterius; voluntas similiter non quiescit in bonis defectuosis, sed defectuosis offensa semper quærit aliquid melius; ergo datur aliquod ens carens defectu, in quo quiescat intellectus contemplans, & voluntas amans, eo quod nihil in ipso displiceat, nec per displicentiam stimulet ad quærendum melius.

Dico 2. Demonstratur, quod Deus est omninò simplex, & partibus carens, ità vt in ipso, & cum ipso identificentur omnes puræ perfectiones.

Probatur 1. quia si Deus constat ex partibus, vel singulæ partes sibi sufficiunt ad essendum, vel datur aliqua pars præcipua, quę sibi sit perfecta sufficientia essendi, atque adiungêdi cęteras partes; si datur aliqua pars præcipua, quę sit sibi perfecta sufficientia essendi, atque adiungendi cæteras partes; ergo continet perfectè perfectionem omnium partium: ergo non potest sibi adiungere vllam partem, & vilem complementum. Si partes singulæ sibi sufficiunt ad essendum; ergo singulæ ha-

habent esse omninò illimitatum, & perfectum; sed quod habet esse omninò illimitatum, & perfectum, non potest esse pars, nec potest sibi adiungere vllum complementum; ergo nulla ex partibus est pars, nec completur per alias compartes; ergo ens à se constare non potest ex partibus.

Probatur 2. quia si primus intellectus constat ex partibus, vel singulæ partes sunt intellectus, vel vnica pars est intellectus; si singulæ sunt intellectus; ergo primus intellectus constat ex pluribus intellectibus, quod est impossibile à fortiori ex ijs, quę diximus de indiuisibilitate animę intellectiuæ; si vnica pars est intellectus, contrà est, quia quidquid non est intellectus non potest existere, nisi vi alicuius intellectus, eo pacto, quo poema Virgilianum non potest existere, nisi vi alicuius intellectus, vt dictum est quæst. 40. & est absurdissimum, quod partes primi intellectus non dentur, nec ordinentur vi intellectus, sed veluti casu, & sine ratione; sed cæteræ partes primi entis non sunt intellectus; ergo non possunt existere, nisi vi illius partis, quę est intellectus; ergo illa pars, quæ est intellectus, est perfecta sufficientia sibi ad essendum, & alijs partibus, ad hoc vt sint, & ordinentur; ergo continet perfectè cęteras partes; ergo

go non potest esse pars, nec potest sibi adiungere vllam partem; ergo primus intellectus est omninò simplex, ac partibus carens.

Tertio probatur, quia identitas, & vnitas, per quam identificentur omnes puræ perfectiones, est quędam perfectio, sicut è conuerso distinctio perfectionum est quidam defectus: & ratio est, quia nulla res potest ità perfectè communicari alteri, sicut sibi ipsi; ergo eo ipso, quod aliquid non habet perfectionem per identitatem, non habet perfectissimo modo: sed ens à se caret omni defectu, & habet omnem puram perfectionem; ergo ens à se habet identitatem cum omnibus puris perfectionibus; ergo est simplex, & non constat ex pluribus partibus, & complementis.

Dico tertio: demonstratur, quod Deus est vnicus. Probatur 1. quia ex dictis Deus habet omnem puram perfectionem: sed esse perfectam sufficientiam, vi cuius existat quidquid existit, & possit existere, quidquid potest existere, est quædam pura perfectio; ergo Deus est perfecta sufficientia, vi cuius existit, quidquid existit, & potest existere, quidquid potest existere; sed talis perfecta sufficientia est vnica: eo enim ipso quod essent duę, vel plures sufficientię, vel vtraque esset vi alte-

terius, vel vna tantum, vel neutra; si vtraque existeret vi alterius, neutra existeret perfectè vi sua, adeoque non esset perfecta sufficientia; si vna tantum existeret vi alterius; ergo altera tantum esset ens existens perfectè vi sua, & vi cuius existeret omne aliud ens; si neutra existeret vi alterius; ergo neutra esset perfecta sufficientia, vi cuius existeret omne ens, cum altera esset ens non existens vi alterius; ergo Deus est vnicus. Confirmatur, quia est manifesta perfectio esse ens existens vi sua, ac continens in sua virtute omne aliud ens, quodcunque bonum, & quamcunque perfectionem; ergo hæc perfectio conuenit Deo; sed ens continens in sua virtute omne aliud ens, omne bonum, & perfectionem est essentialiter vnicum; nā si essent plura, nullum ex his contineret aliud in sua virtute, cum non posset alteri dare esse; ergo Deus est vnicus.

Confirmatur 2. quia manifestè est perfectio esse supremum Principem inter omnia entia, cui subsint cætera, ità vt nullum ab eius potestate eximatur; ergo Deo conuenit talis perfectio; sed supremus Princeps omnium aliorum entium est vnicus; si enim essent plures, cum nullus alteri subesset, nullus esset princeps omnium aliorum; ergo Deus est vnicus. Adde, quod est perfectio esse ens excellentissimum

ſimum, non habens æquale, neque maius; eſſe primam, & ſufficientiſſimam rationem exiſtentem vi ſua, propter quam ſint omnia, quæ ſunt, non ſint omnia, quæ non ſunt, ſit poſſibile quidquid eſt poſſibile; ſit impoſſibile quidquid eſt impoſſibile, eſſe primam cauſam efficientem, finalem, & idealem omnium aliarum rerum, eſſe primam veritatem, vi cuius detur omnis alia veritas, primam bonitatem, vi cuius detur omnis alia bonitas, &c; ſed nulla ex iſtis perfectionibus poteſt conuenire niſi vnico enti; ergo Deus eſt vnicus.

Secundo probatur, quia neceſſitas, vt detur vnicus Deus, vel plures Dij, non eſt neceſſitas fatalis, caſualis, aut irrationalis, ſed neceſſitas rationabiliſſima, imò eſt quędam ſumma ratio; ſed neceſſitas rationalis eſt, per quam illud eſt neceſſarium, quod melius, & ideò neceſſarium, quia melius; ergo quoad exiſtentiam vnius tantum, aut plurium Deorum, illud eſt neceſſarium, quod melius, ac proinde vt cognoſcamus, quid ſit neceſſarium, aut poſſibile, debemus inueſtigare, quid ſit melius; ſed melius eſt, vt Deus ſit vnicus, ac optimus; dabuntur enim perfectiones, quas enumerauimus in argumento ſuperiori, quę perfectiones, poſita Deorum multiplicitate, eſſent impoſſibiles; ergo neceſſe eſt, vt Deus ſit vnicus, & optimus.

Con-

Confirmatur, quia ideò in homine necesse est dari vnicũ caput imperans toti corpori, quia melius est caput esse vnicum: ergo à fortiori in vniuerso necesse est dari vnicum principem supremum, quia sic est melius: & sicut monstrosum est animal, in quo sint plura capita, ità monstrosa esset vniuersitas entium, si in ea plures essent Dij, seu principes supremi.

Confirmatur, quia si id, quod est à se est rationabiliter, ità est, sicut ratio dictat melius esse illi, atque vniuersitati, vt sit; sed ratio dictat enti à se melius esse vt sit vnicum, ac supremus princeps omnium reliquorum, melius etiam esse vniuersitati entium causatorum, ad hoc, vt habeant bonum optimę gubernationis, per quam gubernentur, & ordinentur ab vno optimo, ac supremo principe, ac perfectissimo intellectu; ergo Deus est vnicus ex eadem ratione, ex qua in animali caput est vnicum, quia ratio dictat melius esse, tum capiti, tum reliquis membris, vt sit vnicum caput. Hæc autem ratio clarè insinuatur ab Aristotele pluribus locis; 8. phys. tex. 48. ait. *In his quæ sunt natura, finitum sit potius, & id, quod melius est oportet, si modo esse possit: sufficiens autem est & vnum, quod cum primum immobilium sit, perpetuumque, cæteris sit principium motus.* 12. met. concludit librum per hæc verba.

Entia

Entia nolunt malè gubernari; non est bonum multitudo principatuum; vnus ergo princeps. 14. Met. cap. 6. dicit. *Mirabile est, si primo, ac perpetuo, ac sibi sufficientissimo hoc ipsum primum per se sufficientia, & salus non sit tamquam bonum. Enim verò propter nihil aliud incorruptibile, vel sibi sufficiens est, nisi quoniam benè se haqet. Quare dicere quidem Principium tale esse, rationi consentaneum est verum esse; hoc verò esse ipsum vnum;* ergo patet Aristotelem supponere tanquã principium per se notum, quod ratio, cur necessaria se habeant potius vno modo, quam altero est, quia melius est, vt se habeant vno modo, quam altero, & ex hoc inferre vnitatem primi principij, ac primi motoris immobilis. Hinc sequitur Deum esse, quo non potest excogitari melius sine aperta contraditione. Est enim ens habens secum identificatas omnes puras perfectiones sine vllo defectu; sed non potest sine aperta contraditione excogitari quidquam melius ente habente secum identificatas cum summa simplicitate omnes puras perfectiones, sine vllo defectu: ergo Deus est, quo non potest excogitari melius; sed in ijs, quę carent mole, hoc est maius, quod melius, vt S. Aug. docet, eo pacto, quo sapientia maior idem est, ac sapientia melior; ergo Deus est, quo non potest excogitari maius, siue ens opti-

ptimum, & maximum; sed si essent plu-
es Dij, posset excogitari melius singu-
s, hoc est ens habens perfectiones enu-
eratas in primo argumento: ergo ex plu
alitate Deorum sequitur, quod Deus non
, quo non potest excogitari melius, ac
aius, & quod non detur optimum exco-
tabilium, seu ipsa idea optimi, sed quod
ptimum excogitabilium sit chimera, a-
eoque pessimum.

Ad 1. Patet ex dictis. Iam enim est
stensum, quod ens à se, ac necessarium
t omninò illimitatum quoad esse, &
erfectionem.

Ad 2. Dictum est primo, quod est eui-
ens non solum conditionatè, sed absolu-
, quod bonum est carere omni defectu,
cut euidens est absolutè, quod bonum
t esse sapientem, iustum, &c. Secundo
ctum est, quod ità est euidens, quod
onum est carere defectu sub conditione,
uod sit possibile, vt demonstretur id esse
essibile, tum ex eo, quod carere defectu
oponitur ab intellectu tanquam ipsum
timum, & idea optimi; tum ex eo, quod
oluntas habet summam inclinationem ad
s carens defectu; tum ex eo, quod sit
ntrum intellectus contemplantis, & vo-
ntatis appetentis; tum ex eo, quod eius
npossibilitas esset summè irrationalis;
m ex eo, quod quilibet intellectus iu-
dicat

dicat dignissimum esse, vt detur ens carens defectu; potest etiam addi ratio ex eo, quod ex ente carente defectu non potest sequi vllum inconueniens; possibile verò definitur ab Aristotele, ex quo non sequitur inconueniens.

Ad confirmationem respondeo primò, quod cum dicitur, quod euidens est aliquid esse bonum, dicitur solum, quod est euidens aliquid esse bonum secundum se, non autem quod sit bonum cuilibet subiecto; e. g. euidens est, quod bonum est esse sapientem, non tamen quod bonum est bestię esse sapientem, cum bestia sit essentialiter insipiens, sed quod est bonum secundum se, adeoque est bonum alicui subiecto. In casu nostro euidens est quod bonum est carere omni defectu, non cuilibet; creaturam enim essentialiter defectuosam carere omni defectu non est bonum; sed secundum se, & alicui subiecto. Secundo dico, quod si illa propositio est euidens solum sub conditione, quod sit possibile, demonstratur, quod sit possibile ex rationibus allatis, & fit euidens absolutè. Propositio enim conditionata euidens, demonstrata conditione, euadit euidens absolutè.

Ad 3. Contra Diuinam simplicitatem ex eo, quod Deus debeat esse compositu ex intellectu, intellectione, amore, obiecto

to motiuo ad intellectionem, & amorem &c. Respondeo specialiter demonstrari, quod in primo intellectu idem sint intellectus intelligens, intellectio, amor, & obiectum mouens. Et primo sic probatur, quod primus intellectus sit sua intellectio. Primus intellectus est perfecta sufficientia intelligendi; ergo cōtinet perfectè perfectionem intellectionis, qua intelligit; ergo non potest adiungere sibi intellectionem; ergo intelligit, non ità, sit potentia intelligendi per intellectionem distinctā, sed ità, vt sit ipsa sua intellectio. Rursus primus intellectus existit taliter vi sua; sed non existit veluti casualiter, & insipienter: quod verò existit non vi intellectionis de ipso, existit veluti casualiter, & insipienter, eo pacto o poema Virgilianum casualiter extitisset, si extitisset non vi intellectionis de i poemate; ergo primus intellectus existit vi intellectionis perfectissimæ de ipso primo intellectu; sed primus intellectus n existit vi alicuius distincti à se; ergo ellectio, vi cuius existit primus intellectus, non distinguitur à primo intellectu, sed est idem cum primo intellectu. idem argumentis probatur, quod primus intellectus non amat amore distin à se ipso. Est enim perfecta sufficien amandi; ergo continet perfectè totam perfe-

perfectionem amoris ; ergo non potest si-
bi addere amorem, sed est suus amor
Rursus poema Virgilianum, quia habe
magnam pulchritudiné, & perfectionem
non potuit existere, nisi vi alicuius co-
gnoscentis, & amantis illam pulchritudi-
nem, ergo primus intellectus, qui e
pulcherrimus, & perfectissimus, non exi
stit, nisi vi amoris tantæ pulchritudinis
& perfectionis: alioquin summum bonu
existeret veluti per accidens, & prete
intentionem ; sed existit solum vi sua
ergo ipse est amor suæ pulchritudinis, &
perfectionis. Demum probatur, quo
primus intellectus non distinguatur à su
obiecto formali. Primus enim intellectu
ac prima intellectio existit vi sua; sed om
nis intellectio existit vi obiecti formalis
ergo prima intellectio est obiectum fo
male totale sui ipsius. Confirmatur, qu
si prima intellectio existeret vi alterius
biecti formalis, vel illud esset intellecti
vel non : si obiectum formale esset alia
intellectio, quæritur rursus, vi cuius obi
cti formalis existat talis intellectio, &
proceditur in infinitum, vel datur circ
lus duarum intellectionum, quarum vtr
que existat vi alterius ; si non esset inte
lectio, quod non est intellectio, præse
tim si sit aliquid optimum, debet existe
vi alicuius intellectionis, alioquin exist
ret

ret casualiter ; ergo primum existens vi sua, debet esse intellectio ; sed intellectio existit vi obiecti formalis ; ergo prima intellectio est vnicum, & adæquatum obiectum formale sui ipsius. Ideò sapienter Aristoteles tex. 51. 12. met. disputans ex professo de hoc puncto, concludit: *se ipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intellectio intellectionis intellectio*: & paulo post *cum igitur non sit diuersum id, quod intelligitur, & intellectus, quæcunque non habent materiam idem erunt, ac intellectio vna eius, quod intelligitur.* Dum opponitur, quia amor debet esse à cognitione, & intellectio ab obiecto formali; ergo nec amor potest esse idem cum cognitione, nec intellectio potest esse obiectum formale sui ipsius: respondeo, quod amor debet esse à cognitione, & intellectio ab obiecto formali, abstrahendo ab hoc, quod sit à cognitione, atque obiecto per causalitatem, vel per alium modum excellentiorem. Prima intellectio necessario est ab obiecto formali, non per causalitatem; ergo per hoc, quod sit à se; & sit suum obiectum formale: ac similiter amor est à cognitione, non per causalitatem, sed per hoc, quod sit cognitio, quę est à se. Valet enim argumentum: prima intellellectio est à se; ergo est ab omni eo, quod secum identifica-

ca-

catur; sed obiectum formale intellectionis est idem cum prima intellectione; ergo prima intellectio est ab obiecto formali: similiter valet, amor primus est à se; ergo est ab eo, quod secum identificatur; sed identificatur cum intellectione: ergo primus amor est ab intellectione non per causalitatem, sed per identitatem cum ente à se. At cognitio causata non est à se; ergo si esset idem cum obiecto formali, non esset ab obiecto formali debet esse ab obiecto formali; ergo non potest esse idem cum suo obiecto formali idemque dic de amore causato; ergo sola intellectio incausata potest identificari cum suo obiecto formali, & amor incausatum cum intellectione, à qua est, intellectio causata non potest identificari ex proportionali ratione, ex qua dictum est qu. 3 de anima, quod solum actus vitales incausati possunt identificari cum substantia viuente, causati non possunt. Dum demum opponitur; quia Deo non repugnant aliæ compositiones ex essentia, & existentia &c. dico, quod omnes excluduntur ex argumento vniuersali, quia si aliqua perfectio distingueretur ab intellectu, existeret vi intellectus; ergo intellectus est perfectè sufficiens ad adiungendam sibi talem perfectionem, seu sit existentia, seu attributum, seu aliud quodcunque; ergo
per-

perfectè continet tales perfectiones; ergo non potest sibi adiungere vllam perfectionem distinctam; ergo non existit per esse distinctum, nec est potens per potentiam distinctam, nec est ęternus per æternitatem distinctam, sed est sua existentia, sua ęternitas, ac totum suum esse; ergo est omninò simplex, & actus purissimus excludens omnem compositionem, tum partium quantitatiuarum, tum ex materia, & forma, essentia, & existentia, natura, & supposito, genere, ac differentia, subiecto, & accidentibus.

Ad 4. Rationes allatæ probant, quod datur vnica sufficientia sufficiens sibi, & omnibus alijs, continens in sua virtute omne esse, & omne bonum, vi cuius existat quidquid potest existere, habens perfectionem supremi, & vnici principis, &c. at quod hęc vnica sufficientia non possit, nec debeat vi sua communicari per identitatem perfectissimam tribus Personis, non probant, imò videtur perfectio vnicę sufficientiæ, quod sit pluribus communicabilis; ergo relinquunt locum mysterio Trinitatis, quod non est contrà rationem, sed suprà rationem naturalem, eo quod sicut non potest per rationes naturales euidenter probari, ità nō potest euidenter impugnari.

QVAESTIO XLIII.

Vtrum demonstrentur aliæ perfectiones, & Attributa Dei.

VIdetur, quod non, 1. quia de ente penitus simplici demonstrari non possunt plures perfectiones, & attributa; Deus est omninò simplex; ergo &c.

Secundo si possent demonstrari, possent demonstrari infinita attributa; non possunt demonstrari infinita, nec est maior ratio de aliquibus, quam de alijs; ergo &c.

Respondeo, quod ex Aristotele primo de cœlo, tex. 66, & S. Th. 1. p. quæst. 76. ar. 2. & alibi, infima entia non possunt peruenire ad bonitatem perfectam, sed aliquam bonitatem imperfectam consequuntur paucis motibus; superiora consequũtur bonitatem perfectam, sed multis motibus; adhuc superiora eandem assequuntur paucioribus motibus; perfectum, ac supremum sine vllo motu. Infima entia sunt omnia irrationalia, quę nullo pacto possunt attingere cognitionem Dei, qui est perfecta bonitas potens felicitare per cognitionem sui: intellectus humanus attingit congnitionem Dei aliqualiter perfe-

fectam, ſed per multas cognitiones, & diſcurſus; intellectus angelicus paucioribus cognitionibus, & motibus; Deus comprehendit ſeipſum vnico ſimplici actu ſine vllo motu. Quia igitur non poſſumus attingere cognitionem Dei aliqualiter perfectam, niſi per multos motus, & diſcurſus, conandum, vt per plures cognitiones, & demonſtrationes ad ipſam perueniamus. Ratio à priori eſt, quia pro hoc ſtatu cognoſcimus Deum per creaturas, & earum perfectiones; ſed perfectiones creaturarum ſunt diſperſæ in multis; ergo cauſant in nobis plures conceptus perfectionum, quas deinde applicare debemus per varias demonſtrationes vnicę ſimplici deitati, in qua omnes perfectè congregantur; ergo debemus formare plures cōceptus perfectionum, & attributorum applicandorum Deo. Duplex autem eſt via formandi conceptus de Diuinis attributis ex creatis iuxtà doctrinam S. Dion. quem omnes ſequuntur. Prima eſt negatiua, per quam remouentes imperfectiones creaturarum formamus conceptum oppoſitarum perfectionum attribuendarum Deo. Secunda eſt poſitiua, per quam abſtrahimus perfectiones creaturarum, depurantes eas ab imperfectionibus, quibus ſunt admiſtæ. Quia tamen plus perfectionis creaturis deeſt, quàm ineſt, ideò

melius penetramus Deum via negatiua per remotionem defectuum, quam via positiua per abstractionem perfectionum. Hinc inferunt scholastici celebrem diuisionem perfectionum in negatiuas, quę nimirum concipiuntur per remotionem defectuum, & positiuas, quæ concipiuntur per abstractionem perfectionum. Diuinæ perfectiones negatiuæ enumerantur, *esse à se, & non ab alio*, quę perfectio à recentioribus vocatur aseitas; infinitas, æternitas, immensitas, immutabilitas, immortalitas, inuisibilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas, seu innominabilitas, & immaterialitas. Positiuę numerantur sapientia, voluntas, bonitas, potentia, libertas, prouidentia, iustitia, misericordia, simplicitas, pulchritudo, &c. Ex his perfectionibus licet omnes sint idem cum Diuina essentia, & substantia, tamen quædam vocantur essentiales, quędam attributales. Perfectio essentialis sumitur dupliciter. Primo latè pro quacunque perfectione, quæ in creaturis significat prædicatum substantiale: e. g. perfectio substantiæ, spiritualitatis, vitæ, intellectiuitatis, &c. Secundo strictè pro prima perfectione substantiali, quę concipitur ratione nostra tanquam primo constitutiua Dei, in quantum differt à creaturis, & ex qua cæterę inferuntur tanquam prædicata

cata consequentia, quæ perfectio satis communiter dicitur, quod sit *esse à se, & sibi perfectè sufficiens ad essendum*, quia per talem aseitatem primo Deus differt à creaturis, quæ sunt ab alio, & sibi insufficientes ad essendum. Attributa etiam sumuntur latè, ac strictè. Attributa latè sunt omnes perfectiones, quæ ratione nostra adueniunt primę; attributa strictè sunt perfectiones, quæ in creaturis significant accidentia, vt sapientia, iustitia, potentia, æternitas, &c.

Iam supponentes, quod essentia Diuina ratione nostra sit esse à se, per ipsam facilè demonstrantur reliquę perfectiones, & attributa, ac primo necessitas essendi. Quod enim sibi perfectè sufficit ad essendum, non potest non esse, cum id, quod potest non esse, debeat ab altero determinari. Hinc vlterius demonstratur æternita. Nam quod necessario est, & est sua necessitas, semper est: rursus quod sibi sufficit, non incipit; quod enim incipit, ab aliquo determinatur ad hoc, vt nunc sit cum anteà non esset, nec desinit ex eadem ratione, cum non possit aliquid esse tota ratio, cur amplius non sit. Ex aseitate demonstratur etiam infinitas quo ad esse quia quod est à se, est omninò illimitatum vt explicatum est qu. superiore. Hinc vlterius demonstratur immensitas, qui

quod est illimitatum, est immensum, & non continetur vllo loco, sicut nec vllo tempore, & ex eadem ratione, ex qua aliquid existens à se, non potest esse limitatum in tempore, ità vt incipiat, cum ante non esset, nec potest esse limitatum in loco, ità vt sit hic, & non alibi. Demonstratur etiam immutabilitas, quia enti illimitato nihil potest addi, quo mutetur, cum contineat in se omne esse: ac similiter demonstratur immaterialitas exclusiua compositionis quantitatiuę, imò simplicitas omnimoda exclusiua cuiuscunque compositionis; enti enim illimitato nihil omninò potest addi. Demonstratur vita perfectissima. Nam quod est à se, agit seipsum ad totum suum esse, & totam suam perfectionem, vt dictum est quæst. 3. de anima; & quia vita essentialiter æterna est immortalitas, demonstratur immortalitas; & quia æternitas est immortalitas incommutabilis, ac simplex excludens omnem additionem durationis, quæ additio faceret compositionem, ideò demonstratur æternitas secundum definitionem Boetij, inquantū est interminabilis vitę tota simul, & perfecta possessio, quę semper sit totaliter pręsens, ità vt nihil in illa pręteréat, vel aduenıat de nouo. Demonstratur sapientia, quia ens à se non potest esse insipienter, & non vi cogni-

gnitionis. Demonstratur voluntas, quia primum bonum non potest esse præter intentionem, ac veluti per accidens. Demonstratur, quod per sapientiam comprehendat seipsum, & omne ens, quia prima ratio, cur sint omnia, quæ sunt, non potest quidquam ex ipsis ignorare, ità vt sit ratio illius velut irrationaliter, & ignoranter; ergo prima ratio omnium est perfecta cognitio omnium; sed Deus est prima ratio omnium etiam in singulari; ergo est perfecta, & adęquata cognitio omnium, etiam in singulari; ergo continet in sua mente ideas perfectissimas omnium rerũ. Demonstratur omnipotentia, quia ens omninò illimitatum quoad esse, est omninò illimitatum in virtute agendi, adeoque omnipotens. *Rursus* Deus est sufficientia perfecta, vt sint omnia, quæ sunt, & possint esse omnia, quę possunt esse; sed talis sufficientia est omnipotentia; ergo Deus est omnipotentia. Demonstratur libertas, quia quod per se ipsum habet omnem perfectionem, potest contemnere cuncta alia; ergo Deus est perfectissimè liber ad nolendum quidquam producere. Demonstratur prouidentia, nam sapiens est ordinatiuus; sed prouidentia nihil est aliud, quam ratio ordinandorum in finem; ergo in summa sapientia est summa prouidentia. Demonstratur iustitia, & misericor-

dia, quia ſupremum principium decet ſumma iuſtitia, & ſumma miſericordia. Demonſtratur bonitas, & pulchritudo, quia bonitas conſiſtit in hoc, vt aliquid ſit appetibile, pulchritudo in hoc, quod ſit delectabile contemplanti, ſiſtendo in ipſa contemplatione; ſed nihil appetibilius, aut delectabilius contemplanti, quam ens habens omnem perfectionem, & carens omni defectu: ergo Deus eſt ſũmè bonus, ac pulcher. Demonſtratur inuiſibilitas; per quã videri non poteſt naturaliter ab vllo intellectu diſtincto, quia quod eſt in gradu ſuperiori immaterialitatis, videri naturaliter non poteſt ab eo, quod habet gradum inferiorem immaterialitatis, ideoque nos homines non poſſumus intueri ſubſtantias ſeparatas, impediente materialitate corporis, cui eſt vnita anima ſpiritualis; ſed Deus eſt in ſupremo gradu immaterialitatis, cum ſit omninò ſimplex, & ſit ſua intellectio & amor; ergo non poteſt naturaliter videri ab vllo intellectu habente aliquam compoſitionem, ſaltem ex intellectu, & intellectione, per quam recedit à ſũma immaterialitate. Adde, quod ſecreta cordium ſunt naturaliter inuiſibilia ab alio, ideoque dicit Apoſtolus *nemo ſcit quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis*; ſed ſubſtantia Diuina eſt ipſum ſecretum mentis ſuæ, cum ſit omnis ſua intellectio, & vo-

& volitio; ergo eſt naturaliter inuiſibilis, & poteſt ſolum videri, Deo per amicitiam eleuante creaturam ad videnda arcana ſecreta mentis ſuæ. Incomprehenſibilitas demonſtratur, quia tantum aliquid eſt cognoſcibile, quantũ eſt ens; ſed Deus habet infinitam entitatem; ergo infinitam cognoſcibilitatem; ſed cognitio finita non poteſt adęquare cognoſcibilitatem ſimpliciter infinitam; ergo nulla cognitio creata, adeoque finita poteſt adęquare Diuinam cognoſcibilitatem; ergo nulla cognitio creata poteſt comprehendere Deum, cum ad comprehenſionem requiratur adęquatio cognitionis cum obiecti cognoſcibilitate; ergo ſolus Deus poteſt comprehendere ſe ipſum. Hinc ſequitur ineffabilitas, & innominabilitas per nomen adęquatè explicans, & ſignificans Diuinam ſubſtantiam quantum eſt explicabilis, ac ſignificabilis. Sicut enim poteſt melius, & melius cognoſci, ſic poteſt perfectius, & perfectius explicari, ac nominari. Adde, quod cum ſit dictum Deum habere omnem perfectionem puram ſine vllo defectu, eo ipſo, quod demoſtratur aliquod prędicatum eſſe puram perfectionem, demonſtratur, quod competat Deo.

Ad 1. De ente ſimplici non poſſunt demonſtrari plures perfectiones, quæ habeant pluralitatem in ipſo ente ſimplici, ſed

plures, quę habeant pluralitatem in nostra ratione formante varios conceptus perfectionum propter pluralitatem, quam tales perfectiones habent in creaturis, ex quibus abstrahuntur.

Ad 2. Ex finitis perfectionibus creaturarum abstrahimus solum finitas numero perfectiones applicabiles Deo; ergo non possunt de Deo demonstrari infinitæ numero perfectiones, cum non possimus ex creaturis abstrahere infinitas perfectiones, & attirbuta, sed finita, & pauca, cum perfectiones creaturarum per abstractionem, per quam depurantur ab imperfectionibus, reducantur ad paucas.

QVAESTIO XLIV. & vltima.

Vtrum Deus concurrat immediatè ad conseruationem, & omnes actiones causarum secundarum.

PRimo videtur, quod creaturę non indigeant Diuina conseruatione. Deus enim est potentior quocunque agente creato; sed agentia creata dant esse-

effectibus, vt conseruentur in esse, etiam eorum operatione cessante, e.g. ædificator dat domui, vt conseruetur in esse, etiam subtracta operatione ædificatoris; ergo etiam Deus per creationem dat creaturis, vt conseruentur in esse, cessante operatione Diuina. Confirmatur, quia defectus operis arguit impotentiam Artificis; sed est defectus operis, vt permanere non possit in esse, nisi continuè conseruetur ab artifice; ergo argueretur impotentia in Deo, si solum construeret opus ità defectuosum.

Secundo est impossibile, quod res patiatur violentiam, nullo extrinseco violentiam inferente; sed tendere ad non esse est maxima violentia contrà appetitum vniuersalem essendi; ergo est impossibile, vt res tendant ad non esse, nulla causa extrinseca mouente ad non esse; sed creaturę spirituales, vt Angeli à nulla causa extrinseca moueri possunt ad non esse, cum non habeant contrarium; ergo creaturę spirituales, etiamsi cessaret Diuina operatio, permanerent in esse; ergo non indigent Diuina conseruatione.

Tertio, vel creaturæ conseruantur in esse à solo Deo, vel etiam concurrentibus causis secundis; ac rursus vel conseruatio est veluti continua creatio, vel non; nullum ex his dici potest; ergo, &c.

Quarto videtur, quod creaturæ ad ope-

randum non indigeant Diuino concursu, vt docuit non solum Durand. in 2. dist. prima q.5. & distinct. 37. q.1. sed etiam auctores multo antiquiores Durando relati ab Alberto, & Henrico, & S. August lib.5. de genesi ad litteram. Deus enim non dat creaturis virtutem actiuam imperfectam; sed si daret virtutem, per quam semper ad agendum indigerent diuino concursu, daret illis virtutem imperfectam; ergo creaturæ possunt operari per virtutem acceptam à Deo sine diuino concursu. Et confirmatur, quia defectus virtutis in creatura argueret defectum virtutis in Deo, qui non posset creaturis dare virtutem sufficientem ad operandum.

Quinto; causa continens totam perfectionem effectus, potest illum producere sine concursu alterius concausę; sed creaturæ continent totam perfectionem plurium effectuum: e.g. ignis producens continet totam perfectionem ignis producti; ergo possunt causę secundæ producere effectus sine concursu diuino.

Sexto; vel Deus concurrit ad productionem effectus vt causa totalis, vel vt partialis; non vt partialis, quia quod concurrit vt adæquata virtus producendi, non concurrit vt virtus, & causa partialis; sed Deus concurrit, vt adęquatissima virtus producendi effectum; ergo non concurrit

currit vt causa partialis: nec vt totalis, quia si concurreret vt causa totalis, frustraneus esset concursus causę secundę.

Septimo; Deus deberet etiam concurrere ad actus liberos; sed non concurrit ad actus liberos, alioquin concurreret etiam ad peccatum, & esset causa peccati; ergo &c. Confirmatur, quia si Deus concurreret ad actus liberos, auferret à causis secundis libertatē agendi. Cum enim ad effectum concurrunt duæ causę, altera minus potens, altera potentior, potentior per suam actionem necessitat minus potentem, vt potè quæ non potest resistere potentiori, impediendo, aut frustrando concursum illius; sed ad actus liberos concurreret Deus, qui est causa potentissima; ergo per suam actionem necessitaret causas secundas non potentes resistere diuino concursui, nec illum impedire, aut frustrari.

Octauo inconueniens est supremum Principem attendere etiam ad minima, & ad illa concurrere immediatè; sed Deus est supremus Princeps; ergo non attendit ad productionem etiam pulicum, & muscarum per immediatum concursum, sed solum attendit, & concurrit immediatè ad maxima, cuiusmodi sunt gubernatio Cœlorum, & Angelorum, minima causis inferioribus relinquens.

Respon-

Respondeo ex S. Thoma 1. p. q. 104. art. 1. & Suar. disp. 21. met. sect. 1. De fide est, quod omnes creaturæ conseruentur in esse à Deo. Sapientiæ enim 12. dicitur: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur*: ad Hebræos primo *portans omnia verbo virtutis suæ* ad rom. 11. *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: ad Coloss. 1. *omnia in ipso constant*: actorum 17. *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*; quibus locutionibus significatur conseruationem rerum niti diuina virtute, & potentia. SS. etiam PP. loquuntur de hoc, tanquam de dogmate fidei. S. Aug. lib. 5. de genes. ad litteram c. 120. *Credamus, vel si possumus etiam intelligamus usque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* S. Greg. 16. moral. cap. 18. *Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam creator omnium regiminis manu teneret.* Idem docet Nazianz. oratione 36. quæ est secunda de theologia, Damasc. lib. 1. c. 3. de fide, & alij Patres.

Dicendum secundo cum ijsdem auctoribus, naturali etiam ratione probari, ac sufficienter demonstrari Deum esse conseruatorem omnium. Ità docuerunt multi PP. & apertius Damascenus, atque Anselmus sentientes, quod eadem ratione qua

qua probatur Deum esse omnium creatorem, probatur etiam esse conseruatorem, quod ità manifestum visum est Anselmo in Monologio c. 12. vt dixerit *dubium non nisi irrationabili menti esse potest, quod cuncta, quę facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, ac perseuerant esse, quandiu sunt, quo faciente à nihilo habent esse quod sunt*, ideoque hanc veritatem cognouerunt etiam antiqui philosophi, vt docet Iustinus Martyr in oratione parenetica ad gentes, & Eugubinus li. 1. perennis philosophiæ à cap. 28. & lib. 3. penè per totum.

Ratione probatur ex natura, & imperfectione entis causati. Nam quod non est sibi sufficiens ad habendam aliquam perfectionem, quandocunque illam habet, ab altero habet; e. g. quia aer non est sibi sufficiens ad habendam perfectionem lucis, quandocunque habet lucem, habet illam à sole, vel ab alio corpore luminoso, ideoque aer in esse lucidi pendet à corpore luminoso in fieri, & in conseruari, ità vt indigeat actione illuminatiua, non solum ad hoc, vt primo fiat lucidus, sed ad hoc, vt conseruetur lucidus, & si sol abscedens subtrahat actionem illuminatiuam aeris, aer continuò euadit tenebrosus, amittens lucem; sed tota vniuersitas rerum causatarum est sibi sufficiens ad

esse m-

essendum, & est talis, vt non habeat esse vi sua, eo pacto, quo aer non habet lucem vi sua; ergo tota vniuersitas rerum causatarum, quandocunque est, habet esse à primo principio incausato, & ità pendet ab illo, vt quandocunque subtraheret suam actionem conseruatiuam, vniuersa redirent ad suum nihilum, eo pacto, quo quandocunque sol cessat ab ab actione illuminatiua, aer redit ad suas tenebras. Hæc verò est ratio, quam semper innuunt testimonia citata scripturarum, & PP. deducta ex ipsa natura, & essentia entis causati, ac sibi insufficientis, ac proinde semper existentis vi alterius.

Secundo probatur ex perfectione Diuina. Nam vt dictum est, Deus habet omnem puram perfectionem; sed est manifesta perfectio esse fontem, à quo emanat omne aliud esse, ità vt nihil sit, nisi emanet, & quodlibet tandiu sit, quandiu emanat; ergo Deus est fons effundens omnia per primam productionem, & conseruans in esse per continuatam emanationem, & comparatur ad esse omnium rerum, sicut sol ad lucem aeris. Hinc sequitur Deum omnia conseruare per se, & directè, hoc est influendo ad eorum esse per actionem talem, vt illa subtracta, redigerentur in nihilum. Corruptibilia tamen conseruantur etiam indirectè, & per accidens, inquan-

quantum Deus non solum influit ad eorum esse, sed etiam remouet contraria, à quibus corrumperentur: e. g. conseruat vitam hominis etiam inquantum impedit multa, ex quibus sequeretur hominis mors; hic verò modus conseruandi per accidens competere non potest entibus incorruptibilibus, cum non habeant contrarium. Sequitur etiam Deum omnia conseruare libera sua voluntate, ità vt possit per subtractionem conseruationis destruere, & in nihilum redigere omnia quandocunque voluerit, & non habeat aliam necessitatem conseruandi, quam liberam voluntatem conseruandi. Ratio est, quia cum sit sibi sufficientissimus, est liberrimus ad communicandum, vel non communicandum esse cæteris rebus, prout voluerit, & quandiu voluerit.

Patet igitur ex his Deum esse causam conseruatricem omnium rerum. Sed adhuc non constat, an omnia conseruet immediatè, vel aliqua solum mediatè, e. g. an conseruet immediatè sola corpora cœlestia, quę corpora cœlestia per virtutem acceptam à Deo conseruent inferiora, Deo non prętante alium concursum immediatum ad conseruationem inferiorum. Quæstio pendet ab alia quæstione magis vniuersali, vtrum Deus concurrat immediatè ad omnes actiones causarum

arum secundarum. Si enim concurrit immediatè ad omnes actiones primo productiuas rerum, concurrit etiam ad conseruatiuas; si non concurrit ad primo productiuas, nec ad conseruatiuas: hanc igitur quæst. vniuersaliter resoluendo.

Dicendum tertio cum S.Th. 1.p. q.105. art.5. & Suar. disp. 22. met. Sect.1. alijsque ex Scholast. & SS. P.P. Certum est tum ex auctoritate scripturę, tum ex naturali ratione, Deum immediatè concurrere ad omnes, & singulas actiones causarum secundarum. Adducit multa Scripturæ testimonia S. Aug. pluribus locis. Lib.5.de genesi ad litteram cum retulisset opinantes contrarium, subdit, *contrà quos profertur illa sententia Domini*, Pater *meus vsque modo operatur*, & paulo post; *deinde quia non solum magna, & præcipua, verum etiam ista terrena, & extrema ipse operatur, ità dicit Apostolus; tu nudum granum seminas, Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique semini proprium corpus*, & epistola 146. adducit alia testimonia. S. Greg. 16. moral. c.18. dicit: *omnia, quæ creata sunt, per se nec subsistere præualent, nec moueri, sed intantum subsistunt, inquantum vt esse debeant acceperunt, intantum mouentur, inquantũ occulto instinctu disponuntur*. Eandem veritatem vt dogma contentum in scriptura docent Cyrill. Nazianzenus Chry-

Chrysost. & alij Patres, quos refert Tolet. in cap. 5. Ioannis, ideoque Suar. putat oppositam sententiam esse erroneam, & contrà fidem.

Ratione probatur primo, quia causa adæquata debet posse tribuere effectui totam perfectionem identificatam cum effectu; sed nulla causa secunda potest effectui tribuere totam perfectionem identificatam cum effectu; ergo nulla causa secunda potest esse adequata, adeoque debet concurrere causa prima. Minor probatur, quia nulla causa potest effectui tribuere perfectionem, qua ipsa caret, ità vt habeat oppositam imperfectionem: e. g. quod habet imperfectionem insipientiæ, non potest tribuere adæquatè per se perfectionem sapientię; sed omnis effectus habet aliquam perfectionem secum identificatam, quam causa secunda, & tota vniuersitas causarum secundarum caret ità, vt habeat oppositam imperfectionem; ergo nulla causa secunda potest tribuere effectui omnem perfectionem identificatam cum illo, atque adeò debet concurrere causa prima. Minor probatur; nam quilibet effectus per suam entitatem, & perfectionem distinguitur ab imperfectione causę secundæ; distingui autem per suam entitatem ab imperfectione, est manifesta perfectio, eaque causa secunda caret

ità,

itâ, vt habeat oppositam imperfecrionem, quandoquidem non distinguitur à suis imperfectionibus, sed cum illis identificatur, quod est manifesta imperfectio opposita perfectioni distinctionis per suam entitatem à talibus imperfectionibus; ergo causa secunda non potest tribuere effectui perfectionem distinctionis ab imperfectionibus causæ; ergo talem perfectionem tribuere debet causa prima, quę illam habet, cum distinguatur ab omnibus imperfectionibus causæ secundæ.

Hinc patet, cur Deus possit tribuere creaturis distinctionem à Deo, quam non habet, & causa secunda non possit tribuere effectui distinctionem à causa secunda. Disparitas est, nam distinctio à Deo non est perfectio, sed maxima imperfectio, cum distingui ab ente primo, & perfectissimo sit maxima imperfectio, & radix omnium imperfectionum: è conuerso distingui ab imperfectionibus causæ secundæ est perfectio, ideoque inueniri debet in Deo. Porrò vt causa tribuat effectui aliquam perfectionem, non debet itâ illa carere, vt habeat imperfectionem oppositam: at potest causa tribuere effectui aliquam imperfectionem, quam causa non habet. Vt enim illa tribuatur, sufficit, vt causa non communicet effectui perfectionem oppositam, quam causa habet;

bet; e. g. vt Deus det lapidi imperfectionem insensati, sufficit, quod illi non communicet perfectionem cognoscitiui, quam Deus habet; ergo vt det distinctionem à Deo, quę est imperfectio, non debet illam habere, sed sufficit, vt non communicet perfectionem identitatis cum Deo, quam habet. Ex hoc apparet, cur Deus licet propriè neque sit rationalis, neque sensitiuus, possit tamen tribuere creaturis prędicata rationalis, & sensitiui. Ratio est, quia Deus non ità caret prędicatis rationalis, & sensitiui, vt habeat imperfectiones oppositas irrationalis, & insensati, sed vt habeat totam perfectionem rationalis, & sensitiui sine imperfectionibus adiunctis; ergo communicando creaturis perfectiones rationalis, & sensitiui, quas habet, & non communicando perfectiones oppositas imperfectionibus adiunctis rationalitatis, & sensitiuitatis, dare potest prædicata rationalis, & sensitiui.

Secundo probatur, quia nihil potest esse virtus adæquata, vt resultet aliquid ipso perfectius, & melius; sed cum ponitur quicunque effectus, aut actio, resultat aliquid perfectius, ac melius causa secunda; ergo causa secunda non est virtus adæquata ad effectum quemcunque. Minor probatur: nam quicunque effectus ponatur, resultat complexum ex causa secunda, effectu, & actio-

actione, quod complexum melius est, quã sola causa secunda; e. g. cum sol producit lucem, resultat de nouo complexum ex sole, luce, & actione productiua lucis, quod complexum est melius, quam sol secundum se tantum consideratus; ergo sol non potest esse virtus adæquata, vt resultet tale complexum perfectius sole, sed debet concurrere causa prima, hoc est Deus, qui solus est ęquè bonus, ac perfectus, ac complexum ex Deo, & creatura, vtpotè continens in se ipso totam perfectionem talis complexi sine ipsius imperfectionibus, qualis imperfectio est defectibilitas.

Tertio probatur, quia in quacunque actione producitur aliquid ex nihilo sui, licet non producatur ex nihilo subiecti; sed ad producendum aliquid ex nihilo sui non sufficiunt vires finitæ, ergo requiritur concursus causę primæ habentis vires infinitas. Minor probatur primo, quia antiqui conueniebant in hoc principio, *ex nihilo nihil fit*, quia videbant nullam virtutem finitam ad id sufficere. Secundo, quia producere aliquid ex nihilo sui est opus profectò mirabile; sed non esset mirabile, nisi excederet nostram virtutem; nemo enim miratur, quod eius virtutem non excedit, ideoque admiratio operis semper ostendit, quod admirans agnoscit

in

in se defectum virtutis ad efficiendum tale opus.

Quarto probatur, quia modus operandi, & agendi non potest excedere modum essendi: ideò quod habet modum essendi finitum, habet etiam modum operandi finitum; sed si creatura posset operari se sola sine alterius concursu, modus operandi excederet modum essendi; nam ità esset, vt sibi non sufficeret ad essendum, ità operaretur, vt sibi sufficeret ad operandum; ergo.

Quinto probatur, quia sola voluntas, qua Deus dicat, nolo vt ignis approximatus stupæ calefaciat illam, sufficit ad impediendam calefactionem stupæ, etsi non auferat igni virtutem intrinsecam calefactiuam, & non ponat aliud impedimentum calefaciendi; spectat enim id ad perfectam efficacitatem Diuinę voluntatis, cui nihil potest resistere; sed si causę secundę ad operandum, e. g. ignis ad calefaciendum non egeret Diuino concursu, talis voluntas non sufficeret ad calefactionem impediendam; ergo causę secundę ad operandum indigent Diuino concursu. Minor probatur: nam velle, ac nolle solum sufficiunt ad determinandas operationes potentiarum, quæ sunt in habente talem voluntatem; e.g. voluntas, qua dico, volo ambulare, solum sufficit ad determinam-

nandam meam potentiam ambulatiuam: voluntas, qua dico, noloamburare, solum sufficit ad impediendam meam potentiam ambulatiuam: ad determinandas verò potentias, quæ non sunt in volente, impertinenter se habet velle, ac nolle; ergo si calefactio esset operatio solius potentię createę existentis extrà Deum, impertinenter se haberet Diuina voluntas nolens calefactionem ad illā impediēdam: at verò si calefactio est operatio etiam Dei, cum Deus vult, ne ignis calefaciat, impedit suam omnipotentiam, ne cum igne concurrat ad calorem.

Sexto probatur, quia sunt quædam actiones, ad quas requiruntur conditiones prę teritę: e. g. vt ego nunc mouear per hoc spatium, requiritur, vt ante fuerim in spatio proximo; sed conditiones prętericæ non possunt concurrere, nisi prout cognitę ab aliquo agente intentionali, quod ex ipsarum cognitione prę stet concursum; præteritum enim, cum nihil sit, non potest iuuare per se ipsum, sed prout existens in cognitione alicuius intellectus; ergo datur aliquod agens intentionale, quod ex prę uisione conditionum præteritarum prę stet concursum ad motum, & ad alias actiones, quod agens est Deus.

Septimo probatur, quia causę secundę immediatę sunt manifestè insufficientes

ad

ad pleroſque effectus .Ità accidentia ſunt manifeſtè inſufficiẽtia ad producendas ſubſtantias, præſertim animatas; ſemina ſunt manifeſtè inſufficientia ad producendas plantas, & animalia, atque illa organizanda; intellectus ſunt manifeſtè inſufficientes ad producendas ſuas intellectiones, cũ per illas perſiciantur, nihil autem eſt per ſe ipſum adæquatè ſufficiens ad producendum id, quo melioratur, vt dictum eſt quęſt. 38. ſimiliter omnes penè effectus, vt flores, fructus, & multo magis intellectiones, & volitiones humanę, atque Angelicæ non poſſunt immediatè procedere à cauſa adęquata nõ operante ex arte perfectiſſima; ergo omnes penè effectus atteſtantur concurſum primi intellectus inuiſibilis. Adde, quod eſt manifeſta perfectio, quod aliquid ita ſit, vt ſine eius concurſu nihil aliud poſſit eſſe, vel operari; ergo talis perfectio conuenit Deo. Hinc eſt, vt hanc veritatem agnouerint etiam antiqui philoſophi. Ariſtoteles enim ſecundo met. c.2.7. phyſ. c.1. & 8. phyſ. c.5. ait ex agentibus per ſe ſubordinatis inferius non poſſe agere ſine influxu ſuperioris. Plato cauſas ſecundas appellat inſtrumenta primæ. Refertur etiam Triſmegiſtus dicens Deum vbique pręſentem ſemper agere omnia.

Ad 1. defectuoſa eſt virtus, quæ ità dat

esse effectui, vt possit effectus habere esse etiam aliunde, quam à tali virtute; eo enim ipso talis virtus non est necessaria ad esse effectus; ergo propter hoc ipsum, quia ædificator dat domui esse ità, vt domus remaneat, cessante actione ędificatoris, arguitur, quod virtus ędificatoris sit valdè defectuosa, ac non necessaria effectui; sed Diuina potentia est perfectissima; ergo debet ità concurrere, vt sit summè sufficiens, & summè necessaria effectui; summè quidem sufficiens, inquantum est adęquata virtus ponendi effectm, prout voluerit, sine vllo labore, defatigatione, vel diminutione talis virtutis; summè verò necessaria, inquantum effectus nullo tempore potest esse, quin emanet à Diuina virtute, tanquam à fonte. Confirmatur, quia potentia Diuina est, qua non potest excogitari maior, au melior; non potest autem excogitari potentia maior, aut melior illa, quæ est omninò sufficiens ad hoc, vt existat quodcunque ens, & est omninò necessaria ad hoc, vt existat quodcunque ens, ità vt nullum ens possit vel per punctum temporis existere, nisi ab illa sit, vel per identitatem, vel per causalem emanationem. Dum opponitur; defectus operis tribuitur artifici, distinguo; defectus, ex quo arguitur artificem defecisse ab idea, concedo;

cedo; quicunque defectus, nego. Defe-
ctus, ex quo arguitur artificem defecisse
ab idea, tribuitur artifici, alij non tribuun-
tur, e.g. si quis vult facere vas luteum,
vt etiam in illa materia ostendat artem
suam, proculdubio defectus vasis consi-
stens in hoc, vt sit luteum, non tribuitu
artifici; multo minus tribuuntur artific
illi defectus, qui sunt correlatiui ad sum-
mam perfectionem Artificis. In casu no-
stro hic defectus, per quem opus diuinum
non potest conseruari, nisi Deo conser-
uante, est correlatiuus ad summam perfe-
ctionem Diuinæ virtutis, per quam es
summè sufficiens, ac necessaria cuilibe
enti. Addo, quod in creaturis est defe-
ctus producere effectum, qui non possi
conseruari, subtracto concursu, quia virtu
creata operando, laborat, defatigatur, au
saltem redditur minus habilis ad alios
effectus producendos. Ità esset maxima
imperfectio ędificatoris, quod domus non
posset conseruari sine ipso, quia deberet
perpetuò laborare circà domum: at vir-
tus Diuina est perfectè sufficiens ad quod-
libet sine vllo labore, aut imminutione:
ergo non spectat ad eius imperfectio-
nem, sed ad perfectionem, vt sit etiam
necessaria.

Ad 2. Corruptibilia, dum corrum-
punntur, patiuntur violentiam positiuam

Dd 2 à con-

à contrario: incorruptibilia si à Deo annihilarentur, paterentur violentiam negatiuam per subtractionem Diuini concursus conseruatiui contrà inclinationem innatam, quam habent ad hoc, vt conseruentur.

Ad 3. Certum est quod aliqua conseruantur in esse à solo Deo. Quæ enim à solo Deo fiunt per creationem, à solo Deo conseruantur; & quia Angeli, & corpora cœlestia fiunt à solo Deo per creationem, ideò ab eodem solo conseruantur. Certum est rursus, quod quædam non conseruantur à solo Deo, sed concurrente causa secunda: e.g. lux pendet à sole etiam in conseruari, idemque dic de omnibus actibus vitalibus, qui pendent à potentijs vitalibus in fieri, & in conseruari. Dubium potest esse, vtrum corpora inferiora, sicut causantur præcipuè à cœlo per influentias, sic per easdem conseruentur. S. Th. videtur affirmare pluribus locis, ac presertim lib. de natura loci, dicens, quod in loco non est tantum continentia locati, sed est ibi virtus conseruans, & formans locatum; sed corpus celeste est locus, intrà quem sunt inferiora; ergo habet virtutem conseruatiuam inferiorum. Negant alij, ac dicunt inferiora conseruari à solo Deo efficienter, à cœlo autem purè dispositiuè.

Ego

Ego in hac quęstione nihil statuo, cum possit vtraque pars probabiliter sustineri. Dum quæritur, vtrum conseruatio sit veluti continuata productio, respondeo affirmatiuè. Nam idem esse, quod primo res accipit per creationem, continuatè accipit per conseruationem. Differt ergo solum, inquantum productio dat esse rei, quæ ante non erat, conseruatio dat esse rei, quæ ante erat.

Ad 4. Deus dat creaturis virtutem imperfectam imperfectione debita, & proportionaliter correspondente imperfectioni modi essendi. Sicut igitur creaturę nō possunt esse, nisi à Deo accipiant vt sint, sic non possunt operari, nisi à Deo concurrente accipiant, vt operentur.

Ad 5. Argumentum retorquetur, cum sit ostensum in prima probatione conclusionis, quod nulla causa creata continet totam perfectionem effectus.

Ad 6. Deus non concurrit vt causa partialis, sed vt totalis eminenter, non autem vt totalis formaliter. Causa totalis formaliter est, quę ità concurrit, vt nihil aliud concurrat: & quia Deus ità concurrit, vt concurrat etiam creatura, non concurrit vt causa totalis formaliter. Causa totalis eminenter est, quæ licet non sit totalis formaliter, tamen continet totam perfectionem causę formaliter

otalis, & est perfecta sufficientia, vi cuius existit effectus, & omnia requisita ad effectum: & quia Deus continet totam perfectionem causæ totalis formaliter, & est perfecta sufficientia, vi cuius existit effectus, & omnia ad illum requisita, ideò concurrit vt causa totalis eminenter.

Ad 7. Concedo, quod Deus concurrat etiam ad actus liberos, ità tamen, vt ad bonos concurrat per se, & ex intentione directa, ad malos, seu peccaminosos concurrat per accidens, & permissiuè, ideoque non sit causa per se peccati. Dum opponitur, quod causa potentior necessitat minus potentem, distinguo; nisi attemperet suum concursum, concedo; si attemperet, nego. Deus est causa ità potens, vt possit attemperare suum cōcursum causis secundis, ità vt non adimat illis libertatem, sed relinquat dominium actus. Vt enim dicit Scriptura, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, quia ità attemperat suum concursum, vt faciat causas necessarias operari necessario, causas liberas operari liberè.

Ad 8. Inconueniens est supremum Principem attendere etiam ad minima, si propter limitationem ex attentione ad minima impediatur ab attentione ad maiora; sed si habeat virtutem ità illimitatam, vt

possit


possit simul attendere, & ad minima, & ad maxima, nec ab attentione ad vnum impediatur ne alijs attendat, conuenientissimum est, vt omnibus simul attendat.

CONCLVSIO OPERIS.

SIcut vniuersa natura ordinatur ad Deum, tanquam ad finem, sic vniuersa naturalis Philosophia ordinatur ad cognitionem Diuinorum. Cum igitur gradatim per substantias sensibiles, & per Animam rationalem, & Intelligentias quę sunt substantiæ purè intelligibiles ascenderimus ad cognitionem Dei, videri possumus vtcumque Philosophiæ finem attigisse, præsertim cum iecerimus principia, & fundamenta, in quibus fundantur, & à quibus incipiunt cæteræ scientiæ. Ab ijs siquidem, quæ in quæstionibus physicis dicta sunt de quantitate, incipiunt tres scientiæ purè Mathematicæ quæ sunt Geometria, Arithmetica, & Algebra. Ab ijs, quæ dicta sunt in quęstionibus de Mundo, & Cœlo, incipiunt Cosmographia, Astronomia, & Geographia. Ab ijs, quæ in quęstionibus de Generatione dicta sunt de propagatione luminis, ac specierum, de earum reflexione, ac refractione, incipit Optica. Ab ijs, quę in quæstionibus de Elementis di-

cta sunt de qualitatibus, & mistione elementorum, ac temperamento mistorum, incipit Medicina. Ab ijs, quæ in quęstionibus de elementis dicta sunt de grauitate, & virtute impressa, incipit Mechanica. Ab ijs, quę in fine metereologicorum dicta sunt de Fossilibus, & Metallis incipit Chymica. Ab ijs, quæ de Habitibus etiam voluntatis dicta sunt in quæstionibus de Anima rationali, incipit Moralis. Ab ijs demum, quæ vltimo loco dicta sunt de Diuina existentia, ac prouidentia, incipit Theologia Scholastica, imo ipsa fides Diuina. Vt enim docet Apost. Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quod Deus est, & quod remunerator est.*

LAVS DEO.



REGESTVM

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd.



R O M AE.

Typis Michaelis Herculis. 1670.

Superiorum permissu.